IO. ERNESTI FRANZENII
VLZA-LVNEBVRGICI

COMMENTATIO
DE
FVNERIBVS
VETERVM CHRI-
STIANORVM
VI. LIBRIS COM-
PREHENSA.

CVM PRAEFATIONE
D. IOANNIS FABRICII,
QVA
OCCASIO ET STVDIVM HVIVS
SCRIPTI EXPONITVR.

HELMSTADII,
TYPIS ET IMPENSIS SAL. SCHNORRII,
ANNO M DCCIX.



CONSISTORII ELECTORALIS

Quod eſt Hanovaere

CONSILIARIIS

AMPLISSIMIS AC MERITISSIMIS,

VIRIS

Reverendiſſimo, Maximeque reverendis, Praenobiliſſimis, & Conſultiſſimis,

Dominis ac Patronis ſuis ſubmiſſe colendis

IO. ERNEST. FRANZEN

Salutem & obſervantiam.

Quanti

QVanti evangelicarum ecclesiarum intersit, intra sua moenia multos numerare fideles ecclesiasticae antiquitatis indagatores, id quidem neminem vestrûm, Viri amplissimi, latere, sum certissimus. Nam hodieque Romana potissimum ecclesia obtinet antiquum, ut Protestantium ecclesias iniquis adoriatur censuris, quasi haut paucos primitivae & subsequentis ecclesiae ritus pro suo tantum lubitu deseruerint, nec de illis restituendis vel semel cogitent. Qua autem ratione quisquam

quam ab iſtiusmodi accuſationibus eccleſias noſtras vindicare valebit, niſi ex antiquis monumentis lectis relectisque exploratum habeat, quid de ſingulorum in eccleſia rituum, & praeſertim illorum, quorum deſertores dicimur, antiquitate ſit ſentiendum? Immo etiam luce ſua tum radiabit, romanam potius, quam noſtram, a primitivae eccleſiae dogmatibus, moribus atque ritibus receſſiſſe, dum ſacram euchariſtiam ſub una tantum laicis praebet, Pontificem ſuum viſibile totius

chriſtiani orbis caput conſtituit, ſanctos invocat, & quae ſunt reliqua, quorum alia ab antiquitate apoſtolica, & trium priorum ſeculorum aberrant, alia ſeculo ſexto & ſequentibus originem ſumſerunt, alia ſec. XIII. demum invaluere. Quod attinet ad innocentiam eccleſiarum noſtrarum, a multis quidem Proteſtantium theologis ea fuit vindicata, ut *Martino Chemnitio* in Examine concilii tridentini, *Dieterico*, *Hildebrando*, *Dorſcheo*, & *Quenſtedio* in Antiquitatibus eccleſiaſticis;

cis; attamen cum materia de funeribus veterum chriſtianorum elaboranda mihi fuerit commendata, & vero iis multas eccleſiae veteris caerimonias, & coniuncta cum illis dogmata adhaerere deprehenderem, quae ſeparari non poſſent, ſi quis iſtam materiam non mutilatam, ſed integram proponere vellet, nolui diligentiam meam ea in re deſiderari, ſed fideliter ex ipſis Patrum aliorumque probatiſſimorum auctorum ſcriptis collegi, atque expoſui, quae ad materiam iſtam illuſtrandam facere videbantur. Atque la-

hunc laborem vobis iam, Patroni, iuſtis rationibus adductus conſecro, alioqui non auſurus exiguo libello ampliſſima nomina veſtra praeſcribere. Si qui enim ſunt inter eruditos, qui de rebus heic tractatis quam optime iudicare valent, ii Vos eſtis, quorum ſumma eruditio, & excellens hiſtoriarum atque antiquitatum eccleſiaſticarum peritia, cum iudicii dexteritate coniuncta, iam diu paſſim percrebuit, eamque gloriam, quam meretur, feliciter conſecuta eſt. Præterea omnes ac ſinguli eo eſtis animo erga tenues etiam litera-

terarum cultores praediti, ut optima quaeque de Vobis mihi polliceri queam. Ex voluntate autem potius mea, quam re ipſa, donum hoc aeſtimabitis, idque ſerena fronte accipietis, atque ex eo conatum meum, animique gratitudinem, cum ſubiectione coniunctam, agnoſcetis. Et profecto operae ac laboris pretium ſat magnum laturus ſum, ſi Vobis, at quantis viris! illa non displicuerit, ſed pectora veſtra ſuaviter eo inclinaverit, ut ſtudia mea porro habeatis Vobis commendata, eaque

que digna iudicetis, quae favore atque benevolentia veſtra adiuventur & promoveantur. Quod ſupereſt, voto & precibus epiſtolam hanc finiam. Servet vos, Fautores optimi, ſummum Numen ſalvos atque ſoſpites ad ſeros usque annos, conſilia & negotia veſtra in magnum tam reipublicae quam eccleſiae commodum atque augmentum ſecundet, tandemque beatam ſenio confectis, vitaeque ſaturis analyſin concedat benigniſſime. Ita valete. Scribebam Vlzae

die 12. Aprilis A. C.

1709.

IO. FABRICIVS

S. Theol. Doctor, Serenissimi DVCIS Brunsvic. ac Luneb. Consil. consistor. & eccles. Abbas RegiaeLuterae, & Scholarum in Ducatu Brunsv. Inspector generalis

LECTORI BENEVOLO S. P. D.



Vamvis inde iam a multis annis inclyta haec IVLIA non tam multos, ut aliae quaedam academiae, habeat studiosos, adeoque numero eorum cum illis certare nequeat, est tamen, quod sibi aeque gratuletur, ac (*) ALTORFINA, de bonitate & praestantia carissimorum alumnorum suorum, nec ea se ab aliis vinci & superari patitur. Sicut enim omnium professores ordinum diligenter ac fideliter munus suum obeunt, & tam privatim quam publice assiduam infor-

)(2 ma-

(*) *De qua dixit aliquando illustris Senator noriberg. Georg. Frid.* BEHAIM *a Schvvarzbach D. Wagenseilio:* Esto, alibi plus hominum sit, nobis semper sufficiet, habere plus solidae doctrinae & probitatis studiosorum: *prout hic refert in eius Sacris parentalibus p. 34.*

mationi dant operam, & boni commatis ſcriptis conſignandis edendisque invigilant, ita plurimi ſtudioſorum honorabile ſuum nomen adimplere laborant, ad lectiones publicas audiendas alacriter concurrunt, nec minus privatas ſcholas certatim frequentant, & quidquid ſupereſt temporis, non otio, aut vitiis, & immodicis compotationibus, ſed domeſticis meditationibus ſtudiisque impendunt, pacateque ac tranquille inter ſe vivunt. Nulli heic iam fiunt tumultus, nocturni boatus & graſſationes ceſſant, ſtratae lapidibus plateae, & feneſtrae orbibus vitreis munitae ſtant incolumes, rhedae, vehicula, ligna, & quaecunque alia extra domos publicis in viis poſita, intacta relinqvuntur, duella ſunt rariſſima, ignominioſae tractationes nullae, nec alia quam de virtutis & eruditionis profectibus faciendis contentio deprehendi poteſt. Vt adeo vita ſtudioſorum academica, quae olim ſaepe turbulenta & barbara in multis etiam heic viſa fuit, iam converſa ſit in quietã, placidam, & humanam. Optamus autem, ut Deus, qui almae *IVLIAE* haec otia fecit, eadem perpetim conſervet, &

feli-

felicitatem istam quovis anno in ea perennare, multosque inde fructus provenire iubeat. Otii huius ac melioris vitae academicae fructum egregium iam exhibet IOANNES ERNESTVS FRANZENIVS, Vlza-Luneburgicus, libello isthoc *de Funeribus veterum christianorum.* Postquam enim Halae in florentissima FRIDERICIANA, optimarum artium & philosophiae ac theologiae studiis per tres cum dimidio annos sese dedit, eademque heic loci duobus cum dimidio annis gnaviter feliciterque persecutus est, &, quod cumprimis laudandum, veram pietatem, sine qua comparari non potest coelestis sapientia, indesinenter coluit, atque sic docentibus materiam ipsum amandi ac laudandi, & commilitonibus exemplum imitandi praebuit, & quantum profecerit sacro in studio, tribus dissertationibus *de S. Theologia in genere, de Scriptura sacra, & de Veritate religionis christianae*, suopte Marte conscriptis, meoque sub moderamine habitis, publice ostendit, atque in hoc stadio amplius decurrere, & plura eiusmodi exercitia, quae totam dogma-

tum sacrorum hypotyposin absolverent, exhibere vellet, ipsi ac studiis eius convenientius & consultius duxi, eiusmodi materiam suppeditare, quae illum in latissimos theologiae & philologiae, seu historiarum, antiquitatum, reique litterariae campos deduceret, atque ea legendi scrutandique in sanctis ecclesiae patribus, vastis conciliorum voluminibus, pluribusque optimis auctoribus, ad quae in exsecutione prioris propositi pervenisset nunquam, occasionem daret, & sitim atque ardorem ipsius proficiendi plene restingueret. Atque hunc scopum, quae Dei gratia, & ipsius laudati studiosi confessio est, feliciter, & ut aiunt secundis avibus attigi, deque eo mihi gratulor, atque in sinu gaudeo; cum nihil mihi sit gratius, nihilque iucundius & antiquius, quam studiosae iuventutis commoda quovis modo promovere, atque eorum propositum, qui apti sunt ad scribendum, pro virili iuvare, sicut ineptis atque inidoneis neque adulari solitus sum, neque abortibus eorum literariis manum admovere. Itaque non dubitavi, IOANNIS SAUBERTI, olim in hac universitate, deinde in alma Altorfina doctoris clarissimi

ſimi, & heic quidem informatoris, illic vero collegae bene de me meriti, ideoque etiam poſt fata venerandi, *Collectanea de Funeribus veterum chriſtianorum*, ei in materiam novi ſcripti communicare, ut, ſi non multum inde lucraretur, ſaltem materiam a celebri viro nanciſceretur, ea de re, quam ipſemet ſibi propoſuerat, commentandi. Et ſane experientia docuit, parum inde eum proficere potuiſſe, cum quod multa ibi intacta relicta eſſent, tum quod ſuo ſingula ordine non eſſent digeſta; ut taceam, ſaepe in Collectaneis illis auctores vel falſo fuiſſe allegatos, aut ſecundum alias viilioresque editiones, vel eos, quorum copia heic plane nulla haberi potuit. Errarent igitur vehementer, ſi qui hoc opus, quod FRANZENII eſt, ſive SAVBERTO, ſive alii vellent adſcribere, cum ille praeter occaſionem, & pauxillum materiae, nihil attulerit, ego vero nihil aliud egerim, quam ut tractationem huius materiae auctori ſuaderem, librisque & conſiliis neceſſariis ipſum iuvarem, ac ſcriptum perlegerem, in quo, cum propoſitum meum non fuerit, omnia ad vivum reſecare, non niſi pauca correxi & emendavi. *Sic ergo iam*

eximii huius libelli auctor merito celebratur FRANZENIVS, nec ſane nullas meretur gratias, quod piae & inevitabili funerum materiae diligenter perſcrutandae tempus ac ſtudium impendere, adeoque quam optime philoſophari voluerit. Sic etiam praeclarum ſexennii ſui academici ſpecimen edidit, nec forte deerunt viri docti & eruditi, qui, ut olim (1) SAMVEL BOCHARTVS, eruditi ſui ſeculi phoenix, de parentis mei (2) ſcripto iuvenili *de Cacozelia gentilium*, fateantur, *ſe non pauca ex eo didiciſſe.* Neque etiam dubium, quin, ſi Deus bonam iſtam mentem ei conſervaverit, (conſervabit autem, quotidie ardentiſſimis precibus invocatus) eruditionis & pietatis ſuae dotibus, ſive eccleſiam, ſive academiam, aliquando beaturus & locupletaturus ſit uberrime. Scribebam Helmſtadl in academia Iulia, Idib. Maii A. C.
MDCCIX.

(1) *In Hierozoic. P. 1. lib. 2. c. 33. p. 324. Io.* Friſchmuth *diſſert. alt. de Hirco emiſſario c. 2. § 7. Io. Conr.* Durrius *in Memoria Io. Fabricii, eiusdem Praelectionibus ſeu Syſtemati theolog. praemiſſa, p. 11.*

(2) *Quod cum ſeorſum reperitur, tum in tomo II. Diſpp. Dilherri, p. 162.*

Io.

IOANNI ERNESTO FRANZEN,
Theologie candidato probo & docto

S. P. D.

IO. ANDR. SCHMIDT, Th. D. P. P.
Ord. sui Senior & Abb. Mariaevall.

Ex eo tempore, quo in nostram venisti academiam, talẽ statim te deprehendi studiosum theologum, qualem ordinis nostri statuta postulant. Puram enim doctrinam ubique quaesivisti, eandemque non fucata pietate omnibus viribus exornare tibi pulchrum fuit. Illam ut acquireres, sedulus eras in lectionibus doctorum publicis privatisque, e quibus te eximios percepisse fructus, *dissertationes* tuae *theologicae*, proprio marte conscriptae, & applausu omnium publice ventilatae, demonstrarunt. Ne vero tibi ulla dies absque linea abiret, illis absolutis aliud statim elegisti argumentum *de funeribus veterum christianorum*, a summe venerabili DN. hospite tuo commendatum, & studioso pio atque docto certe dignissimum. Habuisti hoc ipso occasionem, ecclesiae primitivae doctri-

nam, mores, ritus, & disciplinam, in quibus virginitatem illius olim fuisse positam, in nostris lectionibus saepe audivisti, plenius distinctiusque cognoscendi. His vero cognitis facile tibi fuit, sequentium seculorum aberrationes notare, animadversasque reiicere. Magna ad id opus erat lectione, quam indefesso labore lubens suscepisti, ut & te instrueres, & aliis inservires. Perge horis illis, quibus per alia licebit, hoc argumentum tibi vindicare, &ea, temporis successu, ad id referre, quae in sedula antiquorum lectione adhuc instituees spicilegia. Tibi vero ex academiis discedenti Deum apprecor propitium, patronos faventes, & uberrimos ex futura sparta fructus, in ecclesiam quoque & rempubl. redundantes. Vale. Dabam Helmstadii d. X. April. A. M DCC IX.



IN-

INDEX LIBRORVM

& Capitum huius Commentationis.

LIBER I.

De morituris veterum Christianorum.

LIBER II.

De piis circa mortuos a priscis christianis observatis ritibusque ad funeris elationem.

LIBER III.

De elatione funeris.

LIBER IV.

De coemeteriis, sepulcris, inscriptionib⁹ & religione priscorum christianorum erga sepulcra.

LIBER V.

De ritibus propter mortuos & sepultos veterum christianorum.

LI-

LIBER VI.

De cultu defunctorum & reliquiarum civili atque religioso.





LIBER PRIMVS

DE MORITVRIS VETERVM CHRISTIANORVM

Ubi primo exponitur, quomodo ipsi morituri sese gesserint; deinde varii recensentur pii ritus, ab aliis circa morituros observati.

CAPVT. I.

Morituri catechumeni ante omnia efflagitabant baptismum, eumque accipiebant.

§. I.



Baptismi sacramentum est lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, ab ipso Christo institutum, omnibusque christianam religionem amplexuris ex illius mandato suscipiendum, ut per aquam & spiritum renati filii Dei, ac haeredes regni coelestis, ceteris positis, certo evadant. Quam sanctissimi huius sacramenti necessitatem, atque dignitatem summam, valorem atque fructum desideratissimum antiqui christiani

quam maxime agnoſcentes, nemini baptiſmum denegare voluerunt, ſive eſſet lapſus, ſive non lapſus catechumenus, ſed eum petentibus omnibus dedere. Ordinarie quidem nemo adultus admittebatur ad baptiſmum, niſi in fidei chriſtianae fundamentis per aliquod tempus erat inſtructus, eaque probe didicerat; & ſi quis intra catechumenatus ſui tempus grande peccatum vel apoſtaſiae, vel aliud quoddam commiſerat, baptiſmus illius ſolebat differri: at vero, quisquis catechumenus, in mortis incidens periculum, baptiſmum efflagitabat, ſtatim baptizabatur, ſive fundamenta religionis chriſtianae ſatis edoctus eſſet, nec ne, ut ex ſequentibus patebit.

§. II. Morituri itaque catechumeni, de baptiſmo percipiendo admodum ſolliciti erant: quod *Cypriani* aevo, ſeu circa medium ſec. III, exempla illorum docent, qui *clinici* (1.) dicebantur, h. e. in lecto propter infirmitatem decumbentes baptiſmum nacti, ac ideo non ſub aquam, ut alii, demerſi, ſed aqua tantum perfuſi. Ipſe autem *Cyprianus* voluit, ut *audientibus, ſi qui fuerint periculo praeventi, & in exitu conſtituti, vigilantia cleri non deeſſet, implorantibusque divinam gratiam, miſericordia domini non denegaretur.* (2.) Similiter *clerus romanus* ad carthaginienſem eccleſiam ſcripſit, ut *catechumenis infirmitate apprehenſis omnino* (3.) *ſubveniretur.*

§. III.

(1.) *vid. epiſt. Cypr. ad Magnum. Boſii diſſert. de Clinicis.*

(2.) *epiſt. 12. ad clerum, p. 25.*

(3.) *epiſt. ad clerum carthag. de ſeceſſu Cypriani, qua inter Cypr. epiſt. eſt ſecunda.*

§. III. A Sec.III. ad IV. progredimur, sub cujus statim initium in Hispania synodus *eliberina* can.11. statuit, ut *catechumena, quae maritum sine causa repudiasset, quique post repudium aliam duxisset, ageret per quinquennium catechumenatum: si vero illum explere morte impediretur, urgente obitu baptismum acciperet*. Eiusdem Concilii patribus can.37. placuit, ut *illi, qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizentur*: quod etiam *Cypriani* tempore factum fuisse, ex citata eius ad Magnum epistola liquet. Porro hac in synodo *catechumenae, qua per adulterium concepit, & conceptum necavit*, baptismus in fine can.68. conceditur. Notandus deinde est canon 42. ita sese habens: *Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente, coëgerit ratio, vel ocyus subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti.* Denique non est silentio praetereundum, hac in synodo can.38 etiam laico concessum esse, in necessitate infirmitatis positum catechumenum baptizare, *si* nempe *in proximo non fuerit ecclesia, & laicus iste lavacrum suum integrum haberet*, (i.e. non esset aqua perfusus, sed sub illam immersus) *nec esset bigamus*.

§. IV. Sicuti ergo in Hispania omnes catechumenos hoc seculo, mortis saltem hora imminente baptismi sacramentum percepisse vidimus; ita & aliis in regionibus, immo in universa ecclesia hic mos obtinuit. In Africa illũ sec.III. fuisse receptum, ex *Cypriano* antea monstratũ est; in romana

ecclesia similiter in usu id ipsum fuisse, ex citata *cleri romani* ad clerum carthaginiensem epistola liquet, nec dubium est, morem hunc his in ecclesiis semper mansisse: imo habetur canon in concilio *carthaginiensi III. ut aegrotantes, si pro se respondere non possint, at voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur:* & in synodo *arausicana* A. D. 441. habita, canon 12. idem permittit. In Asia vero synodus *neocaesareensis* A. D. 314. & *laodicena* circa A. D. 320. de eo testantur, illa can. 12. cuius verba deinde adponemus, haec can. 47. sequentibus verbis: *Qui in aegritudine constituti baptismum perceperunt, facti sani, fidei symbolum doceantur, ut noverint, qua donatione sint digni habiti.* Accedit *Epiphanius*, (4) qui ad ista verba apostoli: *Si omnino mortui non resurgant, quid est quod baptizantur pro ipsis?* adnotat, *quosdam haec verba commode interpretari de iis catechumenis, qui instante mortis hora sub spe resurrectionis ante obitum sacro lavacro digni habeantur utpote qui hoc ipso demonstrent, defunctum esse resurrecturum, ideoque illum indigere remissione peccatorum per lavacrum.* Quae verba sacrum saltem ritum, de quo iam nobis sermo est, declarant.

§. V. Quamvis autem, ut vidimus, nemini morituro, baptismum efflagitanti, ille fuerit denegatus, tamen non defuerunt, qui talem clinicorum baptismum aliorum baptismo postponerent, quoniam ille non erat submersio in aquam, sed tantum aquae refusio, morbo non aliter ferente. Opposuit quidem sese illorum opinioni strenuus

(4.) *Haeresi 28. adv. Cerinth. p. 114.*

strenuus ecclesiae carthaginiensis antistes (5) *Cyprianus*; nihilominus postea concilium *neocaesareense* iam citatum, can. 12. decrevit, ne talis clinicus, seu *in morbo baptizatus in presbyterum evehatur, cum fides eius non sit ex instituto, sed ex necessitate*: attamen additur, *nisi forte propter consequens eius studium & fidem, omniumque raritatem.* Habemus exemplum NOVATIANI, qui quoniam in lecto aqua tantum perfusus erat, difficulter admodum in clerum assumebatur; nam cum episcopus eum per gratiam in presbyterorum ordinem vellet evehere, universus clerus, multique ex populo, sunt refragati.

§. VI. Denique paucis indicandum, nonnullos in veteri ecclesia, satis licet in doctrinae christianae fundamentis instructos, studio distulisse baptismum usque ad imminentem excessum; inter quos ipsi Imperatores, (7) CONSTANTINUS M. videlicet, filiusque (8.) CONSTANTIUS deprehenduntur. Quae quidem baptismi dilatio fiebat, tum ex metu, ne per peccata valorem baptismi rursus amitterent; tum ex ignavia, deniq; apud quosdam ex insatiabili peccandi libidine. Quacunq; autem de causa dilatus ille esset, nunquam tale factum approbarunt pii ecclesiae doctores. Legatur modo *Gregorius* naz. oratione in sanctum baptisma, (9) & apparebit, quam serio laudatus

 vir

(5.) *epistola citata.* (6.) *ap. Euseb. H. E. lib. 6. c. 43.*
(7.) *Vid. Euseb. H. E. de Vita Constant. M. L. 4. c. 62.*
(8.) *Socrates H. E. L. 2. cap. 47.*
(9.) *Quae est oratio 40. t. 1. p. 647. Conf. constit. apostol. L. 6. c. 15. & Recognit. Clem. t. 1. patr. apost. l. 6. p. 551.*

vir etiam illos admoneat, qui bona intentione heic errabant, ut baptismi gratiam primo quoq; tempore avide expeterent. Deinde acrius [10.] ab eodem obiurgantur, qui ex ignavia baptismum differebant: at vero acerrime [11] detonat ille in eos, qui ex peccandi libidine nondum volebant ablui. Interea quidam morte subito abrepti baptismo non potiebantur; quos quidem non temere damnabant pii ecclesiae antistites, dumodo non fuissent baptismi contemtores sed seriam voluntatem, ardensque votum illius sanctissimi lavacri potiundi habuissent, quippe quod sincerum desiderium illos abluisse (13.) statuebant: si qui vero martyrio vitam finiverant, baptismi expertes, sanguinem, quem effuderant, ipsos purificasse, pro certo [14] habebant. *Viaticum* denique baptismum moribundorum appellarunt *Basilius* (15) & *Gregorius* (16) nazianzenus.

(10) *Orat. cit. p. 654.* (11) *p. 643. & 646.*
(12) *e.g. Valentinianus Imperator.* [13] *Ambrosius orat. in obitu Valentiniani.* (14) *Ibidem & Constit. apost. L. 5. c. 6.* (15) *Homilia de baptismo.*
(16) *Orat. 40. in S. baptisma. p. 644. Vid. etiam Balsamo in can. 18. concilii carthag. & initio responsionum Timothei.*

CAP. II.

Fideles, quotidie in primitiva ecclesia eucharistiam sumentes, imminente quoque exitu illam interdum sumsere.

§. I.

In primordiis ecclesiae, omnes fideles, quorum erat

erat cor unum & anima una, quotidie perseverasse in communicatione fractionis panis, ex *actis* apostolorum (1) est certissimum: quae consuetudo diu in ecclesia permansit. Nam *Cyprianus* testis est, suo adhuc aevo id ipsum obtinuisse, quando ait: (2) *Hunc panem, dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, & eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.* Unde probabiliter colligitur, etiam sub exitum fidelem desiderasse sanctissimum hunc spiritualem cibum, & potum, quo animam suam mox a corpore discessuram, adhuc semel reficeret, animumque sibi contra imminens cum morte certamen adderet. Deinde ex *Iustino* martyre [3] qui sec. II. floruit, innotescit, sacra eucharistiae symbola, panem & vinum, etiam *ad absentes* perlata esse: inter absentes autem confessores in carcere non solum recensendi sunt, sed etiam infirmi aut aegri, quotquot conventui ecclesiastico adesse non poterant: nam absolute, & sine ulla restrictione ibi refertur, quod ad absentes eucharistia fuerit perlata. Et nonne etiam inter ipsos confessores in carcere, ad quos sacra symbola ex omnium confesso perlata sunt, erant infirmi & morituri? Permulti sane inter eos mortis periculo expositi erant, multi etiam moriebantur:

 at

(1) *Act. 2, 22, 46.* (2) *Lib. de oratione, Conf. Augustinum epist. 118. ad Ianuar. Ambros. l. 5. de sacram. c. 4.*
(3) *Apolog. pro christianis II.*

at quis diceret, illos infirmos confessorum, quando ad alios socios suos eucharistia adportata fuit, illam, nescio ex qua causa, sumere noluisse? Non igitur licebit negare, tribus prioribus seculis quosdam fideles seu in communione ecclesiastica stantes, sacram coenam etiam sub vitae finem, ubi facultas & occasio concessa erat, percepisse; quamvis exemplo huius & illius fidelis morituri id confirmare nemo facile possit: imo *Io. Dallaus* (4) multis demonstravit, ad annum usq; 380. nullum reperiri eucharistiae a fideli aliquo in extremis sumtae exemplum, aut vestigium. Nam pleriq; sanctitate tum celebres, ad martyria subito rapiebantur, nec illis licitum erat, eucharistiam sumere, antequam morti traderentur: unde non mirum est, nihil de eo, quod Sacrum hoc sacramentum morituri perceperint, extare. Illi vero, qui sec. V. & seq. vixerunt, solent illud de piis morientibus, quorũ suprema narrant, vel memorare diserte, vel breviter significare; nam inde a fine sec. IV. certa hac de re habentur exempla, quorum primum in vita AMBROSII (5) occurrit, quam aliquis, quem *Paulinum* vocant, consarcinasse initio sec. V. dicunt. Post illum de CHRYSOSTOMO (6) & HIERONYMO (7) idem legitur. Sequentibus autem temporibus, sec. nempe VI. VII. & seqq. religiosum esse coepit in ecclesia, ne infirmi absq; eucharistia morerentur. Exempla desiderans, copiam

(4) *de cult. lat. religios. L. 6. c. 3. p. 740.* (5) *W. Cave antiqu. eccles. in Vita Ambrosii p. 849.* (6) *Idem p. 1033.* (7) *t. 4. Hieron. Eusebius de morte eius p. 358.*

piam illorum non exiguam inveniet apud *Io. Dallaeum* de Extrema unctione. (8) Extat quoq; canon in *Caroli M.* (9) capitulari, ut *presbyter semper eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicent, ne sine communione moriatur.*

(8) L.2.c.3.p.72. (9) L.1.c.161.

CAP. III.

Poenitentes morituri pacem seu communionem ecclesiasticam, nec non absolutionem a suis delictis, & sacram eucharistiam admodum anhelabant, at non omnes ubique hisce beneficiis simul digni habebantur.

§. I.

POenitentes hoc loco sunt illi, qui propter grandia peccata commissa comunione ecclesiastica privati, in legibus poenitentiae definitis percurrendis erant occupati: hi autem, quando mortis horam sibi iminere sentiebant, antequam propositum definitumque poenitentiae cursum absolverant, ardentissime desiderabant in ecclesiae communionem recipi, & absoluti a peccatis ad sacrae coenae perceptionem admitti: at non semper horum desideriis omnibus morem gessit ecclesia, propter ista, in quibus vivebant, tempora, quae rigidiorem disciplinam postulabant.

§. II. Interim nemini ex ordine poenitentium sub vitae finem communio fidelium & absolutio, per simplicem saltem reconciliationem, fa-

cile fuit denegata: ipso namque *S. Cypriani* tempore, ubi admodum rigida observabatur disciplina, sub mortis ictum pacem illi (a) accipiebant: & postea concilium *niçaenum* I. oecumenicum de illis can. 13. sancivit, ut *canonica lex porro servari debeat*, haec nempe, *ut si quis* (poenitentium) *vita excedat, ultimo & necessario viatico minime privetur*. *Albaspinaeus*(b) in expositione horum verborum demonstrat, sententiam illorum non esse aliam, quam hanc, ut nemini poenitentium absolutio debeat negari: nam cum patres necessarii viatici faciant mentionem, eucharistiam per illud non posse intelligi, utpote quae nō sit absolute necessaria ad id, ut poenitens de sua salute aeterna certus fiat: deinde in sequentibus demum verba de eucharistia fieri ait, eamq; non omnibus statim dandam esse, definiri, sentit. Itaque ex citatis verbis clarissimum est, poenitentes morti vicinos pacem accepisse, h. e. absolutione peccatorum donatos, & in gregem fidelium adscitos fuisse impositione manuum. Notatu autem dignum est, duplicem fuisse reconciliationem, maiorem & minorem: illa ad altare & mysteria aditum dabat, haec ad communionem fidelium ius concedebat. Et hactenus quidem probavimus, nemini poenitentium posteriorem communionem interdictam fuisse. Id quod etiam canon 77. Concilii *carthaginiensis* IV. A. D. 398. celebrati evincit his verbis: *Poenitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant.* §. III.

(a) *epist. 54. ad Cornelium de Pace lapsis danda p. 76.*
(b) *Observat. ecclesiast. p. 355. & seqq.*

§. III. De maiore autem reconciliatione iam quaeritur, num poenitentes morituri & illam acceperint. Vbi nihil obſtat, quo minus id adfirmetur, niſi canon 3. Concilii *arauſicani* I. qui ita ſeſe habet: *Qui recedunt de corpore, poenitentia accepta, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones patrum, qui huiusmodi communionem congruenter* viaticum *nominaverunt. Quodſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis poenitentiae fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Liquet ex his verbis, gallicani huius concilii patribus placuiſſe quidem, ut poenitentibus daretur communio eccleſiaſtica, ſed ſine reconciliatoria manus impoſitione, quae, ut *Albaſpinaus* (c) obſervat, altari & myſteriis reconciliabat, & ius ad euchariſtiam percipiendam reddebat. Verum cum haec ſynodus demum circa medium fere ſec. V. ſit celebrata, videndum, quid ante illam, & in aliis regionibus hac de re moris fuerit. Provocat quidem illa ad definitiones patrum, easque pro ſe militare putat: ſed quamvis patres nicaeni, ac aliorum conciliorum, ſimplicem communionem ſine reconciliatoria manus impoſitione poenitentibus conceſſerint, tamen, ſi poenitens poſtularet euchariſtiam, poſt exactam vitae eius inquiſitionem, ab epiſcopo factam, noluerunt eam illi denegari. *Cyprianus* enim, quando ſcribit, (d)

(c) *Obſerv. eccleſ. ad citat. can. p. 391.*

(d) poenitentibus sub ictum mortis pacem esse dandam, illud in sequentibus epistolae verbis ita explicat, ut non tantum ad communionem fidelium, sed etiam ad sacrae eucharistiae perceptionem ius poenitenti dandum, ostendat: haec enim duo ibi coniungit, dum sic loquitur: *Merito trahebatur dolentium poenitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, qua differre diu plangentium lacrymas, & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda, ut quos excitamus, & hortamur ad praelium, non inermes & nudos relinquamus, sed N.B. protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus; & cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicae saturitatis armemus.* Post Cyprianum autem Concilium *nicaenum* generale disertis verbis can. 13. sic sancivit: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & eucharistiae participationem petenti, episcopus cum examinatione oblationem impertiat.* Vt mens patrum huius concilii eo melius percipiatur, (1) notandum, non alio in casu poenitenti concedi eucharistiae usum, quam si serio illam desideraturus esset. (2) ut inconsulto aut invito episcopo eucharistia illi non detur. (3) ut episcopus prius examinet totam vitae poenitentis rationem, quo facto, si dignum tanto beneficio cum

(*d*) *epist. ad Cornel. 54. p. 76.*

eum iudicet, conferre illam possit. Itaque certum est, potuisse poenitentem sacram coenam percipere, sed non sine consensu atque arbitrio episcopi: quod confirmatur a concilio *carthaginiensi II.* can. 4. his verbis: *Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, & sic periclitantem eius praecepto reconciliare.* Exemplum Serapionis apud Eusebium (e) habemus, qui in poenitentia constitutus, at moriturus, sacram eucharistiam percepit.

Quodsi vero acciderat, ut poenitens post acceptam eucharistiam reconvaluisset, obligatus erat intermissam poenitentiam repetere, in eoque gradu, in quo ipsum vis gravitasque morbi adflixerat, consistere: ita namque placuit Concilio *carthaginiensi IV.* circa finem sec. IV. celebrato, utpote cuius canon 78. sic sonat: *Poenitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* Sensus est, secundum laudati *Albaspinaei* [f] expositionem: *Tales non putent, se suae poenitentiae satisfecisse, & peccatis debitas poenas expunxisse: ad tertium enim gradum resilire, atque redire oportet eos, ut manuum impositionibus purgentur.* Et paulo ante: *Canonem istum de impositione manuum explicandum esse, quam tertii gradus poenitentes quotidie suscipiebant, dubitandum non est, quia non de illa impositione manuum, qua dabatur poenitentiae* intel-

(e) *H. E. L. 6. c. 44.* (f) *libro citato p. 421.*

intelligi potest, cum ea semper initio ingressus ad poenitentiam daretur, ii autem, de quibus illo canone agitur, eam suscepisse dicantur, & poenitentes *nominentur. Neque vero de duplici manuum impositione tractatur, per quam duplex reconciliatio, maxima, & minor, concederetur, cum, quo tempore morbis vexarentur, utramque recepissent; quandoquidem eucharistia se paverant, quae poenitentibus non porrigebatur, nisi ante reconciliati altario & mysteriis, ut vocant, absolutique fuissent: qualis autem impositio manuum est facta in omni poenitentia: quare non nisi tertii gradus poenitentiae manus impositio relinquitur, quae sumi possit ad istius canonis interpretationem, cum alia tres non in eius explicationem cadere, aut quadrare possint.*

§. IV. Interea non negamus, Concilii *eliberitani*, in Hispania circa sec. IV. initium habiti, patres multis lapsis denegasse communionem, illis scilicet, qui post baptismum valde grandia delicta commiserant. At, ni fallor, illi tantum loquuntur de iis lapsis, qui de poenitentia agenda prorsus non fuerant solliciti, nisi mortis hora imminente: quo & canon 23. Concilii *arelatensis I.* pertinet, ita sese habens: *De iis, qui apostatant, & antequam se ad ecclesiam repraesentent, nec quidem poenitentiam agere quaerunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus poenitentiae.* Postmodum autem cum disciplina laxior evaderet, hujusmodi etiam peccatoribus, morituris, absolutio & pax

pax data eſt, ſimul ac poenitentiam ſuſceperant, Concilium enim *carthaginienſe IV.* canone 76. ita ſancivit: *Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur a ſupra dictis teſtibus, petitioni ſuae ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis poenitentiae legibus, quamdiu ſacerdos, qui poenitentiam dederit, probaverit.* Huc etiam pertinet caput II. epiſtolae tertiae *Innocentii* a. 402. P. R. ad Exuperium, de his, qui poſt baptiſmum, omni tempore, incontinentiae voluptatibus ſunt dediti, & in ultimo poenitentiam & abſolutionem poſcunt. Ita autem ille ſcribit: *Et hoc quaeſitum eſt, quid de his obſervari debeat, qui poſt baptiſmum, omni tempore, incontinentiae & voluptatibus dediti, in extremo fine vitae ſuae poenitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior, durior; poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis poenitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines, de reconciliatione ſecuros, non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa poenitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remisſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem eccleſiis ſuis*

red-

reddidit, iam depulso terrore communionem dare abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani haeretici, negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines huiusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. Vides ergo, statim inchoante sec. V. peccatores, hactenus impoenitentes, at in extremis vitae periculis, poenitentiam & communionem, seu in corpus fidelium restitutionem desiderantes, utramque accepisse. An vero ad eucharistiam eosdem etiam admittendos esse velit *Innocentius*, sicut Concilio *carthaginiensi* iam memorato placuit, de eo quidem nihil in citatis illius verbis habetur.

CAP. IV.

Morituri pia cum amicis habebant colloquia.

§. I.

S IGNATIUS leonibus mox obiiciendus, sacris cum aliis colloquiis tempus trivisse [a] dicitur. Sec. IV. ipse Imperator CONSTANTINUS M. sentiens extremum vitae diem sibi impendere, funebrem orationem in consueto oratorio recitavit, (b) atque in ea disseruit de animae immortalitate, de iis, qui vitam pie traduxissent, &

(a) *Cave Antiqu. patr. p. 1. p. 243.*
(b) *Eusebius de vita Constant. L. 4. cap. 55.*

& de donis, quae amicis Dei apud ipſum recondita eſſent; quem contra finem habituri, qui contrariam vivendi rationem inſtituiſſent, multis rationibus adſtruxit, interitum & cladem impiorum deſcribendo. Basilius, epiſcopus caeſarienſis, non ante, quam ſacroſancta doctrina eos, qui aderant, nonnihil inſtruxerat, extremisque alloquiis meliores fecerat, animam (c) exhalavit. Gregorii nazianzeni Soror, ſermonibus ad virum, filios & amicos habitis, & praeclaris de altera vita verbis factis, tandem (d) obdormivit. Cum Ambrosius graviter decumberet, comes Stilico dixiſſe fertur, quod tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiae: quare aliis perſuaſit, ut pergerent ad Ambroſium, eique ſuaderent, ut ſibi vivendi peteret a Domino commeatum. Quod ubi ille audivit, reſpondit: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* (e) Macrina, Gregorii nyſſeni epiſcopi ſoror, graviter decumbens, cum ipſo fratre egregiam diſputationem de animae immortalitate, & corporum reſurrectione habuit, quam ille poſtea (f) conſignavit. Auguſtini mater, Monica, morti vicina, cum praeſentibus loquebatur de bono mortis & contemtu huius (g) vi-

B tae

(c) *Gregor.naz. t.1.p.371. orat.in laudem eius.*
(d) *Idem orat.in laud.illius p.188.* (e) *Vid. vitam eius*
(f) *Extat Opp.p.178. & ſeqq.*
(g) *Auguſt.Confeſſ.Lib.9.cap.11.*

tae. HILARIO eremita moriturus, contra metum mortis ita differebat cum anima sua: *Egredere, quid times? egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis serviisti Christo, & mortem* (h) *times?*

§. II. Speciatim autem in istis extremis colloquiis parentes liberos admonuere, ut timorem Dei semper custodirent, iisque optima quaeque sunt precati. Sic HELENA imperatrix, (i) imminente obitu multis praeceptis de pietate filio datis, & valedicendi benedictionibus consummatis, ex hac in meliorem vitam transivit. Similiter THEODOSIUS admodum aegrotus, utrumque filium hortatus est, ut pietatem perfectam custodirent: hac enim & pacem conservari, & bella confici, & hostes in fugam dari, & tropaea excitari, victoriamque conciliari adseruit, inter haec monita animam (k) efflans. EPHRAEM syrus in extremis agens, omnes qui ipsi aderant, ad pietatis ardorem, virtutisque exercitium adhortabatur, quamdiu halitum [l] ducebat.

§. III. Ad specialiora huiusmodi colloquia progredientes, iam laudatum EPHRAEMUM syrum, edessenae ecclesiae sec. IV. diaconum, haec audimus verba, memoratu certe digna, pronunciantem: (m) *In tota vita mea voluntario*

[h] *Apud Hieron. t. I. p. 252. in eius vita.*
[i] *Theodoritus Hist. Eccles. L. I. c. 18.*
[k] *Idem H. E. L. 5. cap. 25.*
[l] *Gregor. nyss. Encom. S. Ephraem.*
[m] *Ibidem.*

rio Deum non offendi; nunquam scurrilia & vana quaedam verba ex ore meo prodiere; nemini maledixi, neminem conviciis proscidi, nec unquam cum inopiam viro honesto lites habui. Gordius martyr cum videret amicos ipsum deflentes, sic eos adlocutus est: (n) *Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in christianos continuo grassantur: ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennae incendia, iramque in die irae thesaurizantes. Meum sollicitare, aut emollire animum desinite: ego enim pro nomine Domini Iesu Christi mille pericula, milleque mortes, si opus foret, adire sum paratus.* Augustini mater [o] moritura nihil amplius desideravit a filiis suis, quam ut memoriam ipsius ad altare fieri curarent, ubicunque fuerint.

§. IV. Nonnulli porro omnem sepulturae corporum suorum pompam interdixere; inter quos Gregorius *thaumaturgus*, qui ne proprium quidem sepulcrum desiderabat, ut nil nisi advenae cuiusdam iure, pro quo in vita sese semper habuerat, etiam post obitum [p] frueretur. Sic etiam saepae iam memoratus Ephraemus sibi adstantibus mandabat, ut solemnitates in corporis sui sepultura intermitterent omnes, nullas cantiones funebres canerent, nec orationem feralem quispiam haberet, ut praeterea precioso linteo sepulcrali corpus non involverent,

[n] *Vide Basilii serm. in Gord. t. 1. p. 405.*
[o] *August. t. 1. L. 9. confess. cap. 11. & cap. 13.*
[p] *Gregor. nyssenus orat in laud. eius.*

rent, nec epitaphium in sui honorem erigerent: nil se amplius desiderare dixit, quam quod peregrinator possideat; nam se agnoscere semet peregrinum & advenam in hac terra, quales ante ipsum patres fuerint omnes: quare petiit, ut qui ex amore in ipsum quosdam sumtus impendere corpori constituissent, pauperibus illos erogarent. [q] HILARIO [r] eremita omnes, qui in extremis ipsi aderant, adiuravit, ut ne puncto quidem horae post mortem reservaretur, sed statim ipsum in eodem hortulo terra operirent, sicut vestitus esset, in tunica cilicina, & cuculla, ac sago rustico.

(q) *Idem loc. cit.* [r] *ap. Hieron. loco citato.*

CAP. V.

Morituri quidam pauperibus omnia sua bona legabant.

§. I.

CAESARIUS, frater Gregorii nazianzeni, aulicus dignitate conspicuus, ultimam suam voluntatem sequentibus exprimebat verbis, dignis sane, quae aureis litteris scribantur: Τα εμα παντα βȣλομαι γενεσθαι τῶν πτοχων: i. e *Volo ut omnia mea pauperibus* [1] *dentur.* GREGORIUS nazianzenus similiter omnia, quae possidebat, ecclesiae nazianzenae donavit, ad pauperum illius conservationem: testamentum autem, quod fecit, exhibet *Baronius*, [2] qui, cum

(1) *Greg. naz. t. 1 p. 173 orat. in laud eius. & Basilius epist. 84. p. 156.* (2) *Annal. a. c. 389. n. 24.*

cum illud inter *Brissonii* formulas graece editum lateret, mendosum autem & valde mutilum esset inventum, vehemensque urgeret de impostura suspicio, rem contulit cum Iacobo Sirmondo parisiensi professore S. I. qui penetralia quaeque bibliothecae vaticanae perlustrans, invenit tandem in duobus antiquis codicibus num. 311. & 592. graec. lib. eiusmodi testamentum, quod contulit, emendavit, atque latinitati primus omnium tradidit. Hoc itaque descriptum Baronius annalibus suis inseruit, atque sequentem in modum sese habet:

Consulatu Favii Eucherii, & Flavii Syagrii, clarissimorum virorum, pridie calendas Ianuar.

GREGORIVS episcopus catholicae Constantinopolis ecclesiae, vivens ac prudens, sanoque consilio, & integris sensibus condidi hoc testamentum: quod quidem iubeo & volo ratum esse, firmitatemque in quolibet foro & quomodolibet obtinere. Iam enim mentem meam manifestam feci, & meam omnem substantiam catholicae Nazianzi ecclesiae consecravi ad pauperum, qui sub eadem sunt ecclesia, ministerium: ob eamque causam tres praefeci iuxta hanc meam voluntatem ptochothrophos, pauperum curatores; Marcellum, diaconum ac monachum; Gregorium item diaconum, qui fuit de familia mea, & Eustathium monachum, qui & ipse fuit e domo mea. Nunc vero eundem animum retinens erga sanctam ecclesiam nazianzenam, eodem persto in proposito.

Cum igitur contigerit, me ex vita decedere, haeres meus esto Gregorius, diaconus & monachus, domesti-

mesticus quondam meus, quem pridem manu misi, ex universa substantia mea mobili, & immobili, ubicunque ea mihi sita est: ceteri omnes exhaeredes mihi sunto, ita quidem, ut meam omnem substantiam mobilem & immobilem sanctae catholicae Nazianzi ecclesiae ipse restituat, nihil penitus subducens, praeterquam quae hoc testamento quibusdam privatis reliquero, legati aut fidei commissi gratia, sed omnia, ut praedixi, diligenter servet ecclesiae, Dei timorem prae oculis habens, sciensque, iam a me decretum, ut omnia mea illius ecclesiae pauperum ministerio cedant, in eamque rem se institutum haeredem, ut per ipsum ecclesiae omnia sine fraude conserventur.

Servos quoscunque vel mea voluntate, vel beatissimorum parentum meorum mandato manumisi, hos omnes nunc etiam liberos manere volo, & peculia sua sibi habere, absque ullo impedimento.

Volo praeterea, haeredem meum Gregorium diaconum una cum Eustathio monacho, ambos olim e domo mea, possidere praedium arianzenum, quod ex Regini bonis ad nos pervenit: gregales vero equas & oves, quotquot iam ipsis praesens dari iussi, quarumque proprietatem ipsis ac dominium tradidi, has ipsis quietas manere volo, iure dominii. Per praeceptionem item, Gregorium diaconum & haeredem meum, qui mihi fideliter ministravit, privato iure dominii habere volo aureos numero quinquaginta.

RVSIANAE virgini venerandae, propinquae meae, certa condicta in annos singulos dare iussi, unde vitam libere traducat: quae quidem omnia eidem, quemadmodum perscripsi, volo & iubeo sine mora

mora praestari. De habitatione autem tum quidem propterea nihil statui, quod nescirem, ubinam ipsa degere mallet: nunc vero & hoc volo, quocunque ipsa loco elegerit, parari ei domum ingenuae, congruentem ad honestam virginis habitationem: quam utique domum sine interpellatione habebit ipsa in usum fructum, quoad vixerit, postea restituat ecclesiae. Addi praeterea eidem volo puellas duas, quas ipsa delegerit, hoc nimirum pacto, ut cum ea morentur puellae usq; dum vivet: & siquidem illi ita visum fuerit, liceat ipsi libertate eas donare, sin minus, & illae quoque ad ecclesiam pertineant.

THEOPHILVM puerum, qui mecum perseveravit, iam manumisi: volo autem ei nunc etiam dari legati nomine nummos quinque, Eupraxium vero eius fratrem liberum esse volo, eique legati nomine dari aureos nummos quinque. Volo praeterea Theodosium notarium meum liberum esse, eique legati nomine dari aureos nummos quinque.

ALIPIANAM, filiam meam dulcissimam (ceterarum enim Eugeniae & Nonnae exigua ratio ducenda est, ut quarum vita reprehensione non vacat) veniam mihi dare volo, quod nihil possim illi relinquere, quippe qui omnia iam pauperibus destinavi, aut potius beatissimis parentibus, qui ita polliciti erant, obsecutus sum, quorum mentem violare, nec sanctum, nec tutum arbitror. Quaecunque igitur ex beati fratris mei Caesarii rebus in veste serica, aut linea, aut lanea, vel burichaliis supersunt, haec ad ipsius liberos pertinere volo, & nulla in re ipsam, vel sorores ipsius molestias esse vel haeredi meo, vel ecclesiae.

MELETIVS gener meus, praedium apenzinsenum, quod Euphemii erat, sciat, se mala fide possidere: de quo quidem etiam antea scripsi saepius Euphemio, ignaviam eius reprehendens, nisi sua recuperaret. Et nunc testor omnes magistratus, & qui sub magistratu sunt, iniuriam fieri Euphemio: oportet enim praedium Euphemio restitui. Emtionem fundi Canotalorum reverendissimo filio, episcopo Amphilochio redintegrari volo: constat enim ex chartis nostris, idque norunt omnes, quod & solutus fuerit contractus, & pretium receperim, proprietatemq; ac dominium possessionis iam pridem tradiderim.

EVAGRIO diacono, qui multorum mecum laborum & curarum particeps, in multis suam mihi benevolentiam commendavit, gratiam habeo coram Deo & coram hominibus: ac maiora quidem ipsi Deus retribuet. Ne vero parva etiam amoris symbola praetermittamus, volo ei dari camasum unum, tunicam unam, pallia duo, aureos nummos triginta. Similiter dulcissimo condiacono nostro Theodulo dari volo camasum unum, tunicas duas ex iis, quae sunt in patria, aureos viginti ex patriae item rationibus. Elaphio notario, qui & bene moratus est, & quo tempore fuit in obsequio, belle nos refocillavit, dari volo camasum unum, tunicas duas, pallia tria, sigillionem in patria, nummos aureos viginti.

Hoc meum testamentum ratum ac firmum esse volo in omni iudicio, & quomodocunque: quodsi tanquam testamentum vim non habuerit, ut voluntatem ipsum ultimam seu codicillum valere volo. Qui vero ipsum evertere tentaverit, rationem reddet in die iudicii. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. GRE-

GREGORIVS episcopus catholicae Constantinopolis ecclesiae relegi testamentum, & omnia probans, subscripsi manu mea, & vim obtinere volo, ac iubeo.

AMPHILOCHIVS episcopus catholicae Iconii ecclesiae interfui testamento reverendissimi episcopi Gregorii, & ab eo rogatus subscripsi manu mea.

OPTIMVS, episcopus ecclesiae antiochenae, interfui, cum reverendissimus episcopus Gregorius testamentum suum, ut supra scriptum est, disponeret.

THEODOSIVS, episcopus catholicae ecclesiae Hydae, praesens fui testamento reverendissimi episcopi Gregorii, & ab eo rogatus, subscripsi manu mea.

THEODVLVS, episcopus sanctae catholicae Apameae ecclesiae praesens fui &c.

THEMISTIVS, episcopus sanctae catholicae Hadrianopolis ecclesiae praesens fui &c.

Cledonius, presbyter catholicae Iconii ecclesiae praesens fui &c.

Iam in iisdem codicibus vaticanis nomen eius, qui ex archivo nazianzeno hoc testamentum edidit, habetur his scriptum verbis:

Ioannes, sanctissimae Nazianzi ecclesiae lector, & notarius, exemplum divini testamenti, quod in sanctissima ecclesia mea reconditum est, sancti, & illustris, ac theologi Gregorii exscripsi, & edidi.

Habes igitur, lector, Gregorii testamentum: quod cum Baronio pro genuino agnoscit *Guilielmus Cave*, (3) cum obiectiones omnes

B 5 facile

(3) *Antiqu. Patr. P.2.in vita Gregorii nazianz. p.702.& seq.*

facile possint dilui, unde nec ipse *Rivetus* (4) acutissimus alioqui criticus, lites de illo movere dubitat. Putat autem laudatus Cave, illud non longe ante abdicationem sedis constantinopolitanae ab eo fuisse conditum, & quidem, cum infirmitate corpus eius sit afflictum. *Baronius* eiusdem fere est sententiae, prope tempus concilii constantinopolitani id conditum sentiens, unde pro Ianuario legit Iunio, & sic in mensem irrepsisse errorem statuit: etenim nec in codice, quem nactus sit Brissonius, nec in altero e duobus vaticanis nomen mensis expressum esse. Nam paulo ante concilium id ab eo factum, persuadere illud, quod ea oratione, quam tunc Constantinopoli ante concilium in Maximum habuerit, inter alia suis se cunctis iam privasse bonis ostendat his verbis: *Paupertatem obiicient? Quid ego audio? meas opes & copias? atque utinam & pannos hosce exuere possem, ut huius vitae spinas nudus percurrerem.* Et inferius: *Sed pecunias eripient? quas tandem? si meas, quin eadem opera pennas quoque excidant, quibus cinctus non sum.* Deinde Gregorium testamentum fecisse, quo pauperibus omnia sua legaverit, in ipsius scriptis, ait, tacite saltem memorari: etenim ad hoc ipsum allusisse eum videri, cum post discessum Constantinopoli scribens ad constantinopolitanos sacerdotes, & populum, haec habeat in fine: *Haec verba Gregorii sunt, quem aluit Cappadocia,* quippe

(4) *Crit. Sacr. L. 3. c. 22. p. 343.*

quippe se facultatibus omnibus orbavit, ut eas Christo offerat. Praeterea eum in carmine, post reditum ex urbe constantinopolitana facto, hunc habere versum;

Cessi invita aliis, mente libente aliis: duplicem his verbis abdicationem Constantinopoli a se factam insinuantem, invito animo alteram, sedem nempe constantinopolitanam, alteram sponte, cum pauperibus sua donaret. Tametsi vero saepe laudatus Gregorius post conditum istud testamentum non statim e vivis excessit, sed octo adhuc annis vixit, tamen illud huc non incongrue referendum putavimus, quoniam ipse illud tanquam ultimam suam voluntatem valere voluit, ut expressis ab eo verbis in testamento fuit indicatum. Ceterum ad obiectionem, quam quispiam contra illud primo intuitu formare posset, hanc nempe, quod in eo filiae, & generi sui meminerit Gregorius, cum tamen in coelibatu vixerit, respondet Baronius, filiam non naturalem, sed spiritualem intelligendam esse, cum ille in suis scriptis plus quam quingentos filios & filias nominet, qui tamen ab eo geniti ex coniuge esse non possint. Pro genero autem in graeco legi γαμβρός, quae vox non modo generum, sed affinem quemlibet ex omnium graecas litteras callentium confessione denotet.

CAP.

CAP. VI.

Morituri preces ad Deum fundebant tum pro se, tum pro aliis, inimicis non exclusis.

§. I.

SIGNATIUS, mortis candidatus, ecclesia protectioni atque curae Servatoris commendata, ardentissime Deum rogabat, ut coeptae persecutioni finem mox imponeret, & christiani sincera inter se invicem caritate coniuncti, una ac eadem mente omnes (a) gauderent. POLYCARPUS iam ad palum vinctus, magno animo Deum incipiebat celebrare sequentibus [b] verbis: *Pater unigeniti, & benedicti filii tui Iesu Christi, per quem tui notitiam accepimus; Deus angelorum, & potestatum, & universae creaturae, omniumque iustorum, qui vivunt in conspectu tuo, praedico te, quod hac die, & hora hac me dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum, & in calice Christi tui, in resurrectionem vitae aeternae, animae simul & corporis, in incorruptione Spiritus sancti: inter quos, quaeso, suscipiar hodie in conspectu tuo, tanquam hostia pinguis & accepta, quemadmodum praeparasti, adimplens ea, quae ante revelasti, o mendacii expers & vere Deus! Quapropter etiam de omnibus te laudo, te praedico, te glorifico per aeternum summum sacerdotem, Iesum Christum, dilectum filium tuum; per quem tibi cum illo in Spiritu*

[a] *Cave in vita eius.* [b] *Eusb.H.E. L.4.c.15.*

Spiritu S. gloria & nunc, & in futura secula, amen. MARTYRES quidam, Thebaide passi cum gaudio ac hilaritate, ridentes, capitalem sententiam excepere, adeo ut in laudem conditoris omnium Dei psalmos, hymnosque & gratiarum actiones ad extremum usque spiritum [c] concinerent. CONSTANTINUS Imperator, extremum vitae diem sibi imminere sentiens, tempus tandem adesse existimabat, qno totius vitae delicta expiaret: quare genu flexo veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua [d] confitens. Eiusdem filius CONSTANTIUS [e] sub vitae finem trium rerum poenitentia ductus est; primum quod propinquis suis necem intulisset: alterum quod Iulianum apostatam Imperatorem nominasset: postremum erat, quod novis fidei dogmatibus studuisset, quorum delictorum omnium remissionem a Deo supplex quaesivit. BASILII MATER in extremis agens, pro liberis absentibus primum Deum orabat, iisque benedicebat: deinde manibus duorum praesentium, Macrinae nempe & Petri adprehensis, ita illos Deo commendabat: *Tibi, o Domine, trado & primitias, & ultimum meorum liberorum, alterum primum, alterum ultimum uteri mei foetum: uterque tuus est, idcirco tibi eos trado: sint tecum prorsus (f) sanctificati.* De GREGORIO thaumaturgo

(c) *Idem L.8.c.9.*
(d) *Idem de Vita Constant. L.4.c.61.*
(e) *Gregor.naz. t.1.p.389.Orat.in laud. Athanasii.*
(f) *Nyssenus de vita Macrinae p.186.Cave Antiqu. eccles.p.2.p.594.*

turgo, qui sec. III. floruit, memoratu digna refert Gregorius nyssenus: (g) *Vbi suum obitum, ait, sensit, studiose diligenterque totam urbem, agrumque praevicinum perscrutatur, scire volens, ecqui adhuc essent extra fidem relicti. Vt igitur cognovit, non plures septendecim esse, qui in antiquo errore permansissent, acerbum quidem etiam hoc, inquit, ad Deum suspiciens, deesse aliquid eorum plenitudini, qui servantur; verum-tamen magna gratiarum actione dignam rem esse aiebat, quod totidem simulacrorum cultores relinqueret ei, qui sibi successurus esset in ecclesia, quot ipse christianos accepisset. Precatus autem & iis, qui iam credidissent, incrementum ad perfectionem, & incredulis conversionem, ita ex vita humana ad Deum migrat.*

§. II. Alii pro omnibus omnino hominibus tam pro fidelibus, quam infidelibus, immo pro ipsis inimicis ad Deum preces fudere: inter quos Paulus martyr praeclare sese commendavit, uti *Eusebius* (h) his memorat verbis: *Paulus martyr, cum carnifex caput iam iam esset praecisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitavit, eoque impetrato, contenta voce primum quidem pro universa christianorum gente preces ad Deum fudit, orans, ut iisdem reconciliari vellet, utque pax illis ac securitas quamprimum restitueretur: tum pro iudaeis supplicavit, ut per Christi fidem ad Deum conversi, accederent. Deinde ordine progressus eadem pro Samaritis obsecravit: posthaec pro gentilibus, qui errore mentis implicati, & ignorantia obcaecati*

(g) *Opp. p. 311. de vita eius.*
(h) *H.E. L. 8, cap. 8.*

evocati tenebantur, Deum precatus est, ut ad eius agnitionem tandem pervenirent, veramque religionem susciperent. Sed nec promiscuae circumstantium turbae mentionem praetermisit. Post hos omnes, o vere eximiam & inexplicabilem animi mansuetudinem! pro ipso iudice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat, pro Imperatoribus, ac pro ipso etiam carnifice, qui cervicem ipsi iam iam erat praecisurus, illo ipso, & cunctis, qui aderant, audientibus, supplex Deum rogavit, ne, quod in ipsum admittebant facinus, illis imputaretur. Huc etiam spectat protomartyris Stephani exemplum; quatenus pro inimicis orantem eum audimus, *Domine, ne appendas illis peccatum hoc:* q. d. ne inimicis peccatum istud, quod me insontem tam crudeliter interficiunt, velut debitum quoddam appensum imputes, o Christe, fili Dei, nec illud postea ab iis exigas, sed remitte poenam.

CAP. VII.

Morituri osculabantur amicos. Signo crucis se signabant. Animas suas Deo commendabant.

§. I.

Osculum dabant morituri amicis valedictorium in supremum caritatis pignus. Sic martyr Abib diaconus, postquam erat precatus, omnibusque ipsum sequentibus, matri videlicet, & cognatis benedixerat, osculum iis dedit in Domino (1). Theodosius Imperator, morti

[1] *Baron. annal. A. D. 316. n. 51.*

morti vicinus, Honorium filium paternis osculis, amplexibusque constrinxit, & traditis occidentalis imperii gubernaculis, ad meliora (2) migravit.

§. II. Nonnullos porro moribundos signo crucis se signasse reperimus. GORDIUS (3) nempe martyr crucis signo se communiebat, antequam ad supplicium contenderet. PAULA mater, (4) femina nobilis, digitum ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis, quo facto, emisit Spiritum. AMBROSIUS, aut quisquis citati commentarii auctor sit, magni aestimat hanc caerimoniam: nam cum rationem reddit, quare mortui non sint lugendi, his utitur verbis: (5) *quia si resurrectio mortuorum creditur, non sunt lugendi, qui cum signo crucis exeunt.* Placuit autem antiquis hoc signum in extremis ideo, ut per id significarent, se in fide in Iesum crucifixum iam ex hac vita emigrare, & per illam tantum coelestia impetrare gaudia velle atque posse. Fuit etiam huic crucis signo perterrefactio & fugatio daemonum tributa, ut ex quadam Gregorii M. sec. VI. Pontificis romani relatione (6) colligitur. Narrat enim

(2) *Ruffinus in H.E.L.2.c.34.*
(3) *Basilius t.1.p.405.orat.in eum.*
(4) *Hieron.t.1.p.282.in epitaphio eius.*
(5) *t.4.in epist.ad thessalon.cap.4.*
(6) *Homil. 38. in evangel. Conf. Athanas. concionem ad fratres suos, & Vita Anton. ab eo descripta.*

enimvero ille, quempiam, vehementi oppressum morbo, gravem in tentationem aliquando incidisse: tum autem fratres, qui convenissent, ut orando excessum eius protegerent, ad eum dixisse: *Quid est, quod loqueris, frater? signum tibi sanctae crucis imprime.* Chrysostomus (7) vero *fidei adfectum magnum* vult *coniungi cum externa crucis in fronte aut alibi signatione, si nullus daemonum nos laedere debeat, & universam crucis causam tunc verti*, ait, *quando cruce nos signamus.*

§. III. Denique animam suam, tanquam concreditum sibi huc usque a Deo pignus, in manus eius reddidere. Nota sunt ultima STEPHANI haec verba: *Domine Iesu, recipe spiritum meum.* BABYLAS martyrio coronandus haec sibi accinuit: (8) *Convertere, anima mea, ad quietem tuam: Dominus enim respexit te.* BASILIUS, haec elocutus, *In manus tuas commendo spiritum meum*, animam laetus (9) exhalavit. Gregorius nazianzenus (10) de PATRE, *Quomodo*, ait, *vitam claudit? In orationis verbis ac gestibus.* Idem de sorore GORGONIA: [11] *Psalmodia erat id, quod submussitabat, atque psalmodiae verba, ad exitum pertinentia, ac beatus ille, qui cum verbis illis extremum vitae spiritum claudet: In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Haec & a te, o mulierum praestantissima, canebantur.*

C De

(7) *Homil. 55. in Matth. 16.* (8) *Chrysost. homil. de S. Babyla. Cave Antiqu. Patr. in vita eius.*
(9) *Nazianz. t. 1. p. 371. orat. in laud. illius.*
(10) *Orat. 19. p. 313.* [11] *orat. 11. p. 189.*

De piis, quos alii circa morituros observarunt, ritibus.

CAP. IIX.

Morituris aderant necessarii, ac amici, inter quos plures saepe episcopi erant. Preces pro illis fiebant tum domi, tum in templo.

§. I.

QVomodo morituri sese gesserint, vidimus: restat, ut exponatur, quas caerimonias alii circa morituros observarint. Primum itaque deprehendimus, necessarios, aliosque fideles in exitu positis adfuisse: nam de sorore germana sic refert nazianzenus: (a) *Iam solvebatur, atque extremos efflabat spiritus, & circum illam tum propinquorum tum exterorum chorus erat, & vetulae matris spiratio, animaeque distortio, discessum zelotypia prosequentis.* Spiritualis etiam illius pater tunc aderat, qui accurate observabat omnia, quae illa faciebat, & dicebat, eodem Gregorio teste. (b) Plures autem sacerdotes, ac episcopi aliarum urbium, interdum circumdederunt moribundum, veluti Paulae, nobili piaeque feminae, Hierosolymorum, aliarumque etiam urbium episcopos, & sacerdotes inferiorum graduum, ac levitarum innumerabilem adfuisse multitudinem, narrat Hieronymus. (c)

§. II.

(a) *Orat. in laud. eius t. 1. p. 188.*
(b) *Ibidem p. 188. 189.* [c] *Ad Eustoch. t. 1. p. 182.*

§. II. Hi vero omnes donabant morituro τα προπεμπτηρια (d) h. e. ista officia, quibus ex hac vita migrantem prosequi solemus; inter quae priorem sine dubio locum cantiones, & preces habent, quae pro beato eius obitu ad Deum fiunt. *Iustinus* martyr, qui circa medium sec. II. adhuc floruit, ipsos morituros ita adhortatur: (e) *Christus in cruce ad Deum orans, ut ne quis animae suae dominaretur, exemplum nobis reliquit, ut & nos, cum iam ad exitum vitae sumus, a Deo eadem poscamus, qui avertere potest omnem impudentem, & malignum angelum, ne animam nostram capiat. Quapropter migraturi ex hac vita, oremus, ne animae nostrae sub talem aliquam virtutum cadant: nam spiritum in cruce reddens Christus dixit:* Pater in manus tuas depono spiritum meum, *sicut & hoc ex commentariis apostolicis didici.* Quae quidem verba expresse non nisi morituro praescribunt, quid ipsi agendum sit: ast implicite eadem & aliis fidelibus preces pro beato moribundi excessu iniungere, quis neget? Hinc *Iulianus* sec. VII. scriptor ita (f) scribit: *Quia & diabolus extrema vitae nostrae suis laqueis innectere nititur in ipso exitu, piis fratrum precibus, & sedulis psalmodiae officiis muniamur. Longe ille semper repellitur, nec audet, se nociturum, divinis ingerere castris, ubi audit nomen Domini per ora concinentium fideliter resonare:*

C 2 quot-

(d) *nazianz. iam citato loco.*
(e) *Dialogo cum Tryph. iud. p. 332. & seq.*
(f) *Prognost. L. 2. c. 17.*

quosdam enim legimus in hora exitus sui ab adsistente diabolo, & insidiante, fraternis precibus & psalmodiae frequentia liberatos: unde non est dubium, quin cum pii fideles, & verissimi christiani ex hoc seculo transeunt, si sedula & frequens fratrum adiuverit oratio, non eos audeat contingere malignorum spirituum cruenta incursio. Non tantum autem domi in morituri praesentia, sed etiam eo absente in templo orationes pro illo fiebant, sicut antiquae liturgiae e.g. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, ac reliquorum omnes ostendunt, continentes etiam preces pro infirmis. Sequiori autem aevo commendabant Deo aegrotos potissimum in templo, ex ea ratione, quod putabant, maiorem ibi preces efficaciam habere, & citius a Deo exaudiri, quam aliis in locis (g) factas. Sic Ivo carnotensis in chronico refert, quod cum instaret obitus S. BENEDICTI, Maurum cum S. Romano templum esse ingressum, *ubi mortem in somnum cum precibus & psalmis pro beato moribundi excessu traduxerit.* Non autem pro beato tantum exitu, sed etiam pro morituri sanitate obnixe admodum rogarunt. Sic factum fuisse legimus, cum venerabilis Gregorii nazianzeni PARENS in extremis agere videretur: nam tum nec medicorum artes, nec propinquorum quamlibet assiduae preces morbo depellendo pares esse (h) poterant: cumque BASILIUS extremos spiritus duceret, tota civitas

(g) *Hildebrandus de precibus veterum* § 28.
(h) *Nazianz. t. I. p. 304. orat. in laud. eius.*

tas, iacturam hanc aegerrime ferens, ac discessum perinde ut tyrannidem accusans, eius animam non secus, ac si retineri, atque vel manibus vel precibus cogi posset, arripere studebat. Et huiusmodi supplicationes similiter saepe in templo sunt factae, quemadmodum sequens docet exemplum. (k) PARENTE nazianzeni theologi iam iam discessum minitante, in templo erat laudatus filius cum aliis, festum celebrans paschatos: *quid dicam, festumne ut agerent, an ut lugerent? an ut eum, qui non iam heic esse videbatur, funebribus honoribus afficerent? O lacrymas illas, quae ab universa plebe tum fusae sunt! o voces & clamores, qui psalmorum cantibus admiscebantur! A templo sacerdotem, a mysterio sacrorum antistitem, a Deo dignum* παραστατην *requirebant!* Addit ille: *Et haec praecinente mea Maria, & tympanum pulsante non triumphale, sed supplex atque moestum, ac tum primum pudorem prae dolore deponente, populumque simul ac Deum magnis clamoribus implorante, illum, ut dolenti condoleret, certatimque cum ea lacrymas profunderet; hunc, ut orantes exaudiret:* quod etiam quodammodo factum.

[i] *Idem orat. in eum p. 371.*
[k] *Idem orat. in patris laud. p. 304.*

CAP. IX.

De extrema unctione, seu an moriturum oleo inunxerint antiqui christiani?

§. I.

DE extrema unctione nonnulla dicendi, ansam

ſam nobis dat eccleſia romana aeque ac graeca hodierna. Illa (1) tradit, Servatorem noſtrum, quemadmodum auxilia maxima in ſacramentis aliis praeparaverit, ita extremae unctionis ſacramento finem vitae, tanquam firmiſſimo quodam praeſidio muniviſſe, & hanc unctionem tanquam vere & proprie dictum ſacramentum N.T. ab eo apud Marcum quidem inſinuatum, (alii legunt *inſtitutum*) per Iacobum autem apoſtolum fidelibus commendatum ac promulgatum. Materiam huius ſacramenti oleum eſſe benedictum ab epiſcopo: illud enim aptiſſime Spiritus ſancti gratiam, qua inviſibiliter anima aegrotantis inungatur, repraeſentare. Formam conſtituunt hisce in verbis: *Per iſtam unctionem, & per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid peccaſti:* (oculus dexter & dein ſiniſter ungitur) *per viſum Amen.* Pergit ad aures dextram & ſiniſtram, eadem fere formula repetita, niſi quod dicatur, *per auditum.* Hinc utriusque naris extremitatem contingit, dicens: *quicquid peccaſti per odoratum.* Deinde extrema labia eademque compreſſa inunguntur, verbis iisdem pronunciatis, cum addito, *quicquid peccaſti per guſtum, & illicitum ſermonem.* Ad pectus proceditur, cum verbis: *per cogitationem*: ad manuum palmas, dicendo: *per tactum*: ad pedes: *per inceſſum. Amen.* Oratio ſtatim ſubiicitur: *Inunxi te in nomine patris, & Filii, & ſpiritus ſancti, oleo ſancto, ut in virtute Spiri-*

(1) *Vid. Concil. trident. de Extr. Vnct.*

Spiritus sancti tribuat tibi haec unctio sanitatem animae & corporis, & remissionem omnium peccatorum, & vitam aeternam. Amen. Item: *Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum, tribuat tibi omnipotens, & misericors Deus.* Inter reliquas preces sancti etiam invocantur, ut pro aegri salute Deum precentur. Deinde datur benedictio super infirmum, & sacerdos ab eo digressurus hac deniq; consolatione eundem confirmat: (2) Geliebter in Christo / dieweil du in dieser deiner anliegenden noht nach gewisser verheissung und zeugnus der Schrifften / durch Gottes gnade in jetzt-empfangenem heil. Sacrament deine schwachheit ersetzt und gestärckt hast; so wollest du in dem gütigen Gott/und seiner gnaden getrost seyn / und wider alle anfechtung der sünden und des teufels tapffer kämpffen und streiten / und in keinen zweifel setzen/ der allmächtige Gott der zu erbarmen mild und geneigt ist / werde deine sünden in den vielen und theuren verdiensten Christi deines Erlösers leicht verbergen und deine mishandlung um Christi willen / der ihm wohl gefällt / des glied du worden bist / leicht vergessen / und wider alle anstellung und dräuung des teufels durch seine gnade dich wohl erhalten / daß du für der gewalt des feindes wohl sicher bleiben wirst in Christo deinem Erlöser/der schon den teufel zuvor für dich

(2) *Agenda coloniensia de a. 1637. & moguntina de a. 1599. p. 175. quamvis in vetustioribus moguntinis de a. 1513. haec oratio non contineatur. Conf. Wurzburgensis de a. 1564. p. 91.*

überwunden / und krafftlos gemachet hat. In demselben deinem Seeligmacher wirst du wohl von sünden und verdammnüß erlöset werden/und deine seele in die gewisse seeligkeit erhalten mögen: dis verleihe dir und uns allen der allmächtig/ gütig und erbarmend Gott / durch Christum Jesum unsern Herrn Amen. Effectum porro & fructum huius sacramenti dicunt, esse delictorum, si quae sint adhuc expianda, expiationem,ac peccati reliquiarum absterſionem, animae aegroti alleviationem, & confirmationem, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, morbi incommoda ac labores levius ferat, & tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistat,atque sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequatur. Docent praeterea, ministrum esse aut episcopum, aut sacerdotem, ab ipso rite ordinatum per impositionem manuum presbyteri. Subiectum denique huius unctionis esse infirmos, illos praesertim, qui tam periculose decumbant, ut in exitu vitae constituti videantur, unde illam & sacramentum exeuntium nuncupari.

§. II. Doctrina romanae ecclesiae hac de re prolata, illam quae graecae hodiernae propria est, videamus. Vnctionem itaque hanc infirmorum, quam ευχελαιον vocant, a Iacobo institutam sentiunt, eiusque materiam esse oleum sacrum, quod sacerdotibus tantum conficere liceat, & purum absque omni condimento,

mento, & mistura esse oporteat. Ministri, seu qui hunc ritum administrant, soli illis sunt sacerdotes, & quidem septem illorum in hunc finem sunt congregandi, quorum unusquisque partim ungendo, partim precando munere suo seorsum fungitur. Non tamen numerus ille septenarius ita exigendus, quin saltem per tres id peragi possit. Forma consistit in eo, quod aegrotantium frons, aures, ac manus oleo hoc sacro obliniantur, precibus simul adiectis, unde εὐχέλαιον h.e. *oleum cum oratione* appellatur, cuius formula extat in Euchologio huiusmodi: *Pater sancte animarum, corporumq; medice, qui misisti unigenitum tuum filium, dominum Iesum Christum, omni morbo medentem, & a morte redimentem, sana quoque servum tuum N. a corporali & spirituali, quae illum detinet, infirmitate, illumque vivifica per tui gratiam intercessionibus sanctissimae Dominae nostrae Deiparae, & semper virginis Mariae, protectionibus venerandarum supra coelestium virtutum incorporearum, virtute pretiosae & vivificae crucis, honorandi, & gloriosi prophetae, praecursoris, & baptistae Ioannis, sanctorum gloriosorum, & toto orbe celebrium apostolorum sanctorum, gloriosorum, & victoriis clarorum martyrum, & Deiferorum patrum nostrorum, sanctorum medicorum, mercede non conductorum Cosmae & Damiani, Cyri & Ioannis Pataleonis, & Hermolai, Sampsonis & Diomedis, Photii & Aniceti, sanctorum & iustorum Dei parentum, Ioachim & Annae, & omnium sanctorum; quia tu es fons sanationum,*

Christe Deus noster, & tibi gloriam referimus, Patri, Filio, & Spiritui sancto nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Subiectum porro, cui oleum hoc adplicatur, est potissimum in extremis laborans: nam ab aliis extra periculum mortis longe positis, vel doloris leniendi, vel aegritudinis leviusculae sanandae causa, vel in spirituale gaudium, munimenve adversus infensissimum, quocum confligendum erit, animarum hostem, modo id expetant, (expetunt vero saepissime) ungendis non abstinent. Effectum deniq; aiunt esse duplicem, peccatorum scilicet remissionem, sive salutem animae, & sanitatem corporis, quae utut non semper obtineatur, certe remissionem peccatorum, in poenitente semper obtineri. Sic hoc graecorum euchelaeum exponunt *Thomas Smith* (3) anglus, *Normannus*, (4) & *Metrophanes* (5) *Critopulus* graecus: notandum vero, ultimum auctorem quoad subiectum unctionis dissentire a iam laudato scriptore anglicano, dum adserit, hoc euchelaeum non vocari extremam unctionem; neque enim aegroti extrema se exspectare, verum bene adhuc de valetudine eius sperantes, uti isto mysterio, sive mystica caerimonia, precantes Deum, ut sanare eum velit, atque a morbo quam citissime liberare. Diu ante illum idem indicavit *Simeon* thessalonicensis, (6) qui

(3) *epist. de hodierno graecae ecclesiae statu p. 175.*
(4) *Versione lat. confessionis eccles. orient. orthodoxa.*
(5) *Confessione eccles. orient. cap. 13. p. 121.*
(6) *de septem sacramentis.*

qui ſec. XIII. vixit, reprehendens ſimul latinam eccleſiam, quod doceat, ſolis moribundis id tribuendum eſſe. Verba illius ita ſonant: *Heic quaedam alia quoque latinorum, res novas molientium, deſtruitur ſententia; hi enim adſerunt, ſanctum oleum non ſpem vitae aliquam habentibus, ſed ſolis moribundis tribuendum eſſe, quandoquidem remiſſionem praebet peccatorum, contra verba apoſtolica, ut in omnibus aliis, ita etiam hac in re & ſentientes, & facientes. Cum enim Dei frater Iacobus clamet:* Eriget eum Dominus, *iſti aiunt, illis, qui non eriguntur, eſſe praebendum.* Hodiernos itaque graecos, dum, teſte Smitho, potiſſimum in extremis laborantes inungunt, maiorum praxin & uſum dereliquiſſe, in aperto eſt poſitum.

§. III. Diſquirendum iam venit, num doctrina haec, de unctione moriturorum, & praxis tam graecae quam romanae eccleſiae in primitiva eccleſia apoſtolica, eamque ſubſequente chriſtiana per quatuor priora ſecula, & ulterius, obtinuerit. Adducunt illius patroni tam graeci quam romani pro ſua doctrina ex cap. V. epiſtolae Iacobi haec verba inſtar fundamenti: *Si quis inter vos infirmus eſt, advocet presbyteros eccleſiae, qui orent ſuper illum, ungentes eundem oleo in nomine Domini: tum oratio fidei ſervabit laborantem, atque Dominus illum eriget: & ſi peccatum commiſerit, ei illud remittetur.* Iam quidem verba haec ſatis clare docent, [1] inſtitutam & commendatam eſſe chriſtianis unctionem infirmorum, (2) materiam illius eſſe oleum, (3) formam

formam consistere in eo, quod unctio haec cum precibus presbyterorum ecclesiae in nomine Domini peragatur, (4) ministros esse presbyteros ecclesiae, (5) subiectum esse infirmum, atq; morbo quodam oppressum, poenitentem, & misericordiam divinam anhelantem, & denique (6) fructum atque effectum sequi hunc, tum ut infirmus servetur a Deo, & sanitati restituatur, tum ut istud peccatum, quod commisit, ei condonetur: non autem Iacobus praecipit, in extremis potissimum agentes debere inungi, nec oleum benedictum a sacerdote necessario requirit, nec promittit abstersionem reliquiarum peccati, sed peccati vel unius, vel plurium voluntariorum ac mortalium remissionem, quando nondum illud remissum, aut nondum illa remissa fuerint propter impoenitentiam peccatoris. Vt autem clarius appareat verus loci huius sensus, audiamus, quaeso, Ioannis *Sauberti*, (7) doctoris in duabus academiis bene meriti, in eum observationes non contemnendas; praemissis enim quinque hypothesibus mentem apostoli ille putat esse hanc: *Si inter vos, qui ex iudaismo ad christianismum estis conversi, aliquis ex morbo decumbat, facessant in coeca & obstinata gente vestra ista hactenus adeo usitata magica amuleta, nefandae incantationes, & superstitiosae mussitationes, circa applicationem medicamentorum, unguentorum, & olei adhiberi consuetae: contra ungatur*

(7) *Opp. posth. in selectt. Script. S. locorum explicat. p. 253. & seqq.*

gatur aegrotus, quod licet, oleo, sed id fiat in nomine Domini, ita quidem, ut accersantur presbyteri ecclesiae, & ab iis instituantur, non iudaicae, immo diabolicae mussitationes, verum illarum vice preces ardentes ex vera in Christum fide profluentes, quae Dei invocatio, unanimi devotione peracta, accepta erit Deo, usumq; habebit multo maximum, (quem versu 15. explicat) *adeoque longe insignioris erit efficaciae, quam impiae istae iudaicae artes & praestigiae.* Hactenus Saubertus. Quam explicationem omnino esse admittendam, ipsa ecclesiae antiquae praxis monstrat. Ita enim *Eligius* (8) lemovicensis: *Propterea, quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quaerantur praecantatores, non divini sortilegi, non sortilegorum genus, neque per fontes, aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur; sed cum aegrotat, in sola Dei misericordia confidat, & eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundum apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus.* Vnde ipsi etiam apostoli, ut ecclesiae exemplum relinquerent, superstitiosos circa infirmos ritus fugere omnes, omnibus aliis caerimoniis relictis, oleo tantum infirmos unxere, additis sine dubio

(8) *in serm. illo sub tit. Tract. 20. de rectitud. cathol. conversat. qui extat in Append. t. IX. Aug. Vide etiam L. 2. de visit. infirm. c. 4. & serm. 215. de temp. quos tractatus quidam Augustino tribuunt alii autem, inter quos ipse Bellarminus, incertum esse auctorem, fatentur.*

dubio quadam ad Deum oratione pro infirmo: qua ratione multos etiam curarunt, non quidem per insitam oleo isti efficaciam, tali effectui producendo parem, sed per donum sanationum, ipsis a Christo concessum, & post preces ad Deum ordinarie sese exerens, ad quas tantum significandas oleum infirmis adplicarunt, cum illud optimum sanationis symbolum sit, eo quod habet vim leniendi & sanandi. Quamvis autem Iacobus infirmo, tam pie sese gerenti, promittat corporalem sanitatem, tamen non est mens illius, illam semper & certo iri obtentum: nam ita nullus illorum infirmorum fuisset mortuus: sed pollicetur istam conditionate, si nimirum Deo ita placuerit, nec aliud super infirmo fuerit ab eo firmiter decretum. Quod vero ad remissionem peccatorum attinet, quam apostolus una cum corporali sanitate infirmo pollicetur, illa ex mente apostoli similiter non debet unctionem, aut preces presbyterorum necessario excipere, sed poenitentiam infirmi praesupponit Iacobus, quam paulo ante requirebat, cum mandaret, ut infirmus advocaret presbyteros ecclesiae, orandi pro ipso causa: nam impoenitentes & securi, quamdiu tales sunt, non anhelant aliorum intercessiones, nec ipsi cum aliis debito modo precantur, immo nec debito modo possunt orare, multo minus exaudiri; Deo peccatores non exaudiente. Cum vero non omnes infirmi remissione peccatorum mortalium indigeant, sed

qui-

quidam iam ante iuſtificati, Deo in ſanctitate & iuſtitia hucusque ſervierint, Iacobus ſcribit admodum circumſpecte: *Si peccatum commiſerit, remittetur ei*; & ſic non aliis, quam remiſſione peccatorum indigentibus, illam promittit.

§. IV. Ex iam dictis itaque conſtat, praxin apoſtolicae eccleſiae primitivae in ungendis infirmis variis modis ab hodiernorum graecorum, & romanorum more differre: immo ſequentia evincent, neque antiquam, per quinque, & quod excurrit, ſecula, eccleſiam iisdem hac in re patrocinari. In antiquis videlicet priorum quatuor ſeculorum eccleſiae ſcriptoribus, ne ullum quidem exemplum occurrit cuiusdam epiſcopi orthodoxi, aut alterius pii fidelis, qui extremam unctionem, quaſi pro viatico acceperit: at vero Gnoſticos, purae doctrinae corruptores moribundum inunxiſſe, ex *Irenaeo*, qui ſec. II. ſcripſit, floruitque, conſtat; ita enim ille: *Nam quidam illorum, oleum aqua mixtum infundunt capiti morituri, alii unguentum, balſamum dictum, & aquam, iſtam quidem invocationem communem habentes, ut nimirum haſce orationes in exitu adepti, a ſuperioribus principatibus & poteſtatibus neque apprehenderentur, neque viderentur, atque ita internus illorum homo inviſibiliter tranſcenderet, ſicut corpora haec inter res creatas relinquerentur.* Deinde notandum, dari nonnullos, qui unctionem moriturorum Felici IV. qui A. D. 526. romanam ſedem adeptus eſt, tanquam auctori tribuunt, inter quos Philip-

pus

pus bergomensis, (9) Guilielmus (10) Durandus, & Polydorus Vergilius, (11) quorum ille sec. XIII. hic sec. XVI. floruit. Sive autem ille genuinus auctor extremae unctionis sit, sive alius posterioris aevi, nobis sufficit, illam quinque primis seculis non fuisse in usu ecclesiae, immo nec sequentibus ullo in concilio stabilitam fuisse, donec tandem a romana ecclesia sec. XV. in Concilio *florentino*, & sec. XVI. in *tridentino* sancitum fuit, unctionem infirmorum, non tantum *esse vere & proprie sic dictum sacramentum*, sed quoque ut potissimum illi, de cuius morte timeatur, & qui in extremo vitae exitu constitutus sit, viatici instar ad imminens perdifficile iter praebeatur: unde postea nemini nisi in extremis agenti ea fuit collata. Graecam pariter ecclesiam hodiernam a romana hac in re non multum differre, maiorum praxi similiter derelicta, antea percepimus. Quoniam itaque doctrina romanorum aeque, ac praxis hodiernorum graecorum, neque in verbis Iacobi neque in antiquae ecclesiae consuetudine fundata est, nostrae ecclesiae evangelicae merito extremam unctionē illam tanquam ἐνταλμα ἀνθρώπων seu praeceptum humanum abrogarunt, pro libertate illa, qua Christus suos donavit, praesertim cum eandem tanquam vere ac proprie dictum sacramentum, idque ad salutem

(9) *In supplem. chronic.*

(10) *In Rationali L. 1. c. 8. n. 25.*

(11) *De Rerum Inventor. L. 5. c. 3.*

lutem necessarium nobis obtruderent romanenses.

§. V. Verum alia est unctio infirmorum, alia moriturorum; hanc reiicimus, illam autem veluti morem apostolicum, Iacobi mandatum, & antiquae ecclesiae consuetudinem veneramur. Apostolos namque ipsos unxisse aegros, idque & Iacobum ecclesiae mandasse, ante fuit satis expositum: antiquam quoque ecclesiam monitum Iacobi sedulo secutam esse, varia, quae ea de re exempla extant, & testimonia, non sinunt nos dubitare. Primo quivis facile concedet, apostolicam ecclesiam primitivam monitum Iacobi diligenter observasse, praesertim cum donum sanationum tum adhuc familiare esset, atque ita infirmi, sin alias Deo ita placuerit, facile possent sanari, modo & ordine a Iacobo [12] praescripto. Deinde sequentibus aliquot seculis, dono sanationum adhuc vigente, exempla habentur per oleum curatorum. Sic *Tertullianus* [13] de PROCULO christiano testatur, quod Imperatorem Severum Antonini patrem per oleum sanitati restituerit. *Hieronymus* [14] de HILARIONE eremita simile quidpiam factum enarrat. MARTINUS etiam, turonensis episcopus, qui sub sec. V. initium obiit, eandem curationem per oleum (15) effe- D cit,

(12) *Chemnit. E. C. T. P. 2. p. 408. b.*

[13] *L. ad Scapul. c. 4.*

[14] *T. 1. in vita Hilar.*

[15] *Sulpic. Sev. in vita Mart. cap. 19.*

cit. De MACARIIS duobus, & PAMBO, atque HERACLIDE, aliisque Antonii discipulis refert Sozomenus, (16) quod aliquando hominem, cuius artus iam dudum ita arefacti erant ac extenuati, ut pedibus insistere non posset, oleo inunxerint, atque iusserint, ut in nomine Christi exsurgeret, ac domum reverteretur: quod etiam repente factum. Ex his & similibus exemplis omnino patescit, ritum istum a Iacobo praescriptum viguisse in ecclesia priorum IV. seculorum; at non statim exinde sequitur, omnes infirmos semper inunctos fuisse: a particulari enim ad universale non valet consequentia, nec ullum testimonium hac de re prius habetur, quam sec. V. ubi *Innocentius*, Pontifex romanus, illius [17] meminit, eamque vocat *genus sacramenti*, quod ideo poenitentibus fundi non possit: *nam quibus reliqua*, ait, *sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Idem & concedit, ut non solum sacerdotes, sed omnes quoque christiani isto unguento utantur in sua aut suorum necessitate. In falso ita dictis *Constitutionibus apostolicis*, quas Dallaeus ad sec. V. refert, olei infirmorum cum aqua fit mentio, dum de utriusque benedictione haec ibi proferuntur: [18] *Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei misericors, & hominum studiose, qui dedisti aquam ad potum*

(16) *H.E.L.6.c.20.*

(17) *Epist. ad Decent. Eugubin. c.8. Conf. dist. 23. can. 12.* (18) *L.8.c.35.*

potum, ac expurgationem; & oleum ad exhilarandum vultum in exultationem laetitiae, ipse & nunc per Christum sanctifica hanc aquam, & hoc oleum nomine illius, qui obtulit, aut illius, quae obtulit, & da vim effectricem sanitatis, morborum expultricem, daemonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem, per Christum spem nostram; cum quo tibi gloria, honor & veneratio, & sancto spiritui in secula, Amen. Ad sec. hoc V. aut VI. & ille liber, ni fallor, pertinet, qui agit de Visitatione infirmorum: incertum enim est, an Augustini, cui ille tribui solet, revera sit, ipso *Bellarmino* (19) fatente; ita autem auctor ille (20) scribit: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipiat, ac tum corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur: Infirmatur quis in vobis advocet presbyteros ecclesiae &c.* Eiusmodi etiam monitum in libro de Rectitudine catholicae conversationis, inter incertos Augustini libros pariter existente, deprehenditur, cuius verba supra sunt adducta. Seculo VI. *Gregorius*, turonensis episcopus (21) de Hospitio quodam narrat, quod nonnullos per oleum sanitati restituerit. Plura per oleum curatorum exempla tam ex graeca, quam latina ecclesia collegit *Carolus du Fresne* [22] inter quae multa quidem

D 2 suspe-

(19) *De scriptor. ecclesiast.*

[20] *Extat t. 9. Augustini, in append.*

(21) *L. 6. c. 6. Histor. Francor.*

(22) *Glossar. med. & inf. graecit. p. 371. & seqq. &*

ſuſpecta, immo ſuperſtitioſa reperiuntur. Ex ſec. VIII. *Bedae* venerabilis habetur de unctione infirmorum teſtimonium, quando in iſtum de quo diximus, Iacobi locum ita ſcribit: *Hoc & nunc eccleſiae conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur, & oratione comitante ſanentur.* Huc quoque referri debent, quae *Alcuinus* (23) & *Ordo romanus* de pio hoc ritu habent: Alcuini verba ſunt haec: *Quotiescunque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad aegrotum cum aqua benedicta, & cum cereis ſive incenſo ante oleum ſanctum, & peragunt omnia, ſicut in ſacramentorum libro continetur.* Sec. IX. Concilium *cabilonenſe* II. a. 813. habitum, cap. 48. ſtatuit, infirmos oleo, ab epiſcopo benedicto, a presbyteris ungi debere, ſecundum B. Iacobi documentum, nec parvi pendendam huiusmodi medicinam, quae animae corporisque medeatur languoribus: ut ſtatuta *ſynodi aquisgranenſis II.* cap. 8. & 5. *Concilii meldenſis & moguntini* can. 26. & quomodo eodem hoc ſeculo Concilium *vvormatienſe* decretum Innocentii de unctione aegrotorum renovaverit, ſilentio praetereamus. Degeneravit autem unctio haec ſequenti aevo in unctionem moriturorum pro viatico. Vnde *Durandus*, (24) qui vixit ſec. XIII. illam dicit extremam unctionem, & ſic ſtatuit: *Quodſi aeger in extremis*

gloſſar. med. & inf. latinit. t. 3. p. 44. Adde Ioh. Dallaeum de extr. unct. c. 6. p. 84. & ſeqq.

(23) *de divinis officiis.*

(24) *Rationali divin. offic. L. 1. c. 8. 25.*

mis laborat, cito ungatur, ne inunctus decedat. Idem & hoc habet, quod *unctio specialiter in illis membris* fiat, *in quibus quinque sensus hominis vigent, ut quicquid per illos infirmus deliquerit, per huius unctionis virtutem aboleatur.* Quae postea in conciliis *florentino* & *tridentino* stabilita fuerunt, ut supra est indicatum.

§. VI. Ex dictis itaque apparet, unctionem moriturorum ad ritus istos, quos antiqui christiani circa morituros observarunt, non referendam esse; quamvis unctio infirmorum omnino in suo pretio sit relinquenda. Agnovit hoc ipsum *Cassander*, (25) pontificius, quando ait: *Quapropter olim haec unctio non, ut hodie fere fit, ad extremum usque vitae periculum, & valetudinem iam deploratam differebatur, sed graviore aliquo morbo invadente, huiusmodi orationes, & unctiones per septem aliquando dies continuabantur. Idem illud veteribus in more fuit, ut post officium unctionis, si periculum imminebat, corporis & sanguinis dominici communicatio,* τελετη *& perfectio omnium sacramentorum habebatur, subiiceretur.* Idem etiam fatetur, in forma verborum, quae inter ungendum usurpantur, veterum morem, qui adhuc in vetustis libris divinorum officiorum extet, nonnihil immutatum: nam olim cum aeger oleo infirmorum tum in ceteris membris, tum praecipue in loco, ubi vis doloris maxime incumberet, inungeretur, hanc formam verborum adhiberi consuevisse: *Vngo te de oleo sancto*

(25) *Consultat. Artic. 22. Opp. p. 386.*

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini, ac Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus, & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus & salus, quatenus per huius operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, ac nostram deprecationem, virtute sanctae trinitatis medicatus, pristinam & magis robustam recipere merearis sanitatem, per Dominum nostrum. Et alibi: [26] *Observandum illud etiam, quod non adultis modo, verum etiam infantibus, morbo correptis, haec unctio adhibebatur: cui rei testis est Nicolaus de Cusa epist. 3. ad Bohemos.* Cardinalis *Thomas de Vio*, caietanus, ad illum Iacobi locum libere fatetur, nec ex verbis, nec ex effectu extremam unctionem posse probari; textum enim non dicere, *infirmatur quis ad mortem*, nec effectum dicere *allevationem infirmi*; at de remissione peccatorum eum non nisi *conditionaliter* loqui, cum tamen extrema unctio directe ad remissionem peccatorum tendat. Nostrae cetera ecclesiae evangelicae non tantum unctionem moriturorum, sed antiquam etiam infirmorum abrogarunt, quod crederent, Iacobi mandatum aut consilium respicere donum sanationum, (27) quod in primitiva & subsequenti ecclesia quibusdam piis collatum erat: quoniam vero donum illud iam in ecclesia cessaverit, non esse necessarium, ut externum eius symbolum in usu ecclesiae permaneat; quamvis in ecclesiae libertate relinquatur, unctionem

(26) *Opp. p.288.*

[27] *Vide Chemnit. Ex. Conc. Tr. P. 2 p.408. b.*

nem non tantum circa infirmos, ſed pios quoque morituros reaſſumere, & quidem ſi nulli alii uſui, ſaltem ad unctionem fidelium myſticam denotandam, veluti *Hildebrandus* [28] & *Brunnemannus*, (29) atque ante illos ipſe *Lutherus* [30] & *Bucerus* [31] ſtatuerunt.

[28] *Arte bene moriendi p.232.*

[29] *Iure eccleſ.330.*

[30] *Confeſſ fidei ſuae,a.1529.t.4.Altenb.523.a.*

[31] *Deliberat.lipſ. a.1539.*

CAP. X.

Amici oſculo valedicebant morituro. Sanguinem martyrum linteo excipiebant.

§. I.

Anima denique ad exitum feſtinante, accedere ſolebant morienti, qui ipſum diligebant, dulciſſimo quodam oſculo valedicentes, eoque ultimos quaſi anhelitus excipientes. *Nihil mihi profuit*, inquit Ambrosius, (a) *ultimos hauſiſſe anhelitus, nihil, flatus meos inſpiraſſe morienti* [fratri:] *putabam enim, quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te ipſe transfunderem. O infelicia illa, ſed tamen dulcia ſuprema oſculorum pignora! o amplexus miſeri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus ſupremus evanuit.* *Hieronymus* [b] Marcellam refert reddidiſſe

D 4 ſpiri-

(*a*) *t.3 Orat. fun.in fratr.*

(*b*) *t.I, ad Princip.de obitu Marcellae ſub fin.*

ſpiritum in oſculis Principiae. *Prudentius* (c) memorat, MATREM Romani martyris huic filio ſuo, paulo ante cruentum eius obitum, oſculum impreſſiſſe unicum, additis verbis: *Vale, dulcisſime, & cum beatus regna Chriſti intraveris, memento matris.* Huc etiam pertinet, teſtimonium *Chryſoſtomi*, (d) ita ſeſe habens: *Qui ſecundum carnem parentes ſunt, cum natum ultimo ſpiritu laborantem habuerint, circumſident ultimaque eius audiunt verba, manus circumpalpant, adhortationes, fomentaque alia de induſtria adhibent: os deoſculantur ultimo parentum oſculo.* Martyrum etiam iam iam interficiendorum ori labia admoverunt quidam pii: e. g. ORIGENES exinde celebris eſt, quod, cum martyres ad ſupplicium raperentur, ipſe ſaepius adſtiterit, incredibili fiducia praeditus; & pericula ipſa quaſi provocans, martyres ſumma ſaepe libertate oſculo [e] ſalutarit. Similiter Heſychius, ſec. III. martyr factus, cum ad paſſionem duceretur IULIUS, ipſi amiciſſimus, orationibus eius ſe commendavit, eique ſine metu oſculum dedit: quo facto a militibus ipſe prehenſus, poſt dies 20. [f] interfectus fuit. Huiusmodi autem oſculum, martyribus impreſſum, non ſolum erat valedictorium, ſed publicum ſimul teſtimonium fidei, quam cum martyribus communem haberent.

§. II.

[c] *Periſteph. hym. 10. de Rom. mart. p. 396.*
[d] *Homil. 1. de Patient. Iob.*
[e] *Euſeb. H. E. L. 6. cap. 3.*
[f] *Baron. annal. a. 228. n. 2.*

§. II. Claudemus primum hunc librum, unico adhuc ritu, eoque perantiquo, observato. Quando scilicet martyrum quispiam morti erat tradendus, isti christiani, quibus hic martyr prae ceteris carus fuerat, linteum solebant expandere, eoque sanguinem illius excipere. In actis enim CYPRIANI iam legitur, (g) fratres circum ipsum linteum explicuisse, ne sanguis in terram proflueret. Sic mater ROMANI martyris pallium explicuerat, ne carissimi filii sanguis terram attingeret. Ita enim *Prudentius*: (h)

Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu & sanguine
Venarum, ut undam profluam manantium
Et palpitantis oris exciperet globum:
Excepit, & caro adplicavit pectori.

Idem de passione S. VINCENTII martyris ita (i) canit:

Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Quamvis autem hoc factum de caritate, aut debita in martyres aestumatione testetur, tamen superstitionem mox accessisse ex iam citatis Prudentii verbis in aperto est positum. Tantum de ritibus cum moriturorum, tum ab aliis circa eos in prisca Christi ecclesia adhibitis.

(g) *Vide & Cave Antiqu. P.P. in Vita Cypr.*
(h) *Peristeph. hym. 10. v. 840. p. 397.*
(i) *hym. 5. v. 340. p. 281.*

LIBER SECVNDVS.

DE PIIS CIRCA MORTVOS

A priſcis Chriſtianis obſervatis ritibus usque ad funeris elationem.

CAPVT I.

De Cura priſcorum chriſtianorum in genere pro mortuis rite ſepeliendis.

§. I.

MOrituro usque ad beatum eius obitum adfuimus: iam vero exanime menti noſtrae obverſatur corpus, facies pallida, oculi obrigefacti; atq; id quidem non brutorum more neglectum, aut proiectum, ſed maxima piorum cura exceptum, decenterque componendum ad ſepulturam. De cura itaq; fidelium Chriſti circa defunctorum corpora generatim nonnulla dicere, eaque ſequentibus ſpecialioribus praemittere, animus eſt. Sciendum enim, ſicut antiquorum V. T. iuſtorum funera a pietate curata ſunt, atque exequiae celebratae, ac ſepultura proviſa, ſic & ſub ipſum N.T. initium, ſequentibusque ſeculis officium mortuis corporibus nunquam non fideliter praeſtitum eſſe. Conſtat inter nos Io-

Ioannis Baptiſtae ab eius diſcipulis, Christi a Ioſepho ab Arimathia, & Nicodemo, atque Stephani corpus a viris religioſis decenti ſepulturae traditum fuiſſe. Nec Ananiae & Saphirae, quamvis per iram divinam violenta morte abrepti eſſent, cadavera inſepulta proiecta, ſed nihilominus ſepulturae ſtatim ſunt mandata. An vero corpora ſanctorum apoſtolorum omnium ſepultura fuerint donata, certo quidem non conſtat; at dummodo illa honeſte ſepelire fidelibus permiſſum fuerit, non dubitamus, quin illi omni cura atque ſtudio id peregerint, quia, dum vivebant, maximo in honore inter chriſtianos fuerunt. Seculo II. martyrum praecipue cadavera admodum ſollicite conquirebantur, nec tantum corpora, ſed & oſſa a beſtiis, aut igne relicta: quemadmodum Ignatii, (α) & Polycarpi (β) oſſa, margaritis pretioſiora a fidelibus habita, ingenti cura collecta, ac, ubi decebat, condita ſunt. Quam chriſtianorum curam pro martyribus praecipue digne ſepeliendis, cum gentiles animadverterent, omnibus modis ſepulturam illorum impedire annitebantur, quamvis talis ſaevities ipſi humanitati repugnaret. Sic exanime Polycarpi corpus igne concremabatur, ne fideles illud ſepelire poſſent: & eodem hoc ſecu-

(α) *Vid. acta Ignatii p. 8. edit. Uſſer. Metaphr. ad 20. Decembr. graec. & lat. apud Coteler. p. 991. Maeneol. Graec.* τῇ κθ τῦ Ιανϑαρ. *Cave in vita eius.* (β) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 15.*

feculo II. fub M. Aurelio & Lucio Vero Imperatoribus adeo faeviebatur (γ) in martyrum corpora, ut illa vel canibus proiicerent, follicite noctu atque interdiu caventes, ne quis christianorum ea fepulturae mandaret: poft haec quicquid aut a beftiis, aut ab igne reliquum fuerat, exponentes, & reliquorum capita cum ipfis corporum truncis fimiliter infepulta per plurimos dies additis militum excubiis cuftodientes. Chriftiani vero graviffimo dolore adficiebantur, quod humare cadavera illis non liceret: nam neque noctis tenebrae illos iuvare, neque auri vis flectere, neque preces ullae animos gentilium commovere poterant, fed omni ftudio atque induftria cadavera cuftodiebant, quafi ingens lucrum facturi, fi fepultura caruiffent. Tandem, poftquam martyrum corpora omni contumeliae genere traducta, fub dio per fex dies expofita iacuerant, cremata, atque in cineres redacta, in praeterfluentis Rhodani alveum fparfa funt ab impiis, ne ullae deinceps eorum reliquiae in terris fupereffent. Sequenti Seculo III. fub Diocleticano innumerabiles [δ] vincti & fcaphis impofiti, a carnificibus in profundum mare proiecti funt: immo corpora quorundam regiorum cubiculariorum, quae poft mortem convenienti tradita erant fepulturae, ipfi eorum legitimi domini erui ex fepulcro, & in mare proiici oportere, cenfuerunt. Cura autem fidelium, quam circa defunctos

[γ] *Eufeb. H. E. L. 5. c. 2.* [δ] *Idem H. E. L. 8. c. 6.*

functos & hoc seculo III. gesserint, ex *Origenis* & *cleri romani* testimoniis sequentibus manifesto satis liquet. Origenes nempe contra Celsum epicureum, de resurrectione disputantem, ita scribit: *Certe humana corpora propter animam, quae inhabitavit in eis, praesertim si bona sit, non sunt abiicienda: nam & civiliores leges iubent illa convenienti honore funerari, ne, si proiiciantur tanquam iumenta, iniuria fiat animae egressae ex eo domicilio.* Et infra haec subdit: *Rationales animas honorare novimus, & earum organa solenni sepulturae honore dignamur: meretur enim rationalis animae domicilium non proiici temere, sicut brutorum cadavera, & praesertim, quod fuit animae bonae ac sanctae, organo suo in certaminibus usae, receptaculum.* Ante illum *Tertullianus*, (ε) qui sub initium huius seculi floruit, meminit, ecclesiam *pro egenis etiam humandis* ex pecunia sponte collecta sumtus facere. Clerus autem romanus ad martyres inprimis sepeliendos clerum carthaginiensem, absente Cypriano, (ζ) sic adhortatur: *Quod maximum est, corpora martyrum, aut ceterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus. Cuiuscunque ergo vestrum quacunque occasione effectum fuerit hoc opus, certi sumus, eum bonum servum aestimari, ut qui in minimo fidelis fuit, constituatur super decem civitates.* Et celebratur Eusebius (η) diaconus, quod

(ε) *in apologet. p. 31.* (ζ) *epist. 2. cleri rom. ad cler. carthag. de secessu Cypriani p. m. 9. & 10.*
(η) *Apud Euseb. H. E. L. 7. c. 11. p. 261.*

quod beatorum martyrum cadavera non ſine capitis ſui periculo ſepeliverit. Seculo IV. ſub Maximino graviſſimam perſecutionem patiebantur chriſtiani, adeo ut etiam in cadavera eorum crudeliter ſaeviretur, nec ſepultura illis conceſſa eſſet: quae deteſtanda immanitas & rabies adverſus Dei cultores vix ſine lacrymis legi apud Euſebium (9) poteſt, quando ſcribit: *Horum igitur corpora ſub dio expoſita, ut a beſtiis laniarentur, diu noctuquo ſollicite juſſit cuſtodiri. Proinde non exiguam hominum multitudinem plurimis diebus cernere licebat, huic immani ac ferreo conſilio obſequentem: & hi quidem velut e ſpecula, ne cadavera ſubriperentur, obſervabant, quaſi ea res magni momenti eſſet: canes vero, feraeque beſtiae, & carnivorae alites humanos artus huc atque illuc diſpergebant, totaque circum undique civitas viſceribus & oſſibus conſtrata erat, adeo ut nihil unquam crudelius, nihil horribilius, vel iis ipſis, qui antea nobis erant infeſti, viſum fuerit, cunctis non tam eorum, adverſus quos haec gerebantur, calamitatem, quam ſuam ipſorum, & communis omnium naturae contumeliam deplorantibus. Nam paene ad ipſas civitatis portas propoſitum erat ſpectaculum, quod omnem dicendi copiam, omnemque tragoediam longe ſuperabat, carnes ſcilicet humanae, quae non uno in loco devorabantur, ſed paſſim diſiectae erant: nonnulli etiam intra portas artus, & carnium ac viſcerum fruſta a ſe viſa eſſe affirmarunt.* Addit autem Euſebius peculiare miraculum, quod tum viſum

(9) *Idem lib. cit. p. 334. de martyribus Palaeſtinae.*

visum sit, *Quae*, ait, *cum per plurimos dies continuo gererentur, huiusmodi miraculum accidit: forte aër purus ac liquidus, & totius coeli mira quaedam serenitas erat, cum repente maxima pars columnarum, quae publicas urbis porticus sustentabant, quasdam velut lacrymarum guttas stillaverunt; fora quoque & plateae, cum nullus ex aere delapsus ros esset, nescio unde, aqua perfusae maduerunt, adeo ut communi omnium sermone divulgaretur, terram miro & inexplicabili modo lacrymas edidisse, cum eorum, quae patrarentur, impietatem ferre non posset, & ad immites ac barbaras hominum mentes convincendas, lapides ipsos, resque anima carentes eiusmodi factis ingemuisse. Nec dubito, quin haec, quae dixi, pro nugis quibusdam & fabulis habituri sint posteri.* Hactenus Eusebius. At nec hoc seculo christiani defuerunt defunctorum corporibus curate sepeliendis, immo ne infidelium quidem cadavera insepulta reliquerunt. Cum enim sub Maximino tyranno & fame, & peste multi interirent gentiles, christianorum erga omnes sedulitas, ac pietas manifestissimo indicio universis gentibus innotuit; quippe hi soli in tot ac tantis calamitatibus, misericordiae atq; humanitatis officia rebus ipsis exhibentes, quotidie curandis & sepeliendis mortuorum cadaveribus (i) vacabant. Ipsi etiam Imperatores, fide christiana recepta, curam pro mortuis sepeliendis debitam gessere, utpote quorum primus CONSTANTINUS M. in constantinopolitana ecclesia

(i) *Vide Euseb. H. E. L. 9, c. 10, p. 357.*

ecclesia collegium quoddam funebre ordinavit, quod ab Anastasio deinde confirmatum, & auctum, a Iustiniano autem [κ] plene restauratum fuit. *Lactantius*, Cicero ille christianus, qui seculo hoc floruit, ita [λ] adhortatur ad curam pro mortuis: *Vltimum & maximum pietatis officium est peregrinorum & pauperum sepultura.* Et paulo infra: *Non patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in praedam iacere, sed reddemus id terrae, unde ortum est: & quamvis in homine ignoto, necessariorum sepulturam, nulli negandum munus, implebimus, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, & ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis iustitiae ratio consistit, quam in eo, ut quod praestamus nostris per adfectum, praestemus alienis per humanitatem, quae est multo certior, iustiorque, cum iam non homini praestatur, qui nihil sentit, sed Deo soli, cui carissimum sacrificium est opus iustum.* Idem alibi [μ] de pauperum sepultura christianos sic admonet: *Inopes aut pauperes si obierint, non patiamur insepultos iacere. Haec sunt opera, haec officia misericordiae, quae si quis perfecerit, verum & acceptum sacrificium Deo immolabit.* Ex seculo V. habemus *Prudentium*, (ν) poëtam christianum, sic adhortantem ad curam pro martyribus sepeliendis:

Qui

[κ] *vid. Novell. constit. Iustin. 42. & 59.*

[λ] *de vero cultu L 6, c. 12.*

[μ] *cap. 5. de div. Institut.*

[ν] *L. Cathemer. hymno X. circa exequ. def. p. 127.*

Qui iacta cadavera passim,
Miserans tegit aggere terrae,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Nec *Augustinus*, qui seculi huius initium adhuc illustravit, inmerito huc refertur, quippe qui integrum libellum de cura pro mortuis gerenda posteritati reliquit. Ex his ergo adductis tum testimoniis, tum exemplis, cura antiquorum christianorum inde ab aevo apostolico usque ad seculum VI. satis clare apparet, adeo ut non tantum parentes, filii, propinqui aut cognati, suorum defunctorum corporibus sepeliendis nunquam defuerint, [ξ] sed & alii fideles, quibus nulla cum defuncto intercessit necessitudo aut cognatio, perquam seduli & solliciti in eximio hoc misericordiae opere fuerint, idque sine spe alicuius praemii aut mercedis auri, argentive corruptibilis; nullum enim vestigium vel minimum in patrum scriptis ostendere adhuc quispiam potuit, curatoribus funeris honorarium quoddam solutum fuisse: verum melius a Deo exspectabant praemium in bonis coelestibus positum. Rationes autem, quae ad huiusmodi curam illos impulerunt, dignae sunt, quae addantur. *Tertullianus* (o) refert, creditum a gentilibus esse, insepultos non ante ad inferos redigi, quam iusta per-

E cepe-

(ξ) *Quod etiam testantur exempla apud Theodoret. H. E. L. 2. c. 14. & L. 4. c. 22.*

(o) *de anima c. 56. p. 304.*

ceperint, secundum homericum Patroculum, funus in somnis de Achille flagitantem, quod alias adire portas inferum non posset, arcentibus eum longe animabus sepultorum. Respondet autem memoratus carthaginiensis presbyter: *Quam vanum, ut anima corporis iusta sustineat, quasi aliquid ex illis ad inferos avehat? Multo vanius, si iniuria deputabitur animae cessatio sepulturae, quam pro gratia deberet amplecti.* Similiter *Augustinus*, (ϖ) *Neque illud*, ait, *nempe carere sepultura, pia fides nimium reformidat, tenens praedictum, nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturos, quorum capillus capitis non peribit. Nec ullo modo diceret veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quicquam obesset futurae vitae, quicquid inimici de corporibus occisorum facere voluissent. Multa corpora christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a coelo & terra separavit, quam totam implet praesentia sui, qui novit, unde resuscitet, quod creavit. Proinde curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exequiarum magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum: si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla. Praeclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum; sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium praebuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium sustulerunt. Rident haec illi, contra quos* de-

(ϖ) *De Civit. Dei. L. I. c. 12.*

defendendam suscepimus civitatem Dei: verumtamen sepulturae curam etiam eorum philosophi contemserunt, & saepe universi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi postea iacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt: licuitque hac de re poëtis plausibiliter dicere,

Coelo tegitur, qui non habet urnam.

Quanto minus debent de corporibus insepultis insultare christianis, quibus & ipsius carnis & membrorum omnium reformatio, non solum ex terra, verum etiam ex altorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur. Non igitur ex hac persuasione, quasi cessatio sepulturae animae separatae obesset, veteres christiani tam solliciti fuerunt de corporibus sepeliendis, sed aliae stimulerunt illos ad hoc ipsum causae, quarum prima est ipsa lex naturae universalis, quae iubet humana corpora post mortem etiam honorare, nec illa tanquam brutorum cadavera abiicere, quia fuerunt rationalis animae domicilia, ut ex supra citatis *Origenis* verbis vidimus. *Sunt*, inquit Chrysostomus (ρ) *apud omnes hae leges communes, ut, qui vita functus est, terra condatur, sepulturae tradatur. Atque has non Graecus, non Scytha, nec quis illis immanior reperiatur, unquam leges convulsit, sed reverentur, & observant omnes, adeoque sacrae, & apud omnes veneratione sunt dignae* Hinc *Lactantius* (σ) in eos, qui sepulturā martyrum inhibebant, ita invehitur: Quis *Caucasus*, *quae India*, *quae*

(ρ) *Homil. 10. de S. Babyla.* (σ) *De Instit. L. 5. c. 11.*

quae Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias, inquam, bestias aluit? quoniam ferorum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Quaenam illa feritas, quae rabies, quae insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse? Altera causa, & quidem praestantior, haec erat, quod veteres probe agnoscerent, fidelium corpora fuisse organa, ac vasa, quibus ad omnia bona opera usus esset S. Spiritus, unde illa non spernenda, sed quantum deceat, honoranda esse: quo *Origenis* verba supra citata respiciunt, haec scilicet: *meretur rationalis animae domicilium non projici*, sicut brutorum corpora, praesertim quod fuit animae bonae ac sanctae, organo suo in certaminibus usae, receptaculum. Quod & *Augustinus* indicat, quando (τ) ait: *quamvis cessatio sepulturae non obsit corporibus, non ideo tamen contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum, ac fidelium, quibus tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est spiritus.* Denique in cura pro defunctis resurrectionem corporum potissimum respiciebant fideles, quod *Prudentius* (υ) sequentibus indicat verbis:

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus excipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Quidnam sibi saxa cavata,

Quid

(τ) De Civit. Dei L.1.c.13.
(υ) hymno 10. circa Exequ. def. p.126.

Quid pulchra volunt monumenta?
Nisi quod res creditur illis,
Non mortua, sed data somno.
Hoc provida christicolarum
Pietas studet, utpote credens,
Fore protinus omnia viva,
Quae nunc gelidus sopor urget.

Quo rursum *Augustinus* (φ) tendit, quando ait: *Verum istae autoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus, sed quod ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam.* Et respectu harum rationum officium mortuis collatum *praestantissimum* esse, *Ambrosius* (χ) adserere non dubitavit; *bonumque & Deo placens opus misericordiae*, illud dixerunt *Lactantius* & *Augustinus*, ut ex verbis paulo ante citatis percepimus. Miseri autem gentiles cadavera christianorum igne cremando, in aquam demergendo, bestiis proiiciendo, immo & in cloacas immittendo, illorum sepulturam ideo impediebant, partim ut spem resurrectionis omnem fidelibus adimerent, partim ut alios a martyrio, propter fidem christianam tam promte sustinendo, deterrerent. Liquet hoc ex sequentibus *Eusebii* (ψ) verbis: *Atque id agebant, prorsus quasi Deo superiores esse, & resurrectionem illis adimere possent: & quemadmodum ipsi dicebant, ne spes quidem ulla* re-

[φ] *t.4.f.214.de cura pro mortuis.*
[χ] *Lib.de Tobia t.4.p.316.* (ψ) *L.5.c.2.*

resurgendi eis relinqueretur, qua freti, novam quandam ac peregrinam nobis invehunt religionem, & gravissima quaeque tormenta contemnunt, promptiq; & alacres mortem subeunt. Videamus nunc, an sint resurrecturi, & utrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris ipsos eripere valeat. Deinde ista sepulturae inhibitione volebant etiam impedire, ne martyres pro Diis a fidelibus colerentur: ex qua stulta ratione *S. Polycarpi* martyris cadaver fidelibus nolebant donare, ne scilicet illi, ut aiebant, relicto forte crucifixo, ipsum deinceps colere [ω] inciperent. Ex eadem falsa persuasione etiam movebantur, ut sub Diocletiani persecutione martyres in profundum mare proiici, immo & nonnullos ex sepulcro erui, & in mare demergi iuberent; quod indicat *Eusebius* (α) expressis his verbis: *Ne quis illos sepulcris conditos, pro diis, ut ipsi quidem opinabantur, reputans, imposterum adoraret.* Audiamus vero, quid smyrnensis ecclesia ad hanc gentilium opinionem responderit: (ϛ) *Stulti* inquiunt, *qui ignorarunt, nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulit, nec alium quenquam colere. Illum enim, utpote filium Dei adoramus; martyres vero tanquam discipulos & incitatores Domini debito amore prosequimur, propter eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga regem & magistrum suum declararunt:* quo-

(ω) *Euseb. L. 4. c. 15.* (α) *L. 8. c. 6.*
(ϛ) *apud Euseb. L. 4. c. 15.*

quorum nos quoque conſortes atque condiſcipulos fieri omnibus modis optamus. Haec ſufficiat de cura fidelium pro mortuis rite ſepeliendis, generatim ſpectata, dixiſſe.

CAP. II.

Oculos & os defuncti comprimebant, manus componebant, caput directe ſtatuebant, pedes reducebant.

§. I.

CVra fidelium novi foederis circa mortuorum corpora generatim perſpecta, ad ferales ritus ſigillatim exponendos nos accingimus, praemonentes, illorum quam plurimos a iudaeis pariter & gentilibus mutuo ſumtos, in eccleſiam introductos [a] eſſe. Quidam enim ipſam naturam auctorem & magiſtram habent; quidam vero, cum non repugnent chriſtianae fidei, & in ſanctum piumque uſum converti utiliter poſſint, a fidelibus recepti ſunt, ad reſurrectionis fidem teſtandam. Nos primo quidem antiquiſſimum illum ritum, videlicet occluſionem oculorum, & oris defuncti, manuum eius compoſitionem, rectam capitis poſitionem, pedumque reductionem notamus, qui ab ipſa natura originem trahit, utpote quae docet, caros noſtros etiam in morte honorandos eſſe, & omnia, quae ad decentem corpo-

E 4 rum

(a) *Vide Quenſtedium de ſepultura veterum, & Kirchmannum de Fun. roman. nec non Geierum de Luctu Hebr.*

rum istorum compositionem faciunt, curae nobis esse debere, ne vel horrori, vel contemtui cuipiam sint: terribile enim apparet, a mortuo apertis oculis velut conspici, & in contemtum mortui cedit, membris male positis videri. Itaque hoc benevolentiae atque amoris officium christiani circa mortuos probe observarunt, *Chrysostomo* (b) testante, cum ait: *Exinde cum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, iubent parentes officia adhibere, manus componunt, oculos claudunt, caput directe statuunt, pedes reducunt &c.* & ante eum *Dionysius* alexandrinus, [c] fideles Alexandriae habitantes, *corpora sanctorum manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, cadavera decenter ornare non gravatos esse*, memoriae prodidit. Non tantum autem illi, quibus nulla cum defuncto necessitudo aut propinquitas intercedebat, sed & consanguinei sibi invicem oculos presserunt. Prius quidem patet ex iam citato Dionysii testimonio; posterius exempla Ambrosii & Augustini evincunt, quorum patrum prior (d) fratris Satyri lumina clausisse, posterior (e) ipsius matris Monicæ oculos compressisse legitur. Ceterum hic mos non ex mero naturali in suos affectu inter christianos viguit, sed simul externum erat symbolum dormientis,

&

(b) *Homil. I. de patient. Iob.*
(c) *in epist. ap. Euseb. H. E. L. VII. c. 22.*
(d) *T. III. de Obitu Satyri.*
(e) *T. I. L. IX. Confess. f. 36.*

& certo resurrecturi, illucescente magno illo die domini nostri Iesu Christi: dormiens enim, oculis clausis placide quiescit; atqui *somni similis imago mortis est*, ut *Basilius* [f] & *Ambrosius* (g) loqui amant.

(*f*) *t.1.p.426.serm.in Barlaam mart.*
[*g*] *t.3.de obitu fratris p.28.*

CAP. III.

Osculis & lacrymis suam erga defunctos caritatem testabantur.

§. I.

INgens caritatis adfectus, quem primaevi christiani alter erga alterum habebant, nec in morte desiit. Testantur de illo cum oscula, quae mortuis dederunt, tum dolor lacrymis coniunctus, quem ex obitu fidelium ceperunt superstites. Martyres autem praecipue, illorumque vulnera sunt osculati, quod *Baronius* in suis ad Martyrologium notis (a) affirmat, quando apud Caesaream in Palaestina IULIANI cappadocis martyrium commemorat, qui *exosculans necatorum martyrum corpora, ut christianus delatus, & ad praesidem ductus, lento igne iussus est comburi.* Idem etiam *Prudentius* de b. VINCENTIO martyre agens, hisce carminibus (b) exprimit:

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis;
Hic purpurantem corporis,
Gaudet cruorem lambere.

(*a*) *d.17.Ianuar.* [*b*] *Lib.Peristeph.p.281.*

Similiter de PETRO alexandrino episcopo legitur, (c) *sacri eius pignori circumfusos christianos, officii memores prehensitasse sacrum caput abscissum, & veneranda martyris membra amplexos, atque exosculatos esse, collegisse quoque guttas sanguinis, aliaque digna tanto martyri exhibentes pietatis obsequia, de tumulando corpore honorificentissimo funere consilium iniisse.*

§. II. Quae autem caritas ac pietas ad oscula defunctis infigenda fideles impellebat, eadem etiam effecit, ut illi non potuerint, quin dolore & lacrymis suorum, carorumque obitum prosequerentur. Non enim christianus ferrea sortitus est viscera, ut nullo afficiatur dolore, dum res pretiosas, atque caras sibi subtrahi videt, sed, cum homo sit, necesse est, aliquid humani patiatur: quamvis ille differat ab infideli in eo, quod temperanter doleat, modiceque fleat, prout fidei consentaneum est. Hinc *Augustinus* (d) ait: *Ideo non admonuit apostolus, ut non contristemur, sed non sicut ceteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi, inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas adficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.* Quare & ipse post matris suae obitum non poterat, quin multas effunderet lacrymas, veluti in Confessionibus (e) ipse fatetur.

(c) *Apud Baron. in Annal. a. 310 n. X.*
(d) *Serm. 32. de verb. apost. I. ad Thessal. 4.*
(e) *L. 9. c. 12. & 13.*

tur: *Chrysostomus* (f) ait: *Non ego lugere, sed impudenter lugere veto: non sum immanis, atq; crudelis, video naturam dolere, & id quotidianam requirere consuetudinem. Nec licet multo moveri affectu, quod & Christus ostendit, lacrymatus est super Lazaro: eius sequere exemplum; lacrymare, sed leniter, & prudenter, & cum Dei timore. Si hac ratione lacrymas fundes, non resurrectionis diffidentiae redargueris, sed aegre ferre carissimi seiunctionem videberis. Nam & peregre proficiscentes lacrymis prosequimur, non tamen ut mortuos: ita & tu lugeas, tanquam praemisseris peregrinum.* Immo & *Tertullianus*, rigidissimus alioqui morum censor, modicum dolorem de obitu carorum non reprehendit, sed tantummodo immoderatum, dum (g) ait: *Cur immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris?* Nec *Cyprianus*, quando in luctum, atque lacrymas huiusmodi invehitur, omnem prorsus sed immoderatum inhibere luctum merito creditur.

(f) *homil. 61 in Iohann.* (g) *de Patient. c. 9. p. 145.*
(h) *de Mortalitate p. m. 212.*

CAP. IV.

De Lotione corporis.

§. I.

DE corpore exanimi decenter ad sepulturam componendo, ornandoque solliciti fideles, primo illud lavabant, mundabantque. Ritum hunc apostolorum tempore in usu iam fuisse, exemplum Tabithae, testatur, quippe quam post obitum fuisse lotam, *Lucas* expressis verbis

bis (a) refert. Ipsius etiam SERVATORIS nostri sanctissimum corpus lotum fuisse, *Chrysostomus* (b) statuit: nec a veritate alienum videtur, quia sepultus ille fuit more iudaico; iudaei autem lavare defunctorum corpora consueverunt. Risum autem moveant necesse est, quae *Iacobus Gretserus* S. I. heic profert ex Lorino in cap. 9. Actor. *Fertur*, scribit ille, *Balduinum Hierosolymorum regem ad Flandros suos ex Palaestina misisse pretiosas ac mundas sordes, ex abluto corpore mortui Christi existentes, per Abbatem S. Bertini.* Nec sequioribus temporibus ille ritus desiit in ecclesia: nam mentionem eius facit *Tertullianus*, (b) *Rigere*, inquiens, *& pallere post lavacrum, & mortuus possum.* *Dionysius* etiam alexandrinus (c) memorat, fideles ecclesiae alexandrinae *sanctorum corpora accurate lavare non gravatos esse.* Videantur etiam *Gregorius* nazianzenus, (d) & *Gregorius M.* [e]

§. II. Antiquissimus hic abluendorum corporum mos apud omnes gentes fuit, ut inter plures *Kirchmannus* de funeribus romanorum commonstravit, illiusque rationem risu dignissimam adferunt *Cornelius Celsus*, (f) *Plinius*, [g] & *Servius*, (h) hanc nimirum, *quod plerumque vitalis*

(a) *In act. apost. 9, 37.* [b] *Homil. 84. in Ioan. Conf. Epiphanium homil. de sepultura domini.*

[b] *Apolog. n. 42.* (c) *in epist. ap. Euseb. H. E. L. VII. c. 22.* [d] *t. I. orat. in S. baptisma f. 644.*

(e) *In Sacr. Homil. 36. in evang. & 4. dial. 17. hom. 38.*

(f) *in praefat. 10. libri.* (g) *L. 17. c. 52.*

(h) *in Aeneid. 6. in illud: Pars calidos latices &c.*

vitalis spiritus, qui viventi inerat, & a cadaveribus putabatur exclusus, calidarum aspersione aquarum veluti apto quodam fomento, quod nativo colori congruat, ad pristinum paulatim redeundo temperamentum, consopitus excitetur. Potuit & alia apud gentiles ratio subesse, ut nempe unctioni aromatum, quae mox subsecutura erat, corpora eo aptiora evaderent, quo mundiora adhibito aquarum lavacro existerent.

§. III. Ast vero christiani longe praestantioribus ad id efficiendum rationibus inducti sunt. Quanquam enim & apud illos lotio uncturae cadaverum aliquando inserviebat, tamen potissimum ideo ea est facta, quod dignitati sanctorum corporum repugnare videbatur, ut in sordibus vel minimis sepelirentur illa, quae sanguine Christi abluta, & Spiritu Dei sanctificata erant. Deinde aeternam glorificationem & claritatem, qua in resurrectione induentur corpora fidelium, respiciebat funebris haec lotio. Typica seu symbolica igitur erat lotio christianorum feralis, designans purgationem spiritualem ab omni peccato, quam defunctus per finalem suam fidem nactus erat, & praesignans futuram istam corporis purgationem, munditiem, claritatemque, quae ab isto exspectatur. Duplicem hunc lotionis finem *Guilielmus Durandus* sec. XIII. scriptor, [i] sic exprimit: *Deinde corpus, nisi vivens noviter innunctus fuerit, debet lavari, ad significandum, quod si anima per confes-* *sio-*

[i] *In ration. div. offic. L. 7, cap. de offic. defunct.*

sionem a culpa mundata sit, utrumque (scilicet anima & corpus) aeternam glorificationem, & claritatem in die iudicii consequetur, quodque illi iuxta sententiam ipsius Ioannis evangelistae, vocemque e coelo auditam, vere in Domino moriuntur, qui morituri seculo nequam, ac sibimet ipsis, nullam secum, exeuntes e corpore, maculam deferunt, sed in hoc mundo per poenitentiae baptismum sordes omnes, si quae inerant, deposuerunt. Alii [k] rationem, cur martyrum praecipue corpora abluerentur, praeter adductas, peculiarem hanc fuisse putant, quod *invictis Christi athletis, ex aerumnosi certaminis agone, vel potius ex arena martyriorum haud sudore duntaxat, sed sanguine madidis, sordibusque ac pulvere deturpatis, immo variis modis a tyrannis maculatis, & sordibus inquinatis, non deceret, sancta eorum corpora in immunditie relinquere, eaque in sacra coemeteria sordida inferre.*

§. IV. Ceterum an a viris virorum, & a feminis feminarum corpora ordinarie lota fuerint, non satis constat. *Kirchmannus* [l] sentit, non desiisse apud christianos hunc morem romanum, ut feminae lavarent corpus, idque ex actis *S. Tharaci* probare contendit, quippe in quibus Maximus praeses ita allocutus esse martyrem legatur: *Putas, quod mulierculae aliquae corpus tuum habeant aromatibus vel unguentis condire, iniquissime? nam de hoc est cogitatio, ut reliquias tuas perdam.* Et paulo post: *Nonne sic te perdam,*

(k) *Aringhus in Roma subterr. T. I, L. I, c. 22, p. 702.*
[l] *De fun. Rom. L. I. c. 9.*

dam, & sicut antea praedixi, reliquias tuas, ne mulierculae in linteamine corpus tuum involvant, & unguentis odoribusque adornent? Liquet ergo, mulieres etiam corpora virorum curasse: ac idcirco nec a lotione illorum excludendae videntur.

CAP. V.

Cadavera unguentis & aromatibus condiebantur.

§. I.

LOtionem excipiebat unctio cadaveris: qui mos ab Aegyptiis ad ceteras gentes, & a iudaeis praecipue ad christianos [a] transiit. Perfundebantur nimirum omnia membra cadaverum pretiosis unguentis, ex variis aromatum speciebus confectis, cum in finem, ut diutius durarent, foetorque quodammodo ab iis arceretur. Quo autem honoratiores, ditioresque, aut divitibus cariores defuncti fuerant, eo liberalior sumptuosiorque erat eorum corporum unctura: quod ex sequentibus patebit, ubi huius ritus apud christianos usus primum testimoniis, deinde exemplis confirmatur.

§. II. Testem illius prae ceteris laudo *Tertullianum*, non uno loco de hac unctionis cadaverum consuetudine testimonium [b] edentem: *Thura*, ait, *plane non emimus: si Arabiae quaerantur, sciant Sabaei, pluris & carius suas merces christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis.* Idem

[a] *Kirchm. de fun. rom. c. 7. & s. Calvör Rit. eccles. P. 1. l. 3. c. 9.* [b] *In apologet. c. 42.*

Idem alibi [c] *aromata ad sepulturae solatia christianis usui esse*, scribit. *Minucius Felix*, causidicus romanus, Tertulliani aequalis, inter obiectiones gentilium contra christianos & hanc profert, quod christiani *unguenta funeribus reservent*. Huc etiam spectant verba *Clementis* alexandrini, (d) quae ita sese habent: *Nimiae unguentorum unctiones, iusta, quae fiunt mortuis, potius, quam familiarem vitae consuetudinem redolent*. Adde *Prudentii* [e] versiculos:

Aspersaque myrrha sabaeo
Corpus medicamine servat.

Ex his itaque testimoniis non tantum liquet quam clarissime, priscos novi foederis fideles corpora defunctorum aromatibus condivisse: sed praeter id exinde apparet, myrrham inter talia aromata adhibitam esse. *Myrrha* enim, ait Ruffinus aquileiensis, *est species valde amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putrescat, & pellit vermes. Thus* etiam huc pertinere, ex eo manifestum est, quod inter Sabaeorum merces, quas a christianis ad sepulturae usum emtas fuisse audivimus, praecipue thus referatur; id quod *Corippus* de funere IUSTINI agens, his indicat verbis:

Thura sabaea cremant.

Porro *mel*, *calcem*, *opobalsamum*, in condiendis corporibus usu recepta fuisse, exempla, quae iam adducentur, clare docebunt: istae autem spe-

[c] *De idololatria c. 11. p. 91. Conf. de Resurr. carnis c. 27. p. 342.* (d) *l. 2. Paedag. c. 8.*

(e) *Hymno 10. circa Exequ. def. n. 50. L. cathem. p. 126.*

ſpecies omnes, pluresque aliae [f] cum ad incorruptionem in longius tempus cadaveri impertiendam, atque arcendam putredinem, tum ad odorem, & gratiam conciliandam, foetoremque inhibendum faciebant.

§. III. Inter eos, qui huiusmodi unctura ferali ſunt donati, primo loco referendus eſt ipſe dominus noſter Iesus Chriſtus: afferebat enim eam ob cauſam Nicodemus mixturam myrrhae & aloës, nec exiguam eius partem, ſed libras fere centum, Ioanne evangeliſta cap. 19. referente. De Petro apoſtolo incertus auctor [g] memorat, quod *cum in cruce affixus, martyrium conſummaſſet Petrus, a Marcello, presbytero eius corpus curatum, aromatibusque conditum magnificentisſime more regio, nedum iudaico, ſit traditum ſepulturae.* Poſt illos martyres potiſſimum honore hoc ſunt adfecti. Sic tyrannus, Maximus, praeſes (h) minabatur Tharaco, qui A. C. 290 martyr eſt factus, ſe *reliquias eius perditurum, ne unguentis, & aromatibus illae condirentur.* Martyrum Primi & Feliciani, Romae necatorum A. D. 303. corpora in ſindones cum aromatibus involuta fuiſſe, *Surius* [i] refert. Petri quoque alexandrini epiſcopi & conſpicui martyris corpus, unguentis delibutum fuiſſe, apud *Baronium* (k) legitur. Ad morem con-

F di-

[f] *Vid. Pet. Bellonium l. II. de medicato fun.*
(g) *t 1. annal. Baron. A. C. 69. n 20.*
(h) *Baron. Annal. t. 2. A. C. 290. n. 21. 23.*
[i] *Surius d. 5. iun.* [k] *t. 3. a. 310. n. 10. Vide & Sozom. H. E. l. IX. c. 2. ſub fin.*

diendi martyrum corpora allusit *Eunapius*, (l) quando conviciabatur: *Ii condita & salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem a iudicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro divis ostentabant.* Nec vero martyribus tantum, sed & aliis in ecclesia celebribus viris, feminisque hoc officium exhibitum fuisse, exempla monstrant. Nam MELETIO antiocheno episcopo pie defuncto largam unguentorum, & aromatum copiam ad ipsius corpus curandum, uxor (m) impertiebatur. CAESARIUS, Gregorii naz. frater, morbo extinctus, myrrha, quamvis ob inopiam exigua, [n] donatus est. Interim talia aromatum condimenta suis post obitum corporibus impendi vetuere viri pietate celebres, ANTONIUS (o) monachorum parens, & EPHRAEM, (p) edessenae ecclesiae diaconus. Augustini quoque mater MONICA, imminente morte, non cogitavit suum corpus sumtuose contegi, aut condiri aromatibus: unde & feminis hunc uncturae honorem alias exhibitum, liquet. Supra monuimus, etiam mellis, calcis, & opobalsami usum in conditura corporum fuisse. Exempla, unde id cognoscatur, quaedam adducam; & quidem melle fuisse conditum EPIPHANIUM, ne quid forte ingratum corpori accideret, *a Nicephoro*

[l] *In vitis Philosoph. in Aedesio.*
[m] *Greg. nyss. orat. in fun. eius p. m. 319.*
[n] *Greg. naz. t. 1. epist. ad Sophron. praef. p. m. 781.*
[o] *Athanasius in vita eius.*
[p] *in suo testamento.*

cephoro (p) narratur. Viva calce & candidissimo caemento S. APHRAE martyris corpus conspersum,(q) incorruptum postea ab Embricone episcopo repertum esse ferunt. Similiter apostoli THOMAE ossa, immissa iis calce, quae arenae candidissimae speciem prae se tulerit, inventa dicuntur a *Maffeio* (r) in suis historicis enarrationibus. Opobalsamum adhibebatur in condiendis corporibus DUODECIM FRATRUM, de quibus *Surius* (s) pluribus legi potest. Tandem audiamus *Corippum* de funere IUSTINIANI, varias istas adductas aromatum species commemorantem, multarumque aliarum mentionem (t) iniicientem. Verba illius sunt haec:

Thura sabaea cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo
Centum aliae species, unguentaque mira feruntur,
Tempus in aeternum sacrum servantia corpus.

§. IV. Quam vero ob causam fidelium corpora ita condirentur, adhuc indicandum. Solet nempe triplex vulgo [u] dari ratio, 1. *physica*, ut putredo, & foetor a sanctis corporibus arceretur. 2. *Civilis*, ut illa honoris pietatisque in defunctum esset testimonium; siquidem talis unctio inprimis honoratis, aut de ecclesia Christi bene meritis personis conferebatur. 3 *Mystica*

(p) *L. XII. c. 46.* [q] *Marc. Welserus de pass. S. Afrae n. 36.* [r] *l. b. de Indiar. hist.*
(s) *t. V. d. 1. Sept.* [t] *L. III. de exequiis Iustin. Imp.*
(u) *Vid. Quenstedt. de Sep. vet. c. 5. p. 91. Calvör. Rit. eccles. L. III. c. 9. p. 881.*

stica, ut esset testificatio fidei de resurrectione corporum, & symbolum ἀφθαρσίας seu incorruptibilitatis. Ad rationem secundam omnino notandum, eiusmodi unctuream feralem non omnibus in universum fidelibus collatam esse: pauperiores enim, qui neque ob singularem pietatem in ecclesia conspicui, neque martyres erant facti, non potuere ipsi sumtus in unguenta facere, nec a ditioribus facile illos obtinuerunt. Quare de unctione fidelium, qui Alexandriae peste occubuerant, ne verbulum quidem extat, cum tamen omnia alia feralia officia, a fidelibus illis praestita, recenseantur.

§. V. Ceterum mulieres haut raro in cadaveribus unguendis occupatas fuisse, legimus. Etsi enim sacerdotes ac pontifices maximi sacris perlinendis corporibus devota plerumque manu dare operam censueverunt, ut in multorum martyrum actis habetur: peculiare tamen piarũ matronarum munus hoc extitit, earum forte exemplum aemulantium, quae venerandum domini nostri corpus ungere satagebant. Sic Basilissa & Anastasia, Petri & Pauli discipulae eorundem funus curasse feruntur sequentibus verbis: *Romae sanctarum martyrum Basilissae, & Anastasiae, quae cum essent ex magna urbe Roma, genere & divitiis illustres, discipulae sanctorum apostolorum, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatas curavissent, delatae sunt &c.* cui *Baronius* in suis ad Martyro-

(x) *Ap. Euseb. H. E. L. VII. c. 22.*
(y) *In Menologio apud Canisium.*

tyrologium notis d. 15. April. adstipulatur, Audivimus supra, quod THARACO minatus sit praeses Maximus, *se perditurum illius corpus*; additur autem in actis istius martyris: *ne mulierculae aliquae* [z] *illud aromatibus vel unguentis condire possint.* Plura exempla mulierum funus curantium *Aringus* (a) in Roma subterranea suppeditavit. Apud Romanos certorum erat virorum, mortuos inungere, qui pollinctores (b) audiebant: nec dubium est, quin & christiani illis pacis temporibus usi fuerint.

[y] *In Menologio apud Canisium.*

(z) *Baron. annal. t. 1. A. C. 290. n. 21. 23.*

(a) *L. 1. c. 15.* [b] *Kirchm. Lib. cit. L. I. cap. 9.*

CAP. VI.

Linteis, & sindone defunctorum cadavera involvebantur, aut vestibus induebantur.

§. I.

AROmatum condimento, ut dictum, perfusa cadavera, linteis protinus involvebantur, aut vestibus pro more gentilium (a) induebantur. *Cyrillus* enim alexandrinus ita adhortatur christianos: (b) *Non viderit quispiam defunctorum reliquias nudas, & in terram proiectas, sed bene compositas.* Quod primum attinet ad morem linteamine & sindone corpora involvendi, plurima eum exempla commonstrant, nec du-

(a) *Vid. Casal. de urb. ac rom. Imp. splend. cap. 21. de fun. roman. p. 345.* [b] *t. 2. p. 36.*

dubium est, quin a primis inde temporibus in ecclesia obtinuerit; nam quia ipsius SERVATORIS nostri corpus pretiosis linteis fuit involutum, antiqui christiani istum iudaeorum morem prae reliquis servare voluere: quo de ex multis pauca tantum exempla producemus. Et quidem rursus ex actis THARACI (c) martyris hic ritus constat, quippe cui Maximus ita minatus est: *Nonne reliquias tuas perdam, ne mulierculae in linteamine corpus tuum involvant?* Legimus alibi, (g) quendam diaconum nomine EUSEBIUM, qui postea episcopus laodicenus factus est, initio persecutionis sub Valeriano divinitus roboratum esse, ut περιςολας seu oblonga linteamina conficeret, quibus corpora beatorum martyrum involverentur.

Idem & *Prudentius* (e) testatur, quando canit:

Candore nitentia claro
Praetendere lintea, mos est.

Plura martyrum exempla adducere possem ex martyrum actis, quorum corpora linteo, immo & sindone involuta fuerint: sufficiat autem, duo adhuc protulisse. Nimirum in vita Isidori martyris, sub Decio coronati, memoratur, (f) quandam piam feminam, PYROPEN appellatam, illius reliquias unxisse unguento, easque sindone munda involvisse: Et *Hieronymus* de MULIERE septies icta refert, clericos cruentum

(c) *Baron loco ante cit.* (d) *Ap. Eus. H. E. l. 7. c. 11.*
[e] *Hymno X. circa exequ. defuncti p. 128.*
(f) *Metaphrastes apud Sur. d. 5. Sept.*

entum linteo cadaver obvolvisse. Ceterum auctor vitae Antonii, quem Athanasium dicunt, *Mos*, ait, *Aegyptiis est, nobilium, & praecipue beatorum martyrum corpora linteamine obvolvere.*

§. II. Non autem martyrum tantum, verum & aliorum fidelium, qui naturali morte excesserant, corpora linteis accurate contegere & involvere, usu fuit receptum. Atque hoc *Dionysius* alexandrinus testatur, (g) quando pia christianorum officia erga defunctos fideles recenset: nam inter ea expresse & hoc refert, quod *lavacro & περιςολαῖς* h.e. *oblongis linteis* eorum corpora exornaverint. Meletii episcopi antiocheni, sec. IV. defuncti, funus ab uxore curabatur, *sindonesque mundae, & panni serici* [h] videbantur, quibus illius corpus involutum erat. Vnde apparet, honoratiorum corpora, pretiosiora accepisse involucra. Addo autem, nisi paupertas obstaret: habemus enim *Caesarii* Gregorii naz. fratris exemplum, (h) utpote qui, dignitate licet conspicuus, ast opibus ab hoste privatus, non sericas, molles & circumfluentes telas, nec lini pellucidi texturas, sed pauca & vilia tantum integumenta accepit.

§. III. Sicut autem involutio cadaverum a primis inde ecclesiae temporibus recepta erat, ita & mos defunctos vestibus induendi mox in ecclesiam e gentilismo [i] irrepsit.

F 4 Varia-

(g) *in epist. apud Euseb. loc. cit.*

(h) *Greg. nyss. orat. in fun. eius hab. p. 319.*

[h] *ap. Greg. naz. t 1. orat. fun p. 167. & epist. ad Sophron. p. 781.* (i) *Kirchm. de F. R. lib. 1. c. 10.*

Variabant autem hae vestes pro dignitate & opulentia defuncti, aut illius fautorum. Sic B. Pauli primi eremitae corpus S. Antonius pallio obvolvit, teste Hieronymo de vita Pauli. Contra ex *Baronio* (k) constat, B Caeciliae corpus *contextis ex auro vestibus amictum* repertum esse. Idem etiam a.395. ex Maffeio Vegio profert, in sepulcro clarissimorum coniugum Probi, & Probae Falconiae, temporibus Nicolai V. magnam auri copiam ex aureis vestibus, aliisq; sepulcralibus ornamentis inventam fuisse. Corpus S. Vari martyris a Cleopatra *splendidis indutum vestibus*, apud *Surium* [l] legitur. Macrinae virginis corpus pulchro vestitu ornatum fuisse, adeo, ut sponsae similitudinem retulerit, palliumque nigrum superiniectum fuerit, ne reliquarum monialium oculi offenderentur, testis est ipsius frater *Gregorius* nyssenus in vita eius. Quem morem & *Augustinus* [m] tangit, dum ait: *Sed pompa est funebris, excipitur sepulcro pretioso, involvitur pretiosis vestibus, sepelitur unguentis, & aromatibus.* Inprimis autem heic notandum est, episcopos & sacerdotes defunctos vestibus suo ordini congruentibus interdum ornatos fuisse: nam Petri alexandrini episcopi, martyris sub initium sec.IV. coronati corpus vestibus sacerdotalibus albi coloris, colobio & homoforio, seu potius holovero aut holo-

[k] *Annal. t. 9. a. 821. n. 13.-21.*
(l) *t. 5. d. 16. Octobr.*
[m] *in Psalm. 48.*

holobero [n] indutum fuit. Et CHRYSOSTOMUS, [o] moriturus, vitae suae congrua vestimenta quaesivit condida, exutusque prioribus, ea sibi induit, omnibus usque ad calceamenta mutatis. *Aringus* (p) LEONIS I. sec. V. pontificis romani corpus, refert, lignea in arca repertum fuisse ornamentis pontificalibus insignitum, mitra in capite satis ampla, casulaque coopertum, sub qua complicatae fuerint manus, & pallio insuper in superiori parte circumcinctum. Vnde invaluit tandem consuetudo, clericos illis indumentis, quae requirebant ordines, sepeliendi, quod *Durandus* [q] & suo aevo observari volebat: *Clerici vero* inquiens, *si sint ordinati, illis indumentis induti sint, quae requirunt ordines, quos habent; si vero non habent ordines sacros, more laicorum sepeliantur. Verum tamen, licet in aliis ordinibus propter paupertatem hoc saepius omittatur, in sacerdotibus tamen & episcopis nullo modo praetermittendum est: vestes enim sacerdotales virtutes significant, cum quibus prae ceteris sunt Domino commendandi.* Porro etiam observetur, in libro *de Vitis Pontificum*, (qui vulgo Damaso sec. III. Pontifici romano, *a Bellarmino* (r) autem Anastasio tribuitur bibliothecario, at vero rectius pro scripto seculi IIX. agnoscitur, uti ex Labbeo

F 5

(n) *Fresne in glossar. P. 2. 752. Ferrar. de re vestiaria. Baron. in annal. a. 310. n. 10.*

(o) *Pallad. in Vita Chrysost.* [p] *L. 2. c. 8. n. 4.*

(q) *In Rationali l. 7. c. 35. de offic. mort.*

(r) *de scriptor. eccles. ad a. 828.*

beo observavit venerabilis Abbas *Ioannes Fabricius*: (s) illi enim, Labbeo scilicet, [t] visus est MS. codex melioris notae, Caroli M. tempore exaratus) memorari, Eutychianum sec. III. Papam romanum constituisse, ut quicunque fidelium sepeliret martyrem, id sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus faceret: quod in honorem martyrum fieri debuisse, facile colligitur. *Colobium* erat communis tunica etiam penes christianos, & quidem in sacris, ut & reliquae vestes communes, gestata ad usque Silvestri sec. IV. Pontificis rom. tempora, cuius instituto in locum colobiorum dalmaticae venerunt. Cum enim colobium esset vestis sine manicis, nuditas autem brachiorum culparetur a Silvestro, dalmaticarum repertus [u] est usus: purpuratum autem debuit esse colobium martyrum, cum alias commune colobium esset albi (x) coloris, forsan ideo, ut regio quasi honore illi adficerentur, quippe qui fortissimorum instar Regum usque ad sanguinem fortiter certassent, omnibusque hostibus suis tandem devictis, iam in coelo regnarent. *Dalmatica* tunica autem erat manuleata seu cum manicis, candidi coloris, ita appellata, quod in Dalmatia primum confecta erat. *Alcuinus* (y) describens

[s] *In Amoenit. theolog. p. 48.* (t) *t. 1. dissert. histor. de script. eccles.* [u] *Vide Ferrarium de re vestiar. P. 1. L. 3. p. 97. & Alcuin. de div. officiis.*
[x] *Ferrar. cit. lib. 3. c. 10. p. 203.* (y) *de div. offic. Conf. Isid. L. 19. c. 22. Amalar de eccl. offic. l. 2. c. 21.*

bens illam, ait; fuisse vestimentum longum ad instar crucis, habuisse in sinistra parte fimbrias, fuisse inconsutilem, ac large manuleatam, habuisse lineas coccineas, vel ut alii referunt, purpureos tramites, vel clavos pariter purpureos, ut tunicae senatorum, primo a sacerdotibus gestatas, dein diaconis concessas, postea solos episcopos dalmaticarum ius habuisse. Quoniam ergo dalmatica habuit figuram ad instar crucis, purpureoque colore intertexta quibusdam locis erat, ideo preciosa hac veste martyres honorari voluerunt, utpote quorum innocentia sanguine quasi mixta fuerit, & qui summam adflictionem perpessi, eam ob causam digni essent, qui dalmatica post obitum ornarentur.

§. IV. Praeter iam dicta, alii (y) quoque observarunt, vestibus preciosis defunctorum ceratum nonnunquam linteum, vel pullum etiam pallium superiniectum fuisse: Sed mittimus istum ritum, tanquam recentiorem, & antiquiorem hunc adnotamus, quod si quis preciosum amico defuncto vestitum donaret, prius illum conscinderet, ne eo a flagitiosis surrepto funus irreverenter tractaretur. Auctor trium in Iobum [z] librorum, quem quidam Origenem esse falso putarunt, meminit huius moris, quem excipit *Chrysostomus* (a) quando ait:

Quam-

(y) *Gretserus de funere christiano l. I. c. 5. exemplis illud demonstrat.* [z] *L. 7. in Iob.*

(a) *Homil. 84 in Ioh. & Homil. 5. de Anna.*

Quamplures ad compeſcendam hominum rapacitatem & procul avertendas latronum manus, ne id ſuis accideret, praecaventes, tenuia ſcindunt linteamina, multisque implent aromatibus, ut duplici nomine furibus inutilia reddantur. At vero nimio luxu in mortuorum corporibus veſtibus ornandis ex gentiliſmo in eccleſiam irrepente, non defuerunt, qui talem abuſum acriter perſtringerent. Hieronymus [b] *Cur mortuos veſtros,* ait, *auratis obvolvitis veſtibus? cur ambitio inter luctus, lacrymasque non ceſſat? an cadavera divitum niſi in ſerico putreſcere nequeunt? Chryſoſtomus* [c] ſimiliter illos ſic dehortatur: *Tu cum audieris, nudum dominum reſurrexiſſe, ceſſa quaeſo ab inſana funeris impenſa: quid ſibi hoc ſuperfluum vult & inutile diſpendium, quod ipſis, qui faciunt, plurimum adfert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius? Sumtuoſa namque ſepultura nonnunquam cauſa eſt, ut fures cadaver effodiant, & nudum ac inſepultum projiciant.* Quale exemplum extat apud *Gregorium* turonenſem L. 8. hiſt. cap. 21. *Baſilius* quoque magnus (d) negligenda talia docet: *Quid cadaver*, inquiens, *nihil ſentiens multis impenſis honeſtare contendis? nonne melius, veſtem hanc precioſam ſuperſtitibus uſui neceſſario ſervare, quam fruſtra humi cum cadavere tabeſcere ſinere?* Quare HILARIO, iſta flocci pendens, ſicut veſtitus erat in lecto decumbens, ſe-

(b) *t. 1. p. 240. in Vita Pauli eremitae.*
[c] *Homil. 84.*
(d) *t. 1. p. 315. ſerm. 3. in divites avaros.*

sepeliri (e) voluit; & *Gregorius* nazianzenus (f) apud parvos sumtuosa funera in pretio esse adserit.

§. V. Quaeritur adhuc, a quibus ferale cadavera involvendi officium sit peractum? Supra dictum fuit, non tantum propinquos ac necessarios defuncti, sed alios etiam fideles illius curam suscepisse; quare sine differentia sexus, quicunque aut quaecunque fuerint, munus hoc peregisse reperimus. Ex sec. III. habetur exemplum ecclesiae alexandrinae seu fidelium [g] in genere: & circa A. D. 290. mulierum (h) in specie: ex sec. IV. autem exemplum clericorum, qui cruentum mulieris septies ictae cadaver linteo obvolvebant: & notatu dignum est, quod addit *Hieronymus*: (i) *quibus id officii erat.* Tota ceterum vestiendi mortuos consuetudo ab amore erga defunctos, studioque honorandi humana corpora apud omnes gentes est profecta: praeterea vero christianos ad illam continuo servandam impulit corporum fidelium sanctitas, & gloriosa, quam credebant, resurrectio. [k]

§. VI. Morem cetera gentilium, coronandi mortuorum capita, seculis IV. prioribus non-

(e) *Hieron. in eius vita t. 1. p. 252.* [f] *t. 1. p. 170. orat. in laud. Caesarii.* (g) *Ap. Euseb. loco saepius citat.* (h) *In annal. Baron. ad a. 290. n. 21. 23.*

(i) *de mul. sept. icta t. 1.*

(k) *August. de civit. Dei L. I. c. 13. & de cura pro mortuis.*

nondum receperant christiani: quae enim *Casalius* (k) de MACRINA Gregorii nysseni sorore profert, nihil probant, cum non dicatur caput eius coronatum, sed tantum *ornatum*. Pro nostra adsertione autem facit testimonium *Minucii Felicis*, (l) qui vixit sec. III. ita loquentis: *Quod caput non coronamus, ignoscite; curam boni floris naribus ducere, non occipitio capilli solemus haurire. Nec enim mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quomodo tribuatis exanimi, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus.*

(k) *De vet. christ. ritib. c. 66. p. 265.* [l] *In Octavio.*

CAP. VII.

Cadavera christianorum linteis involuta, quanquam saepius sine arca recondebantur, tamen arcae etiam aut capsulae interdum inclusa sunt.

§. I.

NOn erat veterum, quae hodiernorum christianorum consuetudo, ut exanime corpus linteis involutum, aut vestibus indutum, semper in arca ponerent, antequam illud sepelirent; sed saepius fiebat, ut sine capsa aut arca corpus compositum sepulturae traderetur. Habebant enim sua coemeteria, ut infra dicetur, quae specus erant subterraneae artificiose constructae, multos habentes loculos in parie-

parietibus, in quibus corpora defunctorum linteis involuta ponere solebant: sicut & Christi domini nostri sanctissimum corpus sine arca sepultum fuit. Attamen nec ille ritus prorsus inter eos exulavit, ut capsae aut loculo cadavera includerent. Sic S. CYPRIANI martyris reliquias neglectus loculus (a) continebat: & martyris BABYLAE corpus loculo (b) servabatur. Ipse CONSTANTINUS Imperator, cum adhuc in vivis esset, arcam sibi parandam (c) curavit, in qua corpus ipsius post obitum quiesceret. Gregorius nyssenus (d) arcae cuiusdam meminit, quae in funere MELETII episcopi visa sit. Ita seculo V. reperta est arca CONIUGIS (e) *Caesarii*, & EUSEBIAE loculus, cuius operculum instar sacrae mensae erat fabrefactum: ubi etiam simul duae pyxides argenteae repertae sunt, in quibus sacrae 40. MARTYRUM reliquiae erant reconditae; quas autem postmodum elegantissima capsa donavit Pulcheria Augusta. S. EUPHAEMIAE martyris reliquiae in arca quadam oblonga (f) reconditae, ex argento pulcherrime fabricata, feruntur. In coemeteriis romanis antiquorum christianorum multae repertae sunt arcae marmoreae, quae honoratiorum & ditiorum corpora

(a) *Vid. B. Agobardi carmen de transl. reliqu. S. S. martyrum Cypriani, Sperati & Pantaleonis, Opp. Cypr. praefixum.* [b] *Socr. H. E. L. 3. c. 18.* [c] *Euseb. de V. C. L. 4. c. 60. & 66.* (d) *Orat. fun. in Melet. Opp. p. 310.* (e) *Sozom. H. E. L. 9. c. 2. p. 803. & seqq.* [f] *Evagr. H. E. L. 2. c. 3.*

pora continuere,& variis etiam picturis tum veteris tum novi foederis historias prae se ferentibus, ornatae fuere, quarum saltem nonnullas ad priora ecclesiae Christi secula referendas esse, celeberrimus *Basilius* antiquitatum indagator satis probasse videtur. [g]

(g) *Vide Aring Roma subterr. L 2.c.10.*

CAP. IIX.

Funus exposuerunt christiani privatim. De vigiliis usque ad elationem funeris celebratis.

§. I.

Corpus ad sepulturam bene compositum nonnunquam exponebatur domi aliorum conspectui, donec efferretur. Loquor autem de funere, quod non raptim & furtim, sed ordinario modo celebrari poterat. Quidam (1) exemplum TABITHAE, cuius in actis apostolorum (2) mentio occurrit, eo referunt, quippe quam post obitum lotam ἐν ὑπερώῳ i.e. elatiori domus parte collocatam fuisse legimus; ut nihil ibi scriptum extat de decenti corporis illius ad sepulturam compositione, quae expositionem funeris antecedere debet: nisi quod tota fuerit: quare illud exemplum huc non spectare arbitror. Habentur autem alia pro expositione funeris exempla, eaque aptiora, e.g. S. VALENTINI & MACRINAE sororis Gregorii nysse-

(1) *ut Gretserus de fun. christ. L. 1. c 7. Quensted. de Sep. vet. c. 5. p. 98,* (2) *Act. 9, 37.*

nysseni: ad illius enim corpus, referunt, (3) vigilias a christianis esse peractas; ad huius cadaver eaedem sunt [4] celebratae, unde colligi posse videtur, curata haec corpora in conspectu fidelium collocata fuisse. Quamvis enim antea sit dictum, Macrinae corpus ornatum, nigro pallio contectum fuisse, tamen illud facile removeri potuit ab iis, qui aut quae illam videre cuperent. S. PETRUM alexandrinum episcopum, & martyrem pontificalibus indumentis vestitum, perinde ac viventem in sede S. Marci collocabant fideles; ratio erat haec, quod ille semper sese indignum habuerat, qui in cathedra pontificali sederet, ideoque in eius suppedaneo scabello consederat, quoties divini mysterii sacramenta celebrarat. Populus ergo, qui reverentia eius, dum viveret, saepe victus fuerat, iam defunctum voluit superare, collocans venerandum corpus ipsius, capite amputato ei superimposito, in cathedra pontificia. Vide haec apud *Baronium* a. 310. n. 10. *Gregorius* turonensis (5) refert, PELAGIAM, piam mulierem, morituram, filium his allocutam esse verbis: *Quaeso, fili dulcissime, ne me ante diem quartum sepeliatis, ut venientes famuli, famulaeve omnes videant corpusculum meum, nec ullus frustretur ab obsequiis meis de his, quos studiosissime enutrivi.*

G Vi-

(3) *In martyrol. rom. d. 14. Febr.*
[4] *Nyssenus in vita eius.* [5] *Lib. de gloria confessor. c. 104.*

Videamus adhuc, si placet, magnificam prorsus funeris CONSTANTINI M. expositionem, de qua ita *Eusebius* : [6] *Posthaec milites sublatum e lecto corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtectam veste Constantinopolim deportarunt, atque in praecipuo Imperialis palatii cubiculo sublimem collocaverunt. Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus praebebatur, & quale in nullo unquam mortalium ab ipso orbe condito visum in terris fuerat. Quippe in medio conclavi regalis palatii, funus Imperatoris in arca aurea sublime iacens, purpura scilicet, ac diademate exornatum, multi circumdantes noctu atque interdiu vigiles custodiebant. Ceterum totius exercitus duces, comites quoque, & reliqui iudices & magistratus, qui etiam antea Imperatorem adorare soliti erant, pristini moris observantiam nullatenus mutantes, statis horis ingrediebantur; & Imperatorem in arca depositum, perinde ac vivum & spirantem, genu flexo post obitum salutabant. Post primores autem illos, idem deinceps & Senatores, & honorati omnes, introeuntes, fecere: innumerabilis deinde vulgi multitudo cum pueris ac mulieribus ad huius rei spectaculum accessit. Atque haec longi temporis spatio assidue gesta sunt, cum militares, funus ad hunc modum iacere & custodiri decrevissent, donec Imperatoris filii eo advenientes, ipsi paternum funus honoris causa prosequerentur.* Quae pompa funeris, licet plane sumtuosa & extraordinaria fuerit, in Imperatore tamen, qui omnes alios mor-

(6) *in vita Constant. l. 4. c. 66. 67.*

mortales dignitate antecellit, tolerari potuerit. THEODOSII quoque magni Imperatoris corpus expositum fuisse, ex eo non difficulter colligitur, quod quadragesimo demum post obitum die iusta illius [7] sint celebrata. De IUSTINIANI funere *Corippus* idem testatur. Interea non dubitamus affirmare, rariora esse expositionis funerum exempla, siquidem aestus ingens tam persecutionum, quam aëris cogebat, ut primo quoq; tempore corpus sepulturae traderetur, ut infra [8] percipiemus.

§. II. Ceterum fideles, apud sancta corpora excubantes, pia colloquia habebant, & hymnodias cantabant usque ad illorum elationem; cumque talia pietatis officia plerumque noctu fierent, *vigiliae* hinc dictae sunt. Ita in martyrologio romano (9) summis evehuntur laudibus martyres, *Proculus*, *Ephebus*, & *Apollonius*; qui cum ad corpus S. VALENTINI *vigilias agerent*, iussi Leontii consularis comprehensi, gladio caesi sunt. De S. SEVERIANO martyre (10) leguntur sequentia: *Sequenti autem die, quidam ex piis, quibus martyr vivus suam mandaverat sepulturam, simul convenientes, cum martyris illud corpus magnifice composuissent, & super id hymnos recinissent, & quaecunque solent christiani, peregissent, desiderantibus simul & colentibus manibus elatum media nocte, tulerunt in patriam martyris.* Similiter

(7) *Ambrosius orat. in obitu eius.*
(8) *L.3.c.1.* (9) *d.14. Febr.* (10) *Ap. Sur, t.5. d.9. Sept.*

ter de S. MACRINA frater *Gregorius* nyssenus (11) sequentia refert: *Interim dum haec agebamus, & virginum cantu, lamentationibus commixto, resonaret locus, fama, nescio quomodo, undique diffusa, omnes finitimi ad funus confluxerunt, adeo ut concurrentes vestibulum non caperet. Cum igitur nocturna pervigilatio, ut in martyrum celebritate, canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum advenisset, confluentium vicinis e locis omnibus, virorum & mulierum multitudo, psalmorum decantationem fletibus interpellabat.* Quomodo *Augustinus* ante exportationem funeris MATRIS, cum aliis, qui aderant, fidelibus cantaverit, & pia colloquia ad elationem usque funeris habuerit, in Confessionibus suis [12] ipse enarrat. *Hieronymus* (13) post obitum PAULAE, ait, non planctus, sicut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepasse. *Prudentius* de matre ROMANI martyris ita [14] canit:

Deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere
Hymnum canebat carminis davidici:
Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei.

Dionysius, areopagita dictus ita (15) scribit: *Cum quispiam, qui sancte vixit, obdormivit, eius propinqui ipsum beatum praedicant, & victoriae auctori gratias cum cantu agunt, seque ipsos ad similem quietem*

(11) *In vita Macrinae.*
[12] *t. 1. l. 9. Confess. c. 12.* [13] *In epitaph. Paulae t. 1. p. 182.* (14) *Peristeph. hym. 10. n. 835 p. 306. & seq.*
(15) *Hierarch. ecclesiast. c. 7.*

tam pervenire exceptant. Apud *Tertullianum* (16) legimus, feminam quandam, cum in pace dormisset, morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri compositam, i. e. Deo commendatam fuisse: sine omni autem fundamento *Pamelius* (17) orationem istam presbyteri interpretatus est de sacrificio missae.

(16) *De anima c. 51.* (17) *in notis ad h. l.*

CAP. IX.

Haeredes defuncti novem dies ab impetu creditorum erant liberi. Praegnans mulier non ante humabatur, quam partus ei excisus erat.

§. I.

QVando aliquis apud Romanos extinctus erat, diebus septem domi illius corpus asservabatur, & curabatur lavando, ungendo, osculando, complorando, conclamando, ut *Casalius* de Funeribus Romanorum (a) pluribus ostendit. Octavo die funus procedebat, & corpus incendebatur, nono sepeliebatur; & si qui ludi in mortui honorem fierent, ab eo novemdiales (b) sunt appellati. Novemdiales illas ferias aliqua ex parte a christianis sec. V. & seqq. servatas, ex novella *Iustiniani* Constitutione (c) manifestum est. In illa enim sancitum, *nulli penitus esse licentiam, aut haeredes, aut paren-*

[a] *De urbis ac rom. Imp. olim splend. p. 342. & seqq.*
[b] *Gyraldus ferrariensis de sepult. c. 6. Gutherus de iure Manium L. I. c. 16.*
[c] *Nov. 115. c. 5. Conf. Nov. 133. c. 3.*

tes, aut liberos, aut coniugem, aut agnatos, vel cognatos, aut alios adfines eius, aut fide iussores ante novem dierum spatium, in quibus videantur lugere, conveniendi, aut quocunque modo inquietandi, aut aliquam admonitionem eis offerendi. Exemplum funeris, a foeneratore impediti, narrat *Ambrosius* loco infra citato (d).

§. II. Si mulier praegnans mortua erat, partus statim eximi debebat ventris scissione. Ita enim *Marcellus* Lib. 28. digestorum: (e) *Negat lex regia, mulierem, quae praegnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.* Quam gentilium legem, cum humanitati maxime conveniat, christianos quoque observasse, non est, quod dubitemus.

(d) *lib. de Tobia c. 10.* (e) *lib. 11. Digest. tit. 8. leg. 2*

CAP. X.

Baptismus & eucharistia defunctis aliquando conferebantur.

§. I.

Seculo IV. irrepsit in ecclesiam hic mos, ut baptismus & eucharistia illis defunctis, qui nondum eorum participes facti erant, conferretur. Colligitur hoc ex eo, quod in quibusdam Conciliis canones (f) contra hos errores facti sunt, qui mortuos baptizari, aut illis eucharistiam ministrari vetabant. *Albaspinaeus* (g) vult, istos ca-

(f) *in Concil. carth. Honorio & Theodosio iun. can. 18. item in Constantinop. VI. quae trullana dicitur, c. 83. in Antissiodor. can. 12.* (g) *Observat. lib. I. Obs. 9.*

canones non nisi de poenitentibus, qui sine absolutione, & de catechumenis, qui sine baptismo moriebantur intelligendos esse. Posterius in dubium revocari non potest, quia baptismus non poterat iterari: prius facile probatur; quorsum enim homini mortuo eucharistiam dedissent, qui eam, dum viveret, sumsisset, aut qui inter fideles reperiretur? Quod vero ad eos attinet, qui in statu poenitentiae erant, nec adhuc absolutione gauderent, interim tamen morerentur, dolor & angor, nescio quis, ex eorum obitu nascebatur: unde nonnulli eucharistiam & baptismum iis, licet mortuis, tribuebant, quod opitulari se illis hoc modo, atq; illos in fidelium numerum, coetumque revocare, existimarent. Quem quidem errorem ex simplicitate, & opinione populari esse profectum, canonibus fere omnibus huc spectantibus, adfirmatur. Vide plura in dissertatione venerabilis abbatis *Io. Andr. Schmidii* de Eucharistia mortuis collata.

CAP. IX.

Nomina martyrum, confessorum, & episcoporum orthodoxorum, aliorumque, defunctorum in ecclesiae societate, diptychis seu sacris tabulis inscribebantur.

§. I.

Antequam secundum hunc libellum claudamus, de diptychis nonnulla sunt dicenda, quibus nomina pie defunctorum inseri solebant.

lebant. Diptychorum nomen *ἀπὸ τῶν πτυχῶν* i. e. *plicis* derivatur, & ita dicuntur, quia tabulae sunt, quae duas habent plicas, de quibus eorumque sacro & profano usu multa collegit *Heribertus Rosvveydus*; (a) de usu autem eorundem in sacris *Carolus du Fresne*, [b] & *Marcus*, *Carolusque* fratres; [c] nec non venerabilis abbas *Schmidius*, praeceptor meus summopere colendus, peculiari dissertatione multis egerunt. Usum eorum in ecclesia sec. III. jam fuisse, *Cyprianus* significat, quando ad clerum carthaginiensem (d) scribit: *Denique & dies eorum*, (confessorum nempe, in carcere, quo propter fidem tenebantur, defunctorum) *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Deinde laudat Tertullum, quod ad ipsum perscripserit, & adhuc perscribat dies, quo beati in carcere confessores excesserint glorioso prorsus exitu. Perscribebat autem illos ad Cyprianum ideo, ut sacris tabulis illa inscriberentur etiam isto in loco, ubi tum beatus martyr degebat, ne ullo modo illorum memoria obliteraretur, sed ut illa anniversariis diebus celebrari oblationibus & sacrificiis posset, nominibus e diptychis ad altare recitatis. Vidimus igitur, usum diptychorum in ecclesia Cypriani aevo, & quidem uti martyrum, ita & confessorum dies obitus iis inser-

[a] *In onomast. ad vitas patrum.*
(b) *In gloſſar. ad ſcript. med. & inf. latinitatis.*
(c) *In Lexico ſacro.* (d) *epiſt. 37. p. 51.*

sertas fuisse, nominibus pro more additis: nam nomina deinde e diptychis recitare debebant, ergo iis inscribenda erant. An vero reliquorum pie defunctorum exitus dies, & nomina iisdem tabulis etiam inserta sint, adfirmare dubito, quia scopus atque finis huius adnotationis erat, ut commemorationes illorum tanquam martyrum publice ad altare celebrarentur, qui autem honor aliis, neque in carcere, neque extra illud martyrio defunctis, exhiberi non poterat.

§. II. Sec. IV. pace utplurimum ecclesiae concessa, episcopi, qui in ecclesiastica communione decesserant, sacris tabulis inscribi solebant; peculiare autem volunt fuisse illud diptychorum genus, cui episcoporum nomina inscripta sint, & *Dionysium* areopagitam, quando sacrarum tabularum, ex qua nomina sanctorum ad altare recitata fuerint, facit mentionem (e) illud, quod episcoporum erat, intelligere, Cardinalis *Bona* [f] existimat; quamvis probabilius videatur ille, per sanctos non solos episcopos, sed omnes, qui singulare sanctitatis exemplum reliquerant, denotare. Aliunde ergo debet probari, quod probandum erat. Iam vero adducunt CHRYSOSTOMI post mortem fata, quippe cuius nomen episcoporum catalogo noluerint inserere (g) orientales, pro more alias consue-

G 5 to,

[e] *Hierarch. ecclesf. cap. 3.*

(f) *Rer. liturg. l. 2. cap. 12. §. 1.*

(g) *Socrat. Hist. eccl. l. 8. c. 25. Theodorit. l. 5. c. 34.*

to, ut omnium episcoporum orthodoxorum nomina non inter laicos sed peculiari loco annotarentur: & haec probatio omnino firma est atque sufficiens. Vt vero illa dilucidior reddatur, ea quae ob istam B. Chrysostomi nominis reiectionem gesta fuere, brevibus erunt indicanda. *Innocentius* nempe sub initium sec. V. P. R. de Ioannis Chrysostomi obitu certior factus, non exigua tristitia exinde afficiebatur, non quod mortuus esset, sed quod extra communionem ecclesiae, ex hac enim innocens eiectus erat, vitam finiisset. Vt igitur beato viro famam atque honorem restitueret, ad Arcadium Imperatorem scripsit, (h) eique annunciavit, se ipsum cum Imperatrice a communione sacramentorum iam separare, nec non omnes episcopos, & clericos, qui sacramentum eucharistiae ipsi praebere ausi fuerint; idque ea ex causa, quoniam magnum ecclesiae doctorem Chrysostomum illegitimo modo episcopatu privarit, ab uxore sua seductus. Deinde Imperatori denunciat, se Arsacium, Chrysostomi successorem, ut illegitimum, non agnoscere pro episcopo, licet iam sit mortuus, seque vetare, illius NOMEN SACRO CATALOGO inscribere, ut & illorum episcoporum omnium, qui ab istius partibus stetissent. Post aliquod tempus *Alexander*, vir eloquentissimus, sedem episcopatus antiochiensis nactus, Romam

(i) scri-

(h) *Exc. ap. Glyc. Ann. Part. 4. p. 259. edit. paris. Niceph. l. 13. c. 34. p. 419. & in Iur. graec. rom. tit. 1. Leg. 9. p. 557.*

(i) scribebat, litteras comunionis efflagitans: erat enim tunc receptum, ut simulac aliquis episcopus factus, statim ad reliquos episcopos scriberet, & confessione fidei suae orthodoxae edita, comunionis testimonium peteret. Innocentius Papa romanus promittebat ei communionem, si Chrysostomi nomen ἐν διπτύχαις seu CATALOGO ECCLESIASTICO inscribere vellet. Tum antiochiensis ille praeful nomen illius statim ei (k) inseruit, alios etiam episcopos per litteras adhortans, inprimis Atticum constantinopolitanum, ut idem facerent. Postea ipse etiam Atticus seditionem populi metuens, Imperatoris permissu, nomen beati Chrysostomi *sacris diptychis* (l) inseruit. Quo facto, scripsit [m] ad Cyrillum alexandrinum episcopum, eum certiorem reddens de illis, quae in causa Chrysostomi gesta erant, eumque admonens, ut & ipse cum totius Aegypti ecclesiis suum exemplum sequeretur, praecipue, cum Chrysostomi nomen non tanquam alicuius, qui episcopus mortuus, sed qui talis fuisset, a se annotatum esset. *Cyrillus* gravibus praeiudiciis laborans, litteras mittebat responsorias, (n) quibus Attico praecipitantiam & oscitantiam, hac in re gravioris momenti commissam, obtrudebat, addens, se audivisse, nomen Chrysostomi non in laicorum, sed episco-

(i) *Innocent. Epist. 14. Concil. tom. 2. col. 1265. & epist. 16. ad Alex. antioch. col. 1268.*

(k) *Niceph. l. 14. c. 25.* (l) *Niceph. l. 14. c. 25.*

(m) *Idem l. 14. c. 26.* (n) *cap. 27.*

ſcoporum catalago ab eo inſcriptum eſſe, & denique eundem adhortans, ut id ipſum rurſus ex illo deleret. Verum ad ſaniorem tandem mentem perveniens Cyrillus, ſynodumque epiſcoporum provincialem convocans, voluit, ut nomen Chryſoſtomi eccleſiaſticis catalogis inſcriberetur; cuius exemplum deinde praecipuarum eccleſiarum antiſtites ſunt (o) ſecuti. Haec ſunt, quae poſt obitum Chryſoſtomi, de nomine eius epiſcoporum albo inſerendo, accidere: unde in aprico eſt poſitum, tum epiſcoporum defunctorum nomina diptychis inſcripta fuiſſe, nec tantum iſtius eccleſiae diptychis, cui defunctus praefuerat, ſed aliarum etiam omnium, tum illa cum iis diptychis, quae aliorum defunctorũ erant, non eſſe confundenda. Apparet quoque, non niſi illius epiſcopi nomen, qui orthodoxiae & piae vitae teſtimonium habebat, in illa relatum eſſe: immo nec illius epiſcopi nomen, qui eccleſiaſticis moenibus eiectus, & dignitate privatus erat, niſi innocentia eiusdem deinceps in lucem proveniret. Quodſi vero aliquis poſt obitum inſcriptus eſſet, cuius doctrina poſtea damnabatur, nomen etiam illius ſtatim delebatur, veluti exemplum Theodori, epiſcopi mopsveſteni [p] in Cilicia ſec. V. ſatis aperte declarat. §. III.

(o) *cap. 28.* [p] *Theodoret. H. E. l. 5. c. 40. Iuſtinianus in edicto de fide orthod. de Theodoro mopsveſteno inter acta ſynodi univ. De aliis quorum nomina e diptychis deleta ſunt, vid. Anaſtaſius in Agathone P. P. p. 55. Hincmarus remenſis opuſc. 17. ad Nicolaum P. P. Concil. chalced. act. 14.*

§. III. Quemadmodum vero episcopi in vera fide defuncti ecclesiasticis tabulis inscripti fuere, ita & laici, aliique in ecclesiastica communione mortui proprium habebant album, inquod nomina eorum adnotari consuevere. Probatur haec sententia ex *Cyrilli* alexandrini epistola ad Atticum constantinopolitanum episcopum, utpote in qua haec habentur (q) verba: *Lectis, quae a pietate tua ad me missae sunt, litteris, Ioannis nomen sacris inscriptum esse tabulis intellexi. Vbi vero eos, qui inde ad nos venere, interrogavi, non in* LAICORUM *sed* EPISCOPORUM CATALOGO *adscriptum esse audivi.* In liturgia *Chrysostomi*, ex parte genuina, diptychorum fit mentio tam vivorum, quam mortuorum, ubi non illa episcoporum, sed mortuorum in genere esse intelligenda, facile colligitur. In liturgia *S. Marci*, falso ita dicta, diptychorum vocabulum etiam occurrit. Ceterum notari meretur, sec. III. a *Fabiano* P. R. Romae constitutos fuisse notarios, qui gesta martyrum describerent; unde originem postea sumserunt martyrologia, quae vocantur, quorum primus auctor fuit *Eusebius*, cuius martyrologium vertit in latinum *Hieronymus*, attestante Beda sub initium Retract. in acta apost. Quos deinceps imitati sunt ipse *Beda*, *Ado* trevirensis, & *Florus* quidam, e quibus omnibus iussu Caroli M. suum congessit martyrologium *Vsuardus*, quod hodienum in omnibus re-

(q) *Nicephorus H. E. l. 14. c. 27.*

romanis ecclesiis legitur. Apud graecos vero id ipsum praestitit sed pluribus *Simeon Metaphrastes*. Haec habet *Pamelius* in notis adCypriani epistolam XXXVII. ad clerum de confessoribus in carcere.



LIBER TERTIUS
DE
ELATIONE FUNERIS USQUE AD PERACTAM SEPULTURAM.

CAPUT I.

Quando elata sint funera. Quod non campanarum sono, sed fama conflu xerint fideles ad comitandum funus.

§. I.

Dies post obitum, quo funera elata, pro arbitrio cuiusvis variabant: quidam ipso obitus die efferebantur in templum, quamvis tertio demum die sepelirentur, inter quos Paula mater [a] est referenda: alii sequenti statim die mane, ut Ambrosius, (b) deducebantur in templum: ille autem similiter aliquot dies post sepultus est. De S. Severiano

(a) *Hieron. t. I. p. 182.* (b) *Paulinus & W. Cave Antiqu. eccl. in Vita Ambros. p. 849.*

NO martyre iam antea (c) dictum, quod sequenti die manibus fidelium illius corpus elatum, in patriam deductum fuerit. MACRINA similiter sequenti obitum die efferebatur. Paucis, quando funus curatum erat, illud primo quoque tempore exportabant, sive primo obitus die, sive sequenti, uti hodienum in Italia, ingenti aestu sic postulante, fieri solet.

§. II. Cum itaque dies & hora, efferendo funeri destinata, adesset, non quidem signum, ut hodie fit, campanis edebatur, sed fama volans per urbem fideles ad exequias congregabat. Quod sec. adhuc IV. in funere FABIOLAE factum esse, *Hieronymus* (d) sequentibus memorat: *Nec dum spiritum exhalaverat, nec dum debitam Christo reddiderat animam, & iam fama volans, tanti praenuncia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat.* Cum MACRINAE iusta fieri deberent, *fama, nescio quomodo, undique diffusa omnes finitimi ad funus confluxerunt:* quae sunt verba ipsius fratris, *Gregorii* nysseni episcopi. (e) *Augustinus* ubi de matris MONICAE funere agit, adhuc fama confluxisse fideles, his indicat verbis: (f) *Audito, quid ageretur, convenerunt multi fratres ac religiosae feminae, & de more illis, quorum officium erat, funus curantibus &c.* Campanarum itaque in funeribus christianorum usus prioribus quatuor seculis nondum fuit. Nec ratio illorum temporum illas per-

(c) *l. 2. c. 8.* [d] *t. 1. in Epitaph. Fabiolae f. 201.*
(e) *in vita eius.* (f) *t. 1. confess. l. 9. c. 12. f. 36. 37.*

permittebat. Nam cum fideles diris admodum persecutionibus saepissime premerentur, cogebantur non raro sicut sacra, ita & funera sua clam atque occulte celebrare, praesertim cum nonnunquam expresse prohibitum esset a gentilibus, ne mortuos suos sepelirent christiani, sicut supra pluribus est indicatum.

§. II. Quo tempore autem campanae a christianis in funeribus adhiberi coeperint, determinari tam accurate non potest. Venerabilis *Beda*, qui scripsit historias Anglorum A. D. DCC, indicat, (g) quod tunc temporis etiam sonaverint campanae speciali quodam sono, cum quis e vita migrasset: quem morem hodienum servari, in Anglia, ut nempe, si quis decesserit statim campana eius parochiae speciali quodam modo sonet, *Benthemius* memorat. (h) At de campanis in funeribus ipsis adhibitis iam loquimur: quare Bedae verba huc non spectant. Si quid coniectura hoc loco valet, dixerim, sonitum campanarum in funeribus sec. VII. initium habuisse: ineunte enim hoc seculo SABINIANUS primum Romae in templa illas intulit, (i) ut illarum sonitu populus invitaretur ad sacra audienda. Graecis autem campanae usui esse coeperunt demum circa A. C. 865. postquam a Duce Venetiarum ad Michaelem Imperatorem graecorum missae (k) fuerant. CAP.

(g) *l. 2. hist. c. 23.* (h) Engl. Kirch- und Schulen-Staat/ *p. 443.* (i) *teste Platina in vita Sabiniani P. R. Polydor. Vergil de Invent. rerum. l. 6. c. 13.* (k) *Vide Casal. de rit. vet. christ. p. 190. Hierolexicon fratrum Macri & Caroli sub voce campana,*

CAP. II.

Funera humeris elata: & a quibus.

§. I.

CVm hora efferendo funeri destinata adesset, accedebant, quorum officium erat deducendi defunctos ad sepulturam, aut alii, pro libera voluntate, humeros feretro, aut arcae subiicientes. Exempla in sequentibus multa occurrent; immo tam apud Iudaeos, (a) quam gentiles humeris efferre cadavera in usu fuit, ut alii (b) satis abunde demonstrarunt. Attamen hoc velim annotetur, saevientibus in ecclesiam Christi tyrannis, non semper licuisse, cadavera humeris ad conditorium deducere, ideoque illa ex metu periculi interdum supra vehicula, ad ruralem usum destinata, deportata fuisse, ut hoc modo ethnicis ministris sepulturam sanctorum martyrum occultarent. Ioh. Bapt. *Casalius* (c) ex Baronio producit exemplum S. STEPHANI protomartyris, qui tali vehiculo vectus ad sepulcrum fuerit, item exemplum FELICULAE martyris, de qua in sanctorum Nerei & Achillei actis [d] haec habeantur: *Sanctus autem Nicomedes presbyter, in spelunca degens, clam abstulit corpus eius ex cloaca, in quam fuerat proiectum, noctu in biroto vehens illud ad casulam suam, septimo milliario ab urbe Roma, via ar-*

[a] *Luc. 7, 14.* (b) *Quenst. de sepult. vet. cap. 6. Kirchm. de fun. rom. l. 2. c. 8.*

[c] *de vet. sacr. christ. rit. p. 265.*

[d] *ap. Sur. t. 3. d. 12. Maii.*

deatina, *ibique eum sepelivit*. Vbi tale vehiculum rurale *birotum* dicitur, a binis videlicet, quibus instructum erat, rotis.

§. II. Progredimur iam ad ipsos funeris baiulos contemplandos. Dicuntur illi graece *βαςαζοντες*, (e) *εκφεροντες*, (f) *παραπεμποντες*, (g) *προκομιζοντες*, (h) & sub N. T. initium officium hoc administrabant *οἱ νεωτεροι*, *οἱ νεανισκοι*, i. e. *iuniores*, seu *adolescentes* (i) in coetu fidelium: hi enim Ananiam, eiusque uxorem Sapphiram extulisse leguntur. Post apostolorum tempora sec. II. certi quidam ad hoc ferale munus constituti erant, *κοπιωντες* seu laborantes dicti in epistola (k) quadam, quae sub *Ignatii* nomine circumfertur; ubi illi inter reliquos ministrorum ecclesiae ordines sic recensentur: *Saluto hypodiaconos*, *lectores*, *ianitores*, *laborantes*, *exorcistas*. Quinam vero per *τυς κοπιωντας* seu *laborantes* sint intelligendi, *Epiphanius* (l) indicat, eos intelligens, qui curam pro mortuis honorifice sepeliendis haberent. In africana ecclesia sec. III. certis personis demandatum hoc ferale officium fuisse, ex sequente *cleri* romani ad clerum carthaginiensem [m] adhortatione plane constat: *Quod maximum est, corpora martyrum aut*

cetero-

(e) *Luc. 7, 14.* [f] *Act. 5. 6. 10.* [g] *nazianz. t. 1. p. 118. de fun. Constantii; & de fun. Caesarii p. 169.* [h] *Idem de fun. Basilii p. 371.* [i] *Act. 5, 6. 10.* (k) *epist. 12. ad Antioch.* [l] *in compend. doctr.* (m) *Ap. Cypr. epist. 2. cleri rom. ad cler. carthag. p. 9.*

ceterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet iis, quibus incumbit hoc opus. Porro sec. IV. *clericorum* quosdam efferendis & sepeliendis mortuis ab ecclesia destinatos, reperimus, veluti in operibus *Hieronymi* (n) incertus quidam auctor his indicat verbis: *Primus in clericis fossariorum ordo, qui in similitudinem Tobiae sancti sepelire mortuos admonentur.* Deinde Augustini tempore in istius loci, ubi mater defuncta erat, [defuncta autem est apud ostia tiberina] ecclesia, quosdam ad curam pro mortuis habendam constitutos fuisse, sequentia laudati viri verba [o] commonstrant, de funere matris agentis: *Audito quod agebatur, convenerunt multi fratres ac religiosae feminae; & de more illis,* QUORUM OFFICIUM ERAT, *funus curantibus &c.*

§. III. Sed ne quid praetermittamus, notari meretur & hoc, quod *Constantinus M.* in ecclesia constantinopolitana constituerit, & quidem ecclesiae sanctissimae maiori dederit corpus ex nongentis & quinquaginta diversorum collegiorum & artium officinis, qui huic muneri mancipati essent, ut cadavera defunctorum efferrent, & honeste sepelirent: hos vero, ad hoc opus delectos, voluit ab omnibus publicis oneribus esse immunes, & a vectigalibus liberos. Testatur illud de eo *Iustinianus* (p) Impera-

(n) *t.4.p.21. de septem ordinibus ecclesiae.*

[o] *t.1.l.9. confess. f.36.*

(p) *Novella 59 de impensis funerum. & novella 43.*

perator, addens *Anastasium* pientissimum principem illud institutum confirmasse, adiectis insuper & reditibus causae, nec non centum & quinquaginta officinis, ut ita officinarum numerum ad mille & centum redegerit, totidemque *lecticarios* seu *decanos*, videlicet mille & centum definiverit, ad mortuos sepeliendos, ne sepultura nimis gravis ac damnosa superstitibus existeret. *Iustinianus* autem Imperator, cum videret, hoc pium maiorum institutum periculum pati, ne interiret, illud restaurare suscepit: audiverat enim, non sine mercede fieri defunctorum exequias, sed exigi eam amare, & inveniri plurima foris nomina & corpora, quae etiam invitos exigerent lugentes, & cogerent, dare non habentes. Restituit ergo sanctae maiori ecclesiae ad plenum centum illa & mille ergasteria, constituitque, ut octingentae quidem officinae praestarent *vespillones*, *lecticarios*, *fossarios*, trecentae autem in exactione pecuniarum consisterent, seu reditum pecuniarum praestarent. His vero trecentis officinis praefecit oeconomos, qui haberent etiam praediorum, sepulturae destinatorum, administrationem; illis autem octingentis praefecit defensores, qui illarum administrationem habebant, & omne illud ministerium faciebant, quod defunctorum exequiae volunt, quatenus per hoc damna auferuntur lugentium. Oeconomi porro per singulos menses quadringentos solidos dividere debebant decanis seu lecticarios

ctica-

ſticariis graece νεκροφόροις, & acoluthis, quorum officium erat praelucere & funalia deferre, ac aſceteriis & canonicis ſeu ſanctimonialibus, quarum officium fuit pſallere: & quidem decanis per ſingulos menſes centum octoginta duo ſolidi, aſſiſteriis autem nonaginta unus, totidemque acolythis, canonicis autem triginta & quinque ſolidi dabantur. Hinc conſtat, funerum elationem Conſtantinopoli ſumtibus eccleſiae, non defunctorum, fieri conſueviſſe, ex *Conſtantini M.* inſtituto, *Anaſtaſii* confirmatione, & *Iuſtini* reſtitutione atque correctione.

§. IV. Quanquam vero ſemper in eccleſia videntur certi viri conſtituti fuiſſe, ad curam pro mortuis gerendam, illosque ad ſepulcrum efferendos, ſepeliendosque, tamen deprehendo, *ſacerdotes*, *epiſcopos*, aliosque magnos viros ſeſe non ſubtraxiſſe huic funebri officio: immo ipſi *propinqui* inter deductores funeris reperiuntur. De PAULAE matris funere, (q) nobilis feminae, legitur, quod *translata ſit epiſcoporum manibus, & feretro cervicem ſubiicientibus.* BASILIUM M. (r) *ſancti* ſeu ſacerdotes efferebant. *Gregorius* nyſſenus epiſcopus cum *Araxio* epiſcopo, aliisque duobus de clero inſignibus viris, funus ſororis MACRINAE [s] portabat. *Ambroſius* mediolanenſium epiſcopus fratrem ſuum SATYRUM cum aliis ad tumulum (t) ipſe baiu-

[q] *ap. Hier. t. 1. ad Euſtoch p 182.* (r) *ap. Greg. naz. orat. 20. in Baſilium t. 1. p. 371.* [s] *Gregor. nyſſ. de obitu Macrinae it. ap. Surium t. 4. d. 19. Iul.*

(t) *t. 3. orat. in obitu fratr.*

baiulavit. De FILIMATRAE in signis matronae exequiis *Sidonius* sec. VI. scriptor. [u] haec refert: *Hanc tamen, si quis haud incassum honor cadaveribus impenditur, non vespillonum, sandapilariorumque ministeria ominosa tumulavere: sed cum libitinam ipsam flentes omnes exteri quoque prensitarent, remorarentur, exoscularentur, sacerdotum propinquarumque manibus excepta perpetuis aedibus dormienti similior illata est.* FULGENTIUS afer, episcopus ruspensis sec. VI. *sacerdotum* manibus ad ecclesiam civitatis deportatus est. (x) Ex quibus exemplis simul patet, hunc honorem, quod nempe episcopi & sacerdotes efferrent funus, non nisi nobilioribus, & qui fama sanctitatis celebres erant, exhibitum esse. Vnicum adhuc adiiciendum, videlicet, quod etiam virgines aliquando virginem defunctam extulerint. Testem praedico *Palladium*, (y) quando in certo quodam mulierum monasterio trans fluvium Nilum hunc obtinuisse morem memorat, ut si virgo obierit, reliquae virgines, cum eam ad sepulturam concinnassent, efferrent, eamque ponerent ad ripam fluvii: traiicientes autem fratres eam transmitterent, atque in suis monumentis sepelirent.

CAP.

(u) *lib. 2. epist. 8.*

(x) *Surius t. 1. in vita Fulgent.*

(y) *Hist. laus. sect. 36. in Biblioth. patr. t. 7.*

CAP. III.

Lectica quorundam corpora efferebantur. Sacerdotis corpus palla altaris obtegebatur. Tegmen feretro inicere solebant.

§. I.

DVo erant apud romanos feretrorum genera, *lectica* & *sandapila*: illa nobiliores & ditiores, hac pauperes & vilis conditionis homines efferre (1) moris erat. Nullum autem est dubium, quin christiani etiam interdum hisce feretris usi fuerint, quando tranquilla ecclesiae tempora erant concessa. In constantinopolitana ecclesia tres erant lecticae seu lecti, ceteris pretiosiores, nimirum *Studii*, *Stephani*, & in maiori ecclesia positus *deauratus*, (2) seu auro intertextus. Quisquis igitur nolebat funus, quod gratis fiebat, sumtibus ecclesiae, sed vel mediocre, vel quoddam per munificentiam desiderabat, ille ex tribus iam memoratis lectis unum poterat eligere. Si quis autem ex duobus maioribus lectis *Studii & Stephani* unum quaereret, ille debebat decanis, assisteriis vel canonicis dare pro labore, quantum ipsis placeret, quamvis decem solidorum quantitatem non liceret transcendere; hi enim lecti & pluribus hominibus, & custodia potiori,& omnimoda curiositate egebant: pro *deaurata* autem lectica non ultra quatuor solidos debebant exigi.

(1) *Vid. Kirchm. de fun. rom. l. 2. c. 9.* (2) *Novella 59.*

gi. Qui una ex illis utebatur, *funus per munificentiam*, qui hac, deauratam scilicet cupiebat, *mediocre funus facere* dicebatur. Iam recensebo quorumdam defunctorum, lecto aut lectica elatorum exempla: nimirum S. HONORATUS (3) BASILIUS M. (4) MEDARDUS, [5] immo ipsae Imperatrices christianae PLACILLA (6) Theodosii M. uxor, illiusque filia PULCHERIA (7) lecto elati leguntur. Huc etiam spectat, quod *Epiphanius* [8] memorat, GEORGIUM alexandrinum Arianorum simul ac Meletianorum episcopum, tam avarum fuisse, ut etiam vilissimis ex rebus illiberalem quaestum summo studio captarit: unde excogitasse illum κλίνας i. e. lectos certo in numero, qui adhiberentur corporibus defunctorum efferendis, nec cuiusquam corpus sine illis lectis deductum fuisse, maxime peregrinorum corpora.

§. II. Singularis porro ritus, praesertim in Gallia, quondam obtinuit, & quidem in funere sacerdotis, utpote cuius corpus, dum ad tumulum portabatur, velamine altaris obvolvere atque obtegere solelebant, ideo, ut illud maiori, aliorum corporibus, honore adficeretur. Verum non diu hic ritus duravit, siquidem sub medium sec. VI. in *avernensi* synodo (9) prorsus

(3) *Hilarius arelat. in Vita eius p. 32.* (4) *nazianz. orat. fun. in Ob. eius t. 1. p. 371.* [5] *Fortunatus in eius vita c. 17.* (6) *nyss. opp. p. 288 orat. in eam fun.* [7] *Idem p. 282. orat. consol. de ob. illius.* (8) *adversus Anomaeos haer. 56. t. 1. l. 3.* [9] *c. 3. & c. 12.*

sus interdictum fuit, ne pallis, vel ministeriis divinis defunctorum corpuscula obvolverentur, & ne sacerdotis corpus unquam opertorio dominici corporis seu palla altaris, dum ad tumulum evehatur, obtegeretur, quia sacro velamine usibus suis reddito, cum honorentur corpora, altaria polluantur. Aliquot annis post sub finem nempe seculi VI. in synodo *antisiodorensi* idem rursus prohibitum fuit.

§. III. Sed & hoc observari meretur, arcae, qua corpus reconditum erat, in elatione velamen obtendi consuevisse, quod pro dignitate personarum pretio variaret. CONSTANTINI M. arcae, qua cadaver eius continebatur, purpureum tegmen (10) iniectum erat. PLACILLA, Theodosii M. uxor, auro, purpureaque veste velata, in urbem, loculo tecta, [11] portabatur. BLESILLAE nobilis virginis feretro aureum velamen (12) obtentum erat. Irrepserat etiam sec. V. praecipiti hic mos, ut dalmaticis operirentur Pontificum romanorum corpora, quas populus, nescio, ex qua superstitione, conscindebat, & pro sacris reliquiis asservabat. Noluit autem *Gregorius M.* ut id amplius fieret, ut sequentia evincunt ipsius verba: (13) *Sicut indignos nos pro b. apostoli reverentia mens fidelium veneratur, ita nostram infirmitatem decet, semet ipsam semper agnoscere, & impense venerationis*

H 5 onera

[10] *Euseb. de V. C. l. 4. c. 66.* [11] *nyssenus loc. cit.*
(12) *Hieron. ad Paulam de Ob. Blesillae.*
[13] *Lib. 4. Regist. epist. 44.*

onera declinare. Ex amore quippe fidelium, huius sedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, haec dalmaticis contegant, easdem dalmaticas pro sanctitatis reverentia sibimet partiendas populus scindat, & cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum, martyrumque velamina, a peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reverentia reservatur; de qua re praesenti decreto constituo, ut feretrum, quo romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere sedis huius presbyteros ac diaconos, censeo. Si quis vero ex eorum ordine haec curare neglexerit, anathema sit.

§. IV. Adhuc notandum, interdum funera aperta, nec tecta elata esse, quomodo BASILIUS M. exportatus creditur, quoniam *Gregorius* nazianzenus (14) refert, quosdam operam dedisse, ut solo aspectu fruerentur, i. e. ni fallor, ut faciem eius intueri possent, atque inde salutem aliquam voluptatem capere: quo schemate hodienum graeci suos referunt vita functos, & Itali, aliique.

(14) *Orat. in laud. eius.*

CAP. IV.

Funera & noctu & interdiu sunt elata.

§. I.

QVemadmodum antiquus gentilium mos erat, ut funus noctu duceretur, *quia in religiosa civitate cavebant, ne aut magistratibus interdiu occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos mole-*

lebant alieno funere violari; ac inde etiam qui funeri praeerant, a vespera primum vespерones *dicebantur, deinde* vespillones *dicti* [a] *videntur*: ita christianos, etiam suos noctu interdum ad sepulturam extulisse, antiqua scripta docent. At vero notandum, illos non sponte ac ultro nocturna funera elegisse, sed coactos a maximo quod imminebat periculo, si interdiu fidelium, martyrum praecipue, corpora sepelirent. Tanta enim erat persecutorum crudelitas, ut & sepulturam cadaverum prohibere non dubitarent. Vnde protomartyr N.T. STEPHANUS noctu sepultus esse in epistola *Luciani*, si quidem genuina sit, (b) legitur. Cum sub L. Vero Imperatore Lugduni & Viennae in Gallia plurimi extitissent martyres, & cadavera humare non liceret, quaerebant quidem fideles noctu illa clam auferre & sepelire, sed nec noctis (c) tenebrae illos iuvare poterant. Sic & S. SEVERIANUM (d) S. FELICITAM [e] filiosque, sub Diocletiano martyres, media nocte sepultos, ex eorum actis constat. Ast vero simul ac ecclesiae pax reddebatur, aut quando temporis ratio concedebat, funera claro die plerumque sunt elata, veluti exempla funerum CAESARII & BASILII apud *Gregorium* nazianzenum, PAULAE & FA-

[a] *Servius ad lib. II. Aeneid. ad verba, Rapuere faces. Vid. etiam Kirchm. de fun. roman. l. 2. c. 2. p. 78.*
(b) *ap. Baron. in Annal. a. 34. n. 308.*
(c) *Eus. H. E. l. 5. c. 1. p. 165.* [d] *ap. Sur. t. 5. d. 9. Sept.*
[e] *in cod. later.*

Fabiolae apud *Hieronymum*, Satyri apud *Ambrosium*, Constantini M. apud *Eusebium*, & Pulcheriae atque Placillae Augustarum apud nyssenum commonstrant. Rationes autem, cur christiani diurna potius quam nocturna elegerint funera, fuerunt, ut significarent, sicut pie in Domino defunctus, in vita non fuit noctis, sed lucis filius, ita & in obitu nullam ei communionem cum tenebris esse, sed animam illius triumphare in luce coelesti, & corpus resuscitationem, ad illam pariter perfruendam, expectare: deinde, ut aliis occasio daretur, de morte etiam sua cogitandi, ideoque sese ad illam digne praeparandi: (f) denique ut gentilibus & iudaeis, inter quos ipsi degebant, omnibus appareret, quantopere infidelium & fidelium exequiae differrent, dum hi laetitia luctu mixta cum cantu quasi festivo efferrent sua funera, de spe resurrectionis firma gloriantes, atque triumphantes, illi autem ululatu & lessu magno suorum corpora, quae prorsus interiisse credebant, omni spe resurrectionis destituti, ad sepulturam deducerent, ut vel ex funeribus fidelium infideles confunderentur, & ad christianae religionis praestantiam agnoscendam allicerentur. Quapropter *Cyprianus* (g) & *Chrysostomus* (h) illos ex christianis graviter reprehendunt, qui nimio luctu in funeribus fidem de resurrectione abnegant, &

(f) *Aug. serm. 20. de diversis.* (g) *de mortal. p. 212.*
(h) *t. 4. homil. 4. in c. 2. epist. ad hebr.*

& gentilibus occasionem potius dant, calumniandi fidem christianam, tanquam fictam & fucatam, quam bene de illa sentiendi, eamque recipiendi. Verum *Iulianus* Imperator, noctis filius, diurna funera prorsus interdicebat, & nocturna iuxta veterem gentilium morem restituere tentabat, cuius constitutio talis [i] extat: *Efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam: qui enim dies bene auspicatus a funere, aut quomodo ad Deos & templa venietur? Ideoque quoniam & dolor in exequiis secretum amat, & dum functis nihil interest, utrum per noctes aut dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.* Has ille rationes contra diurna funera praetendebat: at vera fortasse ratio fuit, quod splendorem christianorum funerum invidis oculis intuebatur, atque ex acerbo in eos odio omnibus modis illis molestus esse tentabat. Nihilominus diurna funera in ecclesia ad hodiernum usque diem permanserunt.

(i) *in vet. cod. Theodos. tit. 17. de sepulcro violato l. 5.*

CAP. V.

Cum psalmis & hymnis ad sepulturam elata sunt funera.

§. I.

MAcrobius (a) ait, *mortuos ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum gentium*

[a] *l. 2. somno Scip. c. 3. vid. etiam Kirchm. de F. R. l. 2. c. 5 & 6. Casal de urb. ac rom. Imp splend, c. 21. de fun. rom. p. 346.*

tium vel regionum instituta sanxisse, persuasione hac, quod post corpus anima ad originem dulcedinis musicae, i. e. ad coelum redire credatur. Vnde apud gentiles receptum erat, ut in funeribus *tibicines* pretio conducerentur, & *praeficae*, quae ad tibias funebres canerent lamentabile aliquod & inconditum carmen, ad deplorandum mortuum adprime accommodatum. At veri christiani nunquam tibicinibus, & praeficis in suis funeribus usi sunt, sed cum psalmis & hymnis extulerunt defunctos, quos ipsi cantabant, de beato defuncti exitu Deum celebrantes, mortuumque sic honorantes. Antiquitatem huius ritus *Aringus* romanus (b) ab ipso apostolorum aevo deducit, & quidem ex oratione *Nicetae* christiani philosophi de martyrio, & inventione corporis *Levitae Stephani* probare vult, apostolos una cum fidelium multitudine, in psalmis & hymnis sacrum eiusdem corpus ad sepulturam extulisse. Quin etiam Romae tunc praesertim, cum gentilium persecutiones admodum fervidae essent, discipulo apostolorum PUDENTI senatori id praestitum esse, ex actis eius constare; quippe ubi verba haec habeantur: *Exequiae eius celebratae sunt in hymnis, & canticis, iuxta traditionem ecclesiasticam.* Porro in sic dictis *Constitutionibus* apostolicis expresse mandatum esse dicit, ut christiani mortuos psallentes deducant. Verum, quicquid etiam de veritate horum testimoniorum sit habendum, id fal-

(b) *in Roma subterr. l. 1. c. 19. p. 61.*

saltem tam certum est, quam quod certissimum, seculo III. iam obtinuisse laudatam hanc caeremoniam. Nam A. C. 259. martyrum OLYMPII, illiusque sociorum corpora, a clericis noctu sublata *cum hymnis ex more*, ab episcopo Stephano sepulta [c] sunt: ubi notantur haec verba, *ex more*. Sec. IV. iste mos ubique invaluit, uti permulta exempla testantur. Sic anno 310. cum PETRUS, alexandrinus episcopus, sepeliendus esset, sacros victoriae hymnos (d) usque ad coemeterium concinebant deducentes, atq; comitantes funus. At quando non erat licitum fidelibus clara voce hymnos cantare in funeribus, tacite saltem illa concinuere, veluti in S. FELICITAE, illiusque filiorum (e) exequiis factum legitur. Porro CAESARIUS, (f) frater Gregorii nazianz. hymnorum cantu terrae mandatus est, nam *ex hymnis ad hymnos transmissus* esse dicitur. Sic etiam in BASILII (g) caesariensis episcopi funere *psalmodiae resonabant, a luctu licet victae.* In PAULAE exequiis (h) pontifices quidam choros psallentium ducebant: & cum MACRINAE (i) iusta fierent, *triplex erat ordo canentium*, sicut ille trium puerorum cantus. *Nyssenus* oratione funebri in MELETIUM: *Exponite, quemodo praeclarus David multifariam, mul-*

[c] *Baron. in annal. a. 259. n. 30.* (d) *idem a. 310. n. 10.*
[e] *In cod. later.* (f) *ap. Greg. naz. t. 1. orat. fun. 10. p. 167.* (g) *ap. eundem t. 1. orat. fun. 20. p. 371.*
[h] *ap. Hieron. t. 1. in Epitaph. Paulae p. 182.*
(i) *nyssenus in vita eius.*

multisque modis in innumeros ordines sese distribuens, inter diversae simul & eiusdem linguae homines circa tabernaculum tripudiabat, & saltabat. Imperator ipse CONSTANTIUS (k) deducebatur honestis atque piis hymnis, qui per totam noctem personabant: *illis enim christiani pium discessum solebant honorare.* In exequiis FABIOLAE sonabant psalmi, & aurata templorum resonans in sublime quatiebat alleluiah: hic iuvenum chorus, illic senum, qui carmine laudes femineas & facta ferebant.(l) Progredior ad sec.V. ubi sub illius initium exequiae b. MARTINI occurrunt, in quibus similiter cantus & hymnos cantatos fuisse, sequentia (m) docent: *Hoc beati viri corpus usque ad locum sepulcri hymnis coelestibus canora turba prosequitur.* Prohibuerat quidem in Africa rex Gensericus, ne mortuos suos cum psalmorum cantu efferrent christiani; qua de saevitie graviter conqueritur *Victor* (n) uticensis, *Quis sustineat*, inquiens, *atque possit sine lacrymis recordari, dum praeciperet, nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulcrum perduci?* Nihilominus sacrum hunc ritum illi observarunt, immo coram ipsius tyranni oculis, septem monachorum cadavera sepulturae mandarunt, *praecunte clero venerabili carthaginiensis ecclesiae cum hymnis*

(k) *nazianzenus t.1.orat.4. p.118.*

(l) *Hieron.t.1.p.201.* [m] *Sulpic. Sev.epist.3. ad Bassulam p.m.235.*

(n) *de persecut. vandal. l.1.*

mnis (n) *solemnibus.* Sec VI. *Iustinianus*, (o) nulli funeri constantinopolitanae ecclesiae psalmodia deesset, *assisteria* seu *asceteria* constituit, ex quibus, loco praeficarum in funeribus gentilium, psaltriae religiosae, seu canonicae mulieres desumerentur, quae feretrum psallentes praecederent. Et quidem funeri, quod gratis efferendum, dabatur unum *assisterium*, quod constabat octo monialibus seu canonicis mulieribus. Si quis autem funus per munificentiam volebat celebrare, duo aut tria assisteria poterat accipere. Ex hisce autem omnibus & illud manifestum est, tacitas funerationes, quae hodie fiunt sine cantu & psalmis, antiquae mori ecclesiae non esse convenientes. Denique ex *Chrysostomo* [p] adhuc notamus, in exequiis haec verba potissimum cantata esse: *Revertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefacit tibi: non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et rursus: *Tu es refugium meum, a tribulatione, quae me continet.* Dic autem mihi, quid in exequiis hymni? *Chrysostomus* (q) sequentes huius ritus adducit rationes: *Annon Deum glorificamus, eique gratias agimus, quod eum, qui excessit, coronaverit, quod a laboribus liberaverit, quod eum apud se habeat? Nonne ideo hymnos canimus & psalmodias, quae omnia sunt signa laetantium?* Est enim quispiam inter vos animo laeto, psallat, *ait apostolus.*

[n] *in append. ad Vict. utic. sub fin.*
[o] *Vid. Novell 59.* (p) *in ep. ad hebr. c. 2. homil. 4.*
(q) *homil. 4. in cap. 2. ad Hebr.*

lus. Porro: *Cur ad mortuum vocas presbyteros, qui psallant? annon ideo, ut solatium accipias, & honores eum, qui excessit? Honor* (r) *enim mortuo non fletus est, non eiulatus, sed hymni & psalmi, & vita optima.* Sub finem adhuc monendum, Concilium *braccarense* A. C. 571. habitum can. 34. vetuisse, ne illorum corpora, qui aut *per ferrum*, aut *per venenum*, aut *per praecipitium*, aut *suspendium* aut *quolibet modo, sibimet ipsi inferant mortem*, cum psalmis ad sepulturam deducantur.

(r) *homil. in Bernicen. & Prosdocen. martyres, & Hom. 61. in Ioannem.*

CAP. VI.

Palmas habebant in manibus, thuribulaque odoribus fumantia quidam comitantium funus.

SEculo IV. in martyrum exequiis solebant fideles *palmas* in manibus gestare, *thuribulaq.* odoribus incensis fumantia. Sic e.g. christiani sublatum PETRI martyris alex. episcopi corpus humeris gestantes, triumphali pompa procedebant, habentes in manibus palmas, thuribulaque odoribus incensis (a) fumantia. In virginum etiam funeribus palmas gestatas esse, *Palladius* testis est, quando [b] refert: *Si virgo obierit, reliquae virgines, cum eam ad sepulturam concinnavere, efferunt, eamque ponunt ad ripam fluvii:*

(a) *Baron. in annal a. 310. n. 10.*

[b] *in lausiaca historia sect. 36.*

vii: traiicientes autem fratres cum palmis & ramis olivae, & psalmodia eam transmittunt. Palmae hae erant signum victoriae, quam defunctus in omnes suos hostes reportaverit: quare in Actis ante dicti martyris *victrices* appellantur. Odoribus autem incensis fumabatur in honorem defuncti, &, si velis addere, ad ingratum odorem cadaveris minuendum: unde & in funere IUSTINIANI, *thura sabaea cremabant*, ut ex *Corippo*, loco supra citato iam percepimus, & turonensis *Gregorius* (c) in Lupicino Recluso narrat, quandam matronam rapuisse sanctum corpus, & ferre illud coepisse in feretro ad vicum transaliacensem, dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis.

(c) *de vitis patrum cap. 14.*

CAP. VII.

Faces atque cerei funeri praeferebantur. An crux praelata fuerit, dubitatur.

§. I.

LAmpades atque cereos funeri praelatos esse, observatur primum in S. CYPRIANI exequiis, sec. III. factis: in eius enim Actis (1) habetur, quod *cum cereis* & scholaribus (etsi nonnulli cum Isidoro legant scholacibus, h. e. *facibus*) cum magno triumpho sepultus sit. Sec. IV.

I 2 hic

(1) *ap. Baron. in annal. a. 261 n. 36.*

hic ritus non solum in martyrum, sed & aliorum sanctitate celebrium virorum, & feminarum funeribus receptus fuit. Ita cereos ardentes (2) in manibus gestabant, qui PETRUM martyrem saepius citatum ad coemeterium comitabantur. Funeri PAULAE, nobilis feminae, quidam pontifices cereos, lampadesque (3) praeferebant. Cum CAESARIUS, frater Gregorii nazianzeni, sepeliendus esset, ipsa mater gestasse cereos (4) dicitur. In funere MACRINAE ex utraque parte praecedebat non exiguus diaconorum ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, cereos manibus (5) gestabant. Idem & in CONSTANTII Imperatoris (6) & PULCHERIAE [7] *Theodosii M.* filiae exequiis conspiciebatur, & quidem lumen ignis ex cereis, & lampadibus radiabat eo copiosius, quo dignior uterque illorum erat. Nyssenus oratione in funere Meletii habita, sic alloquitur praesentes: *Exponite nobis, quomodo utrinque quasi ignei amnes, continentibus facibus, tractu continuo perpetuóque fluentes, quando longissime oculi prospicere possunt, porrigebantur.* Sec. VI. in constantinopolitana ecclesia *acoluthi* constituebantur, quorum officium erat, funalia deferre ante funus: & si funus gratis fiebat, tres illorum aderant, sin autem mediocres sumtus, aut maiores

(2) *ap. eund. loco citato.* (3) *ap. Hieron. t. 1. in epitaph. Paulae p. 182.* (4) *ap. Greg. nazianz. t. 1. orat. fun. 10. p. 169.* (5) *Nyssenus in vita eius* (6) *Greg. naz. t. 1. orat. 4. p. 118.* (7) *Greg. nyss. opp. p. 283*

res per munificentiam quisquam impendere volebat, numerus eorum ad sex & novem (8) augebatur, nam cuivis asceterio tres iungebantur acoluthi. Sed ad quid cerei & faces in christianorum funeribus? Non quidem nego, illas, quando funus noctu elatum, atque in cryptas est illatum, tenebris discutiendis inserviisse: attamen, cum ritus hic & in diurnis funeribus sit servatus, alia ratio quaerenda est. *Chrysostomus* sibimet ipse interroganti, quid velint illae splendidae lampades, respondet: [9] *Nonne sicut athletas mortuos comitamur?* Testimonium itaque erant victoriae, a defuncto, post strenuam contra seculum hoc pugnam reportatae, & praemiorum, quae ille iam in coelo sit nactus. Ceterum ex nocturnis funeribus & apud gentiles haec consuetudo orta est, ut illi cum facibus & cereis [10] efferrent sua funera.

§. II. Obtinet hodie in quibusdam ecclesiae nostrae locis, ut crux funeri praeferatur; cuius ritus vestigia in antiqua quinque priorum seculorum ecclesia nullibi reperiuntur. *Gregorius* turonensis, qui vixit sec. VI. primus est, qui meminit plurium crucum in funere b. Lupicini, quando (11) ait: *E vico, in quo decessit, in alium ad sepulturam delatus est, dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus, cereis, ac odore fragrantis thymiamatis.* Ex seculo IX. habemus

(8) *Vid. Novellam 59.* (9) *homil. 4. in c. 2. ad Hebr.*
(10) *Kirchm. de Fun. Roml. 2. c. 3.*
(11) *In vitis S.S. patrum c. 14.*

mus testimonium *Odonis* (12) cluniacensis, quod etiam de pluribus crucibus in funere S. MARTINI nos certiores reddit. Ita autem ille: *Ab episcopis & abbatibus, a clero & virginibus, a populis & baronibus, a pueris etiam & senibus in ecclesiam, una cum cereis & crucibus, gloriosus antistes gloriose deducitur.* Itaque ad medii aevi ecclesiam hodiernus quarundam ecclesiarum laudatus ritus referendus videtur.

[12] *de translat. corp. S. Martini.*

CAP. IIX.

De comitibus & spectatoribus funeris dignitate conspicui.

§. I.

ANtiqua monumenta docent, priscos fideles ingenti numero, martyrum praecipue corpora, ad dormitorium comitatos fuisse. Vnicum exemplum iam adducere placet saepius laudati martyris PETRI, alexandrini episcopi, A. D 310. martyrio coronati; ad huius nempe funus fideles undique confluxerunt, ut supremae pietatis officia cumulate illi persolverent, atque ad coemeterium usque illum sunt (a) comitati. Pace autem ecclesiae restituta, numerus comitum funeris vehementer adaugebatur, ita ut multa millia interdum viderentur. In BASILII funere sec. IV. plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata hominum deducentium, praeeuntium, prosequentium, adsectantium,

(a) *Vid. Baron. loc. cit.*

tium, in se invicem insultantium, multa millia hominum omnis generis ac aetatis, ante eum diem [b] incognita. Similiter in PAULAE matris exequiis ingens comitantium erat multitudo, quam *Hieronymus* (c) sequentibus indicat verbis: *Tota ad funus eius palaestinarum urbium turba convenit. Quem monachorum, latentium in eremo, cellula sua tenuit? quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegium putabat, qui non tali feminae ultimum reddidisset officium.* Idem ad exequias FABIOLAE *totius urbis populum* sese congregasse [d] testatur. De funere b. MARTINI sub initium sec. V. *Sulpicius Severus* (e) haec refert: *Iam vero in obsequium funeris credi non potest, quanta hominum multitudo convenerit; tota civitas obviam corpori ruit, cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam urbibus adfuerunt. Monachi eo die fere ad duo millia convenisse dicuntur: agebat nimirum ante se pastor extinctus greges suos, sanctae illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritorum laborum senes, aut iuratos Christi in sacramento tirones. Tum virginum chorus.* AMBROSII funus ingens numerus omnis generis & status christianorum, immo etiam *iudaei* & *ethnici* (f) comitabantur.

§. II. Nec bonum ordinem neglexerunt comitantes funus. Nam in saepe memoratae MACRINAE virginis funere, confluens populus in

(*b*) *Greg. nazianz. loc. cit.* (*c*) *loc. cit.*

[*d*] *t. 1. p. 201.* (*e*) *epist. 3. ad Bassulam p. m. 235.*

[*f*] *W. Cave Antiqu. in vita Ambrosii p. 849.*

in genera descriptus, & mulierum multitudo admista virginum choro, virorum autem turba monachorum coetui fuit adscripta: ex utraque parte praecedebat non exiguus diaconorum ministrorumque numerus, qui omnes ordine (g) progrediebantur. *Victor* uticensis, (h) clerum venerabilem ait praeivisse funeri septem illorum MARTYRUM, qui in persecutione Vandalorum sint interfecti. PAULAE (i) feretrum anteibant pontifices cum lampadibus, & cereis, atque illi, qui choros psallentium ducebant. Parentes & consanguinei, qui etiam inter funeris comites [k] erant, tum anteibant, tum funus sequebantur. In funere CONSTANTINI M. Imperatoris secundus ex filiis ipse exequias praecedebat: praeibant etiam per catervas & agmina dispositi numeri militares; pone sequebatur innumerabilis hominum multitudo; hastati vero & scutarii ipsum Imperatoris corpus medii [l] cingebant. Quae autem ratio commoverit priscos fideles, ut funus tanta frequentia comitarentur, facile colligendum. Nimirum hoc ipso volebant significare, se sanctos martyres aliosque pietate excellentes magni fecisse; seque adhuc post obitum

(g) *Greg nyss in vit de Macrinae.* (h) *Lib. 1. de persec. vandal.* (i) *ap Hieron. loco citato.*

(k) *Sic mater Caesarii filii funus sequebatur Vid. nazianz. loc. cit. & Paula ad Blesillae filiae suae exequias ibat. Hieron t. 1 p. 160 ad Paulam.*

[l] *Euseb. de vita Constant. l. 4. c. 70.*

tum decenti in honore eosdem habere, atque diligere secundum Dei mandatum; immo certi erant, se bonum & Deo placens opus peragere, cum functis Dei filiis supremum officium persolverent.

§. III. Progredimur denique ad spectatores funeris contemplandos. Horum saepe non pauciores, quam comites deprehenduntur: nam ad FABIOLAE (m) exequias tanta spectatorum multitudo confluxit, ut non plateae, non porticus, non eminentia desuper tecta capere eos potuerint. Similiter in funere BASILII, tanta erat spectatorum frequentia, ut multi ex vi protrusionis & compressionis interirent, quos quidem *beatos* praedicandos sentit [n] nazianzenus, tanquam discessus S. Basilii socios, funebresque victimas. Vnicum adhuc addere liceat, plerosque comitum & spectatorum funeris S. BASILII operam dedisse, alium, ut fimbriam, alium, ut umbram, alium, ut sacriferum lectulum arriperet, immo vel solum attingeret, alium ut propius ad eos, qui corpus ferebant, accederet, alium, ut aspectu solo frueretur, tanquam eo quoque aliquid utilitatis adferente. AMBROSII corpus, cum ad sepulcrum deduceretur, quivis fere comitantium linteis, (o) quibus ad purgandas nares uti solebant, attingere studebat, spe lactatus, se eam ob caussam ab impetu malorum spirituum tutum fore.

I 5 Sic

(m) *ap Hieron. loco citato.* (n) *loc. cit.*
(o) *W. Cave loco iam citato.*

Sic vana in ſanctorum corporibus fiducia in eccleſiam ſenſim ſenſimque irrepſit. Nec ipſe *Baſilius*, vir alioqui eruditus atque pius, ab hoc errore liber fuit, ita enim ille: (p) *Quicunque martyres Christi attigerit, illius iustitiae, sanctitatisq; quodammodo particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur.*

[p] *t.1.p.302.in pſalm.115.fere ſub fin.*

CAP. IX.

De moribus lugentium.

§. I.

ILli, qui non tantum ore, ſed interno etiam verae fidei adfectu quondam Chriſti nomen profitebantur, nil praeter moderatas atque pias lacrymas in funeribus ſuorum praeferebant, omnibus gentilium lugentium moribus relictis. Fides enim chriſtiana docet, mortem eſſe ingens fidelium lucrum, tum quoad animam, tum quoad corpus; animam ſcilicet ex corruptibili domicilio ſuo tranſire ad incorruptibile ac coeleſte habitaculum, corpus autem ab omnibus moleſtiis quieſcere, inſtar dormientis, & tandem ad vitae aeternae gloriam, cum anima redunitum, reſuſcitatum iri. Quam ob cauſam prohibet *Paulus* [a] apoſtolus, *ne obitum noſtrorum lugeamus more gentilium, quippe qui ſpem glorioſae reſurrectionis non habeant.* Hoc itaque apoſtoli monitum de luctu in chriſtianorum funeribus rite temperando probe obſervarunt antiqui

[a] *1.Theſſal.4.13.*

tiqui veri fideles, & ficut ex antecedentibus capitibus percepimus, tantum abfuit, ut eiulatus, boatus, leſſum ediderint, & laceratis veſtibus crinibusque detonſis, aut evulſis, & cum tunſione pectoris, manuumque colliſione exequias ſint ſecuti, ut potius cum triumpho & variis laetitiae ſignis extulerint funera. Idque de veris chriſtianis, non autem de omnibus, qui Chriſti nomen ſunt profeſſi, praedicandum eſt. Attamen moderatas, ut dixi, lacrymas effundere conſueverunt pii veteres, quia tales fidei illorum non repugnabant. Sic ipſe *Ambroſius* cum aliis in funere fratris Satyri lacrymas effundebat; quas ita [b] excuſat: *Non omnis infidelitatis, aut infirmitatis eſt fletus; alius eſt naturae dolor, alia eſt triſtitia diffidentiae, & plurimum refert, deſiderare, quod habueris, & lugere, quod amiſeris. Fecerunt & fletum magnum ſui, cum patriarchae ſepelirentur. Lacrymae ergo pietatis indices, non illices ſunt doloris. Lacrymatus ſum ergo, fateor, & ego, ſed lacrymatus eſt & dominus: ille alienum, ego fratrem.* Idem (c) de ſorore ſua poſtea dicit, quod *divino timore temperet dolorem.* In funere b. Martini, [d] qui ſub initium ſec. V. obiit, virginum chorus, ſexus alioquin ad lacrymas propenſior, fletu abſtinebat prae pudore, cum laetandum potius de eo eſſe ſentiret, quem iam ſuo Dominus gremio

(*b*) *Orat. fun. in ob. Satyri paulo poſt init. t. 3. p. 17. 18.*
[*c*] *Orat. citata fere ſub fin. p. 29.*
[*d*] *Sulpic. Sev. epiſt. 3. ad Baſſul.*

mio foveret. Itaque ſancte diſſimulabant illae gaudio, quod dolebant, ſiquidem fides prohiberet flere, gemitum extorqueret adfectus. Omnes etiam pii eccleſiae antiſtites, moderatum quamvis dolorem propter pie defunctum in Domino admitterent, acerrimi tamen nimii luctus atque planctus inſectatores fuerunt. Sic *Tertullianus*, [e] *Cyprianus*, (f) *Gregorius* naz. (g) *Baſilius M.* (h) *Hieronymus*, [i] *Gregorius* nyſſenus, (k) *Chryſoſtomus*, [l] *Ambroſius* (m) *Auguſtinus*, (n) a luctu nimio ſerio dehortati ſunt chriſtianos; nullum ergo dubium eſt, quin & ipſi ſua monita, quae aliis darent, in carorum funeribus obſervarint. Liceat de luctu, fidelibus congruo, ex *Chryſoſtomo* [o] quaedam adducere, quae ita ſeſe habent: *Non ego lugere, ſed impudenter lugere veto: non ſum immanis atque crudelis: video naturam dolere, & id quotidianam requirere conſuetudinem. Nec licet multo moveri adfectu, quod & Chriſtus oſtendit; lacrymatus eſt ſuper Lazaro: eius ſequere exemplum; lacrymare, ſed leniter & prudenter, & cum Dei timore. Si hac ratione lacrymas fundes, non reſurrectionis*

[e] De patientia c. 9 (f) de mortalitate, p. 212, & ſeq. (g) orat. fun. in laud. Caeſar. t. 1 p. 166
(h) in Pſ. 115. t. 1. p 302. (i) ad Paulam de obitu Bleſillae t. 1. p. 158. & ſeqq. (k) Orat. fun. in ob. Pulcheriae p. 283. [l] t. 4. in epiſt. ad Hebr. c. 2 homil. 4. (m) Orat. fun. in ob. Satyri.
[n] t. 9 f. 211. ſerm 2. de conſolat. mort.
[o] Homil. 61. in Ioannem.

rectionis diffidentiae redargueris, sed aegre ferre carissimi seiunctionem videberis: nam & peregre proficiscentes lacrymis prosequimur, non tamen ut mortuos: ita & tu lugeas, tanquam praemiseris peregrinum. Tales itaque lacrymae piae sunt, pietatisque & caritatis erga defunctum effectus: quales & in MACRINAE funere effusas esse, in vita eius tradit frater, *Gregorius* nyssenus. Ast vero sec. III. & praecipue IV. immoderatus in funeribus luctus in ecclesiam irrepsit, cum multi nomine tantum, non autem re ipsa essent christiani.

§. II. Seculo videlicet iam tertio, praeter nimium luctum, atras vestes induebant quidam lugentes, cui quidem rei *Cyprianus* (p) sese vehementer opponebat, eas ob causas, quod illi, propter quorum obitum atrae vestes accipiantur, indumenta alba iam sumserint; deinde, quod occasio sic daretur gentilibus, ut christianos iure meritoque reprehenderent, quod, quos vivere apud Deum dicerent, ut extinctos & perditos lugerent, & fidem, quam sermone & voce depromerent, cordis & pectoris testimonio non probarent. *Spei nostrae*, addit, *ac fidei praevaricatores sumus; simulata, ficta, fucata videntur esse, quae dicimus.* Nihilominus in ecclesia atrarum vestium in luctu usus permansit: nam sec. IV. & seqq. & exempla & testimonia occurrunt, quibus ritum hunc apud christianos obtinuisse confirmatur. Sic in funere ME-

LETII

(p) *Serm. de mortalit. p. 212.*

LETII atris in vestibus comparuerunt fideles; ita enim *Gregorius* [q] nyssenus: *Nunc in luctum nobis gaudium conversum est, ac laetitiae amictus saccus evasit: postquam praeclarus sponsus a nobis discessit, luctu repente atrati sumus.* Dum *sacci* facit mentionem, indicat, atras illas vestes ex pilis caprarum aut aliorum animalium, ex rudi scilicet panno confectas, easque angustas, & minime fluctuantes fuisse; qualis saccus alias vestis poenitentialis erat. *Chrysostomus* [r] etiam *pullarum* meminit *vestium*, quibus quidam in luctu uterentur, quem autem ritum improbat, & prohibet, adeo ut ne in illorum quidem funeribus eas concedere vellet, qui in peccatis mortui erant. *Augustinus* tangit similiter atrarum usum vestium, eumque a fidelibus longe abesse cupit, quando (s) ait: *Postremo etiam, qua ratione vestes nigras tingimus, nisi quos vere infideles & miseros, non tantum fletibus, sed etiam vestibus approbemus? Aliena sunt ista, fratres, extranea sunt, non licet: & si licerent, non decent.* Dum laudatissimus pater talia dicit *extranea & aliena*, significat, apud gentiles eiusmodi vestes obtinere, quod etiam ita sese habebat: nam apud romanos iam diu ante O. R. tam viri quam mulieres nigris vestibus in funere induti erant, quod hunc colorem luctui convenientissimum esse, sentirent; at postquam Imperatores nacti erant

(q) *Orat. fun. in Melet. episc. p. 318.*
(r) *t. 4. homil. 69. ad populum.*
(s) *t. 9. de consolat. mort. serm. 2. f. 211. b.*

erant gentes romanae, viri quidem in atris, feminae autem in albis luctus tempore (t) incedebant.

§. III. Alii porro gentilium ritus sequebantur atras vestes: in luctu nimirum nimius audiebatur *planctus*, nimiae effundebantur *lacrymae*, immo *lamentatrices* a quibusdam conducebantur. Mulieres cruentabant brachia, scindebant capillos, laniabant genas, ob dolorem, immo ob ostentationem. Sic in funere BASILII M. psalmodiae a luctu [u] vincebantur: & cum PULCHERIA Imperatoris, Theodosii M. filia, efferretur ad sepulturam, *omnium aspicientium vultus demissi erant, ac moesti, lacrymis oculi oppleti, manus inter se collisae, gemitus, intimum cordis dolorem indicantes. Tunc etiam magnus David suos hymnos & laudum decantationes lamentationibus adcommodavit, ac pro hilari choro sumto invicem tristi ac lugubri, cantilenis ad lamentationes invitavit.* Tantopere a perturbatione ratio tum vincebatur, quod autem *Gregorius* nyssenus (x) admodum improbavit. *Ioannes Chrysostomus* vehementer conqueritur (y) de quibusdam christianis, quod gentilium instar propter defunctos lugeant. *Compellor*, ait, *gemere amarissime; ubi nos Christus extulit, ibi nos ipsi deiicimus. Cum enim video luctus in plateis, & lamentationes super exeuntes de hac vita, & ululationes,*

(t) *Quenst. de sepult. vet. c. 6. Calvör. Ritual. eccles. l. 3. sect. 2. c. 29.* (u) *Gregor. naz. l. c.*
(x) *Opp. p. 282. & seq. orat. in fun. Pulch.*
(y) *t. 4. homil. 4. in c. 2. epist. ad Hebr.*

nes, & inhonestates alias, credite mihi, confundor, & paganos, & iudaeos, & haereticos videns, & omnes, qui nos irrident. Non quae a me de resurrectione dicuntur, attendunt pagani, sed illa, quae fiunt a nobis, & confestim dicunt: quomodo ex istis aliquis contemnere poterit mortem, qui neq; alterum mortuum potest videre patienter? Cum vero quis, aut mulier, aut vir crucifixum se Christo dicit, & eorum alius quidem capillos dissipat, alia vero ululat, quid hac re confusibilius? credite mihi dicenti: si enim, sicut oportebat, fieret, multo tempore debebant huiusmodi homines ab ecclesiae limine prohiberi. Etenim satis timeo, ne isto modo pessimus quidam morbus in ecclesiam subintret. Paulo post idem minatur illis, qui lamentatrices in funeribus, more gentilium, inposterum conducturi essent, dicitq;, se per multum tempus ipsos ecclesia exclusurum: mulieribus autem illis miseris gentilium, lamentatricibus scilicet, per christianos prohibitionem hanc facit, ne porro in mortibus fidelium, aut exportationibus ingrederentur, sed proprias lamentarentur calamitates. Addit: *Ecce igitur & vobis, & illis mulieribus per vos admonens dico, ut neque vos convocetis tales, neque illae adveniant:* Alioquin *compellemur in actum deducere minas, vos quidem legibus ecclesiasticis coërcentes, illas autem, sicut legibus competit.* Idem alibi (z) in mores lugentium feminarum ita invehitur: *Verum enim vero etiam cum aliis malis hic muliebris morbus iam praevaluit; ostentant planctus, & dolores*

[z] *t.3. homil. 61. in cap. 9. Ioh. p. 945.*

res suos, cruentant brachia, scindunt capillos, laniant genas, partim ob dolorem, partim ad ostentationem, alia animo impudico in medio foro brachia nudant. Quid facis, mulier? nudas te impudenter in medio foro, cum Christi membrum sis, cum viri adstent, & capillos vellis, & in miseros prorumpis eiulatus, & saltas, & insanarum mulierum more iactaris? Nonne te Deum offendere arbitraris? Quaenam haec insania? Nonne ridebunt gentiles? nonne fabulam nostram putabunt religionem? Dicent enim, nullam esse resurrectionem, illusiones omnia christianorum dogmata, & fallacias putabunt. Liceat adhuc unicum addere eiusdem episcopi testimonium de iam dictis moribus quorundam lugentium, ab eodem nec in illorum exequiis concessis, qui impoenitentes in peccatis ex hac vita discesserant: *Illos*, inquit, (1) *lugeamus, sed non indecenter, non comas vellentes, non detegentes brachia, oculos non dissipantes, non pullis utentes vestibus: sed tantum in animo silenter amaras fundentes lacrymas.* Sed audiamus nunc etiam *Basilium M.* quorundam christianorum mores in luctu pariter describentem, ab iisque dehortantem sequentibus: [2] *Nam nec mulieres, nec item viros decet, dolori, lacrymisque nimium se dare, sed ingemiscere tristibus, & lacrymas leviter sine tumultu, sine clamore, sine ululatu emittere, nec, uti solent quidam, tunicam scindendo, aut pulvere caput aspergendo, nec denique turpe aliquid & indecorum admittendo, admitti ab his*

[1] *t. 4. homil. 69 ad populum. p. 610.*
[2] *t. 1. p. 363. de gratiis Deo agendis.*

his solitum, qui sine disciplina res ferunt humanas. *Ambrosius* similiter dehortatur fideles ab istis infidelium ritibus, quando (3) dicit: *Illud vero frequens in mulieribus, ut clamores publicos serant, quasi metuant, ne earum ignoretur aerumna; ut illuviem vestis adfectent, quasi in ea sit sensus dolendi, ut impexum sordibus immadident caput, ut postremo quod plerisque in locis vulgo fieri solet, discisso amictu, diloricata veste, secreti pudoris nuda prostituant, quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui praemia perdiderunt. Sic procaces oculi provocantur, ut concupiscant, ut amare incipiant membra nudata, quae si non aspicerent, non amarent. Atque utinam sordidata illa tegumenta corporis non speciem, sed mentem obnuberent: latet plerumque sub tristi amictu mentis lascivia, & deformis horror vestis obtegitur, ut secreta petulantium tegantur animorum. Satis pie virum luget, quae servat pudorem, non deserit fidem. Haec bene defunctis officia impenduntur, ut vivant in mentibus, in affectibus perseverent.* Huc tandem & *Augustini* verba sequentia (4) spectant: *Quod si ille David, qui adhuc sub lege positus erat; sub illa, non dico licentia, sed necessitate lamentationis sic animum a luctu irrationabili* (scilicet propter obitum filioli sui) *superavit, sic tristitiam suam, suorumque compescuit: nos, qui sub gratia sumus, sub certa spe resurrectionis, quibus omnis tristitia interdicta est, qua fronte mortuos nostros gentilium more plangimus, ululatus insanos tollimus, veluti*

(3) *De fide resurrect. t. 3 p. 25.*
(4) *t. 9. de consolat. mort. serm. 2 f. 211. b.*

uti alio genere bacchantes, cum scissis tunicis pectora nudamus, verba inania & naenias circa corpus & tumulum defuncti cantamus? Ex quibus omnibus liquet, sec. iam IV. luctum fidelium in funeribus nimium quantum degenerasse, & in gentilium iudaeorumque infidelium planctum fere commutatum fuisse. Non quidem dixerim, omnes qui in luctu iustos limites sunt transgressi, ex animo malitioso ac infideli id egisse: nam imbecillitas naturae in quibusdam vere piis fidelibusque animabus interdum rectam rationem, & fidem superabat, ut adfectui, ex carorum obitu exorto, nimium indulgerent. Sic exemplum PAULAE, feminae pietate celebris, habetur, quae in filiae *Blesillae* exequiis nimio praeoccupata erat luctu, adeo ut de media pompa funeris illam exanimem [5] deferrent: ubi *Hieronymus* quidem acerrime illam reprehendit, & detestandas dicit esse illas lacrymas, plenas sacrilegio, incredulitate plenissimas, quae non habeant modum, quae usque ad viciniam mortis accedant; attamen illam idcirco non tanquam infidelem & quae fidem abnegarit, condemnat. Quinam autem mortui sint magnopere lugendi & plangendi, *Chrysostomus* indicat, dicens: (6) *Lugeamus peccatores non tantum defunctos, verum & viventes: de iustis autem gaudeamus; non modo superstitibus, verum & mortuis. Ne mortuos itaque temere defleamus, sed in peccatis mortuos:*

(5) *Hieronymus t. 1. p. 160. ad Paulam de obitu Blesillae.* [6] *Homilia ad popul. citata.*

tuos: hi namque luctu sunt digni, hi planctibus & lacrymis. Quae namque spes, quaeso, cum peccatis eo migrasse, ubi peccata non datur exuere? Nam, donec quidem hic erant, multa fortassis erat exspectatio, quod essent poenitentiam acturi, futurique meliores. Si vero tartarum, ubi per poenitentiam nihil lucrari conceditur, petierint, dicitur enim: In inferno, quis confitebitur tibi? quomodo non sunt lacrymis digni? Ita migrantes lugeamus, non prohibeo. Similem in modum *Hieronymus* [7] ait: *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cuius poenam aeternus ignis aestuat. Nos vero, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo ipso mortis habitemus.* Et Ambrosius: (8) *Fleant illi suos, qui spem resurrectionis habere non possunt, quam non sententia Dei eripit, sed fidei inclementia. Intersit inter Christi servulos, idolorumque cultores, ut hi fleant suos, quos in perpetuum existimant interiisse, nullas habeant lacrymarum ferias, nullamque tristitiae requiem consequantur, qui nullam putant requiem mortuorum: nobis vero, quibus mors non naturae, sed vitae istius finis est, quoniam in melius ipsa natura reparatur, fletus omnes casus mortis abstergat.* Ceterum ad ea, quae de immoderato christianorum luctu dicta sunt, conferatur, si placet, *Kirchmannus* de funeribus romanorum, & *Geierus* de luctu hebraeorum, unde patebit, ex iudaismo & gentilismo fere omnes christianorum lugentium mores derivatos fuisse.

CAP.

(7) *loco iam citato.* (8) *Orat fun, in Ob. Satyr.*

CAP. X.

Funus ad sepulturam deductum, in templo exponebatur, & hymnis, osculis, aliisq; pietatis officiis honorabatur.

SEc. IV. & seqq. funera in templis condere placuit; ubi aliquot dies interdum fuere exposita, antequam terrae mandarentur: qui quidem honor non omnibus, sed episcopis, aliisque dignitate & sanctitate celebribus exhibitus fuit. Sic e. g. AMBROSIUS mediolanensis episcopus (a) sequenti post obitum die mane ad ecclesiam portabatur, ubi usque ad diem dominicam erat collocatus, & dein ad illud, quod dicebatur Ambrosii templum, fuit deductus. PAULA mater, nobilitate generis & morum sanctitate insignis femina, post obitum statim inter cantus & hymnos in templum elata, in medio illius ponebatur, ac ibi triduo exposita (b) manebat. Tum vero hebraeo, graeco, latino, syroque sermone psalmi in ordine personabant, nec solum per tres istos dies, antequam subter terram conderetur, sed per totam hebdomadem, cunctis, qui venerant, suum funus, & proprias credentibus lacrymas. Filia eius Eustochium praecipue abstrahi a parente non poterat, deosculabatur oculos, haerebat vultui, totum corpus amplexa, quasi cum matre

(a) *W. Cave Antiqu. eccles. in vita Ambros. p. 849.*
[b] *Hieron. ad Eustoch. in epitaph. Paulae t. 1. p. 183.*

tre vellet sepeliri. Vnde etiam liquet, aperta fuisse expositionis tempore funera; quod sequentia adhuc magis confirmant: *Quodque mirum est, nihil pallor mutaverat faciem, sed ita dignitas quaedam & gravitas ora compleverat, ut eam putares non mortuam, sed dormientem.* EPIPHANII denique cadaver magna pompa in ecclesiam deporratum & unctura ferali donatum, cuiusvis oculis (c) exponebatur. Quo facto honorare illos voluisse corpora sanctorum, facile colligitur.

(c) *W. Cave lib. cit. p. 893.*

CAP. XI.

Oratio funebris a sanguine iunctis, aliisque defuncto habebatur.

§. I.

QVemadmodum sec. IV. funebres ritus admodum multiplicabantur, ita ad illos etiam accessit hic gentilium mos, defunctos, antequam humarentur, oratione funebri honorare. Morem hunc gentilibus tribuo: nam apud romanos funus illustrium virorum & feminarum, in forum ductum, collocabatur pro rostris, ubi in defuncti aut defunctae laudem orationes solebant haberi: cuius ritus origo VALERIO quidem poplicolae adscribitur, qui primus Brutum mortuum pro rostris [a] laudaverit. Habebantur autem orationes huiusmodi ab iis, qui mortuum sanguine proximi attingebant: quodsi autem

(a) *Vide omnino Kirchm. de fun. rom. l. 2. c. 18. & 19.*

autem propinqui deessent, qui officium hoc defuncto valerent praestare, plerumque viris doctissimis illa provincia est demandata; immo saepe & magistratibus ex senatus consulto [b] munus hoc fuit commendatum.

§. II. Christiani itaque hunc gentilium ritum imitati sunt, partim ut moestis solatia praebendi occasio esset, partim ut laudes atque virtutes defuncti publice praedicarent, aliisque hoc ipso stimulum quasi adderent, in agone, quem ingressi erant, similiter strenue decertandi, & ita currendi, ut brabeum, a coelesti vocatione propositum, & ipsi tandem obtinerent. Sic *Gregorius* nazianzenus fratri, & sorori, & patri funebres orationes habuit; & quidem ipso sepulturae die, & ante sepulturam: quod de oratione, in obitu FRATRIS habita, probatur ex his eiusdem verbis: (c) *Nec denique aliud quicquam parvorum, & quae apud parvos in pretio sunt, tibi a me* offeruntur: *quae quidem omnia NB. hodierno die amarus hic lapis una cum pulchro corpore contexisset.* Quando dicit, *hodierno die amarus hic lapis contexisset,* indicat, se ipso sepulturae die hanc orationem dixisse: illam autem ante corporis humationem habitam esse, ex his [d] liquet verbis: *Quo quidem officio nos etiam functi, finem dicendi, ut & nos quoque lacrymandi, faciemus, iam ad sepulcrum vestrum properantes, quod unicum ac triste donum Caesarius a vobis habet, parentibus quidem & senectuti opportune paratum, filio*

(b) *Id. l. c.*

 au-

(c) *t. 1. p. 168. orat. 10.* (d) *t. 1. p. 176. orat. 11.*

autem, ac inventuti donatum, praeter aequum quidem, at non minuste apud eum, qui res nostras administrat. Cum ergo post finitam orationem properare demum volunt ad sepulcrum, manifestum est, corpus post illam, non vero ante, terrae mandatum fuisse. Idem etiam censendum de oratione in laudem GORGONIAE sororis ab ipso habita: cum enim defuncto fratri ante humationem parentavit, quidni & sorori? Nihil etiam in ipsa oratione obstat, quo minus ante sepulturam habita credatur. Imo & illa, quam in honorem PATRIS sui habuit, oratio (a) ad idem tempus tuto est referenda, ut tota eius series commonstrat. Praeter iam dictum nazianzenum & alii, ut *Ambrosius*, & *Gregorius* nyssenus orationes funebres habuere, ille fratri SATYRO, hic MELETIO, episcopo antiocheno; utramq; autem defuncto adhuc praesente, & nondum sepulto, dictam esse, clarissimum. *Ambrosius* sub finem orationis (b) sic alloquitur lugentes: *Procedamus ad tumulum*: & fratrem ita: *Praecede ad illam communem omnibus, sed iam mihi prae caeteris desiderabilem domum*: ut multa alia loca taceam, quae funus coram oculis lugentium adhuc fuisse, ostendunt. Nyssenus autem his deductores funeris compellat (c) verbis: *Hanc cum habeatis, fratres, consolationem, vos, qui ossa Iosephi transportatis ad terram benedictionis, audite Pauli verba &c.* ubi ait in praesenti, quod iam ossa Iosephi *transportent* ad sepulcrum;

(a) *t.1.p.286.& seqq.orat.19.* (b) *t.3.p.m.29.*
[c] *Opp.p.321.*

crum; ergo nondum illa sepulta erant. Nullum igitur dubium remanet, quin orationes funebres ante sepulturam ordinarie, ut apud gentiles, ita & christianos habitae fuerint. Dico *ordinarie*; nam & post sepulturam nonnullae habitae sunt, quando ita a superstitibus desiderabatur, aut cum nemo tam cito inveniretur, qui ante funus illam habere posset. Sic oratio funebris in laudem Basilii M. post sepulturam [d] ab optimo ipsius amico Gregorio nazianzeno habita fuit; quia imbecillitate corporis impeditus Basilio in extremis non poterat adesse. *Gregorius* etiam nyssenus post Pulcheriae, eiusque matris Placillae Imperatricis sepulturam, iussu superiorum orationes funebres dixit. *Ambrosius* autem in Theodosii M. honorem 40. dies post eius obitum peroravit, cum illius cadaver Constantinopolim transferri deberet. Locus autem, ubi singulae habitae fuerint, non tam obvius est. Hoc quidem certum, illam in exequiis Gregorii nazianzeni episcopi, patris videlicet, in templo habitam esse, quod ipse construxerat, veluti haec indicant filii oratoris (e) verba: *Quoniam autem magnanimitatis ipsius monumentum posteris quoque relinqui oportebat, quid magis conveniebat, NB.* η τον νεον τεῶν i. e. *quam hoc templum, quod Deo & nobis reliquit?* En, dum ait, *hoc templum*, manifestum est, illum in templo verba fecisse; alias pronomine demonstrativo uti non potuisset. Quoniam igitur in templo

[d] *Greg. naz. t. 1. orat. 20. p. 316.* (e) *t. 1. p. 313.*

ista oratio habita fuit, non video, cur de reliquis id negandum; locus enim iste omnium erat commodissimus ad sacros conventus habendos. Funus autem erat praesens, & coram oculis omnium positum, ut ex *Ambrosii* oratione in FRATREM habita, liquidissime constat, nec non ex illa, quam in obitu VALENTINIANI idem habuit. Porro, quibus tales orationes haberi consueverint, ex dictis iam constat; videlicet non omnibus, sed dignitate, & sanctitate in ecclesia excellentibus, tam viris, quam feminis, ut exemplum GORGONIAE, episcopi nazianzeni filiae, paulo ante nos docuit. A quibus & in quorum praesentia id factum, ex antecedentibus aliqua ex parte patescit: nam ibi diximus, *Gregorium* nazianzenum & fratri, & sorori, & patri ferale hoc munus praestitisse, *Ambrosium* etiam fratri germano idem exhibuisse: unde liquet, quendam ex consanguineis defuncti huiusmodi verba fecisse. Dein quoque indicatum est, *Gregorium* nyssenum, MELETIUM episcopum funebri oratione honorasse; unde colligitur, alios, si consanguinei in loco non essent, aut officio isti praestando impares reperirentur, defunctum laudasse. Praesentes tum erant in exequiis nempe liberorum, si fieri poterat, ipsi parentes, & in parentum funere liberi, & si ad coniugem defunctum aut defunctam spectaret huiusmodi oratio, coniux superstes adesse solebat. Sic orationi in laudem CAESARII habitae, interfuere ipsi (a) parentes. Illi, quae in honorem

(a) *nazianz. orat. p. 162.* GRE-

GREGORII patris fiebat, uxor Nonna [b] intererat. CONSTANTIUS (c) parentis sui CONSTANTINI M. honoribus funebribus erat praesens. Cum *Ambrosius* VALENTINIANO Imperatori orationem funebrem haberet, funere nondum sepulto; germanae illius aderant, illas enim ita (d) alloquitur: *Durum quidem funus videtis; sed stabat & sancta Maria iuxta crucem filii.* Item: *Sed corpus eius tenere desideratis, tumulum circumfusae tenetis.*

§. III. Superest ut contenta eiusmodi funebrium orationum, earumque finis indicentur. Sciendum itaque, contenta illarum pro ratione & statu defuncti, ut decet, variasse; attamen laudes defuncti, & solatia pro moestis semper in illis deprehendi: quae ut eo melius innotescant, excerpta ex quadam pluribus quidem dare, necessarium existimamus. Illa ergo quae in laudem CAESARII a fratre Gregorio nazianz. habita est, continet sequentia: Sub initium iam laudatus vir removet istam, quam forte de ipso quidam auditorum conciperent, sententiam, quasi cupide ad dicendum prodiret, ut eum, qui discesserit, lacrymis ac luctibus prosequeretur, aut longam & elegantem orationem, qua plerique gaudeant, haberet: nam satis illum hactenus lacrymis & laudibus se prosecutos esse, iam vero se velle humanae naturae imbecillitatem ostendere, & animae digni-

tatem

(b) *Idem p. 315.* (c) *Vide notam Valesii in c. 71. lib. 4. de vita Constant.* (d) *t. 3. p. 910.*

tatem ipsis in mentem revocare, atque debitam iis, qui in dolore versentur, consolationem impertiri, moeroremque a carne, ac rebus caducis ad spiritualia & aeterna transferre. Indicato igitur orationis fine, defuncti parentes se, ait, recensiturum, nisi omnibus satis noti essent. Paucis itaque patrem propter pietatem laudat, ac venerabile episcopatus officium, ipsi demandatum, indicat: deinde ad matrem, illiusque a pietate desumtas laudes transit: utrumque autem parentem felicem praedicat, quod liberi ex ipsis geniti omnes Christum agnoscerent, eiusque nomen profiterentur; & quod ipsi ambo parentes ad altam senectutem pervenerint, virtute & annis inter se pares. Atque ita omnem felicitatis mensuram illos explevisse dicit, excepta hac postrema probatione, aut dispensatione, quod illo, qui inter liberos maxime titubaret propter aetatem, (i. e. in animae periculo esset) filio praemisso, nunc ipsi vitam in firma fide clauderent, & cum universa domo ad superna transmigrarent. Hinc addit rationem, cur laudes parentum attigerit, nimirum non, ac si laudes illorum praedicare iam animus esset, sed ut ostenderet, a parentibus debitam Caesario virtutem fuisse, nec mirum auditoribus, aut incredibile videri debere, si tales parentes nactus, laudibus se dignum praestiterit, sed illud potius, si neglectis domesticis, & quae prope erant, exemplis, alios sibi spectandos proposuerit. Hinc progreditur

tur orator ecclesiasticus ad laudes ipsius defuncti, & [1] admiratur in eo ingenii celeritatem, qua alios longe multumque antecelluerit in disciplinis excolendis: deinde Alexandriam, doctrinae omnis tum officinam, missi, vitam, quam ibi egerit, academicam admodum celebrat. *Quis*, inquiens, *praeceptoribus fidelior? Quis aequalibus iucundior? Quis improborum societatem & consuetudinem magis vitavit? Quis optimorum virorum, cum aliorum, tum celeberrimi cuiusq; ex patria, & nobilissimi familiaritati sese magis adiunxit? quod videlicet non ignoraret, ad virtutem, aut vitium permultum facere, cum quibus quispiam consuescat. Atq; idcirco quis praesidibus, immo quis universae urbi carior, aut ob temperantiam clarior, aut ob ingenii sagacitatem illustrior? Quodnam doctrinae genus non peragravit?* Post vitae illius academicae, nunquam satis laudandae, enarrationem, abitus ex academia ista meminit, ubi singulare quoddam accidisse memorat: *Mater nostra*, ait, *hoc optabat, ut sicut ambos filios eodem tempore emiserat, sic ambos quoque simul redeuntes videret. Et ecce Dei impulsu, qui iustas preces audit, & parentum erga probos filios amorem in pretio habet, nec ex consilio ullo, nec ex compacto, ille Alexandria, ego ex Graecia, alter terra, alter mari, eodem tempore in eandem civitatem appulimus, Byzantium scilicet.* Porro quae ibi fata habuerit Caesarius, exponit; *tantam* scilicet *brevi gloriam illum adeptum esse, ut publici honores, nobileque matrimonium, ac senatoria digni-*

tas

tas ei oblata fuerit, communique decreto ab Imperatore per legatos petitum sit, ut principem urbem viro, eruditorum principe, ornari atque honestari vellet, atque ad ceteras ipsius urbis laudes hanc accedere, ut Caesario & medico, & cive ornaretur. Laudat autem eum nazianzenus quam maxime, quod omnes istos oblatos honores auctoritate & suasu suo modeste declinarit, itinerisque socium ac comitem se ipse adiunxerit, ut ambo in patriam ad parentes redirent. Pergit iam in enarranda vita eius, quod Caesarius deinde, cum doctrinae suae primitias patriae consecrasset, honestae gloriae cupiditate ductus, aut, ut ipse dixerit, quo urbe praesidio esset, in aulam se contulerit, non quidem omnimodo suorum consensu: ubi tamen laudat illum, quod in aula probitati semper studuerit, ac maiorem Dei, & salutis suae, quam terreni splendoris rationem habuerit. Hinc fata eius in aula Imperatoris Iuliani recenset, nempe *primum statim dignitatis gradum inter medicos ipsi collatum, atque in amicorum numero apud Imperatorem habitum, amplissimis honoribus adfectum esse, praeterea omnibus propter pudicitiam, & temperantiam carum & venerabilem, quotidie dignitatibus maioribus ornatum fuisse: attamen omnia cum hoc uno, quod christianus esset, & nominaretur, ludum quendam, ac nugas ipsi extitisse.* Deinde rem unicam de eo narrat, qua nihil in ipsius vita fuerit celebrius, magisque pervulgatum. Videlicet *furebat*, ait, *adversus nos nefandus Imperator*, (Iulianus) *non quidem externe*

im-

impietatem profitens, verum humanitatis specie persecutionem celans, omnique machinarum genere in voraginem suam miseros pertrahens. Ac ne eos honores, qui martyribus haberi solent, consequeremur, primum illius artificium hoc fuit, ut qui Christi causa patiebantur, tanquam sontes & facinorosi cruciatu afficerentur: alterum, quod huic rei non tyrannidis, sed persuasionis nomen imponebat, quo maior eorum infamia, quam periculum esset, qui sponte ad impietatem se conferebant. Cumque alios pecuniis, alios dignitatibus, alios promissis, alios variis honorum generibus, omnes denique verborum praestigiis, ac suo exemplo ad se alliceret, post multos Caesarium quoque aggreditur. Verum ingrediebatur vir ille fortis, Christi signo septus, clypeique vice magnum verbum praeferens, ad hominem multum in armis, & magnum in dicendi facultate. Nec vero ad illius adspectum ullo metu perculsus est, nec ob verborum blanditias de animi magnitudine quicquam abiecit: verum promptus & paratus athleta erat ad decertandum, tum sermone, tum opere adversus eum, qui in utroque genere viribus pollebat. Ac tale quidem erat studium, tantusque pietatis propugnator. Quin etiam utrinque theatrum erat, & eorum, qui in fidei pietate adhuc remanserant, & eorum, qui ab illo abrepti fuerant, utram in partem eorum certamen inclinaret, spectantium. An non timuisti, ne quid Caesario animi alacritate parum dignum accidat? At bono estote animo: cum Christo enim victoria, qui mundum vicit. Ac nihil quidem mallem, quam ut ea, quae tum dicta & proposita sunt, sigillatim nunc

expo-

exponerem: verum intempestivum hoc foret, & ab orationis instituto alienum. Addit autem, *Imperatorem nihilominus Caesarium in aula retinuisse, siquidem eius doctrina frui atque exornari mire gestiverit.* Post haec ab eo narratur, *Caesarium salvum ab aula rediisse in patriam ad suos, secundum legem christianorum hanc, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeant, quam diu autem liceat, pericula ipsa non provocent: post necem autem Iuliani ipsum in aulam rediisse, & priores honores recepisse; ac tempus quidem Imperatores subinde commutasse, Caesarii autem gloriam ac auctoritatem apud eos haud quaquam dissipatam esse, quin potius de eo inter Imperatores certamen fuisse, quisnam Caesarium magis sibi adiungeret, & cuiusnam ille magis amicus & familiaris diceretur.* Talis Caesarii pietas, talia pietatis praemia, ad quam sectandam iuvenes, & viros adhortatur, ut per eandem virtutem ad eundem splendorem contendant. Hisce adiicit Gregorius enarrationem singularis fati, quod Bithyniae ipsi contigerit. Cum nempe ibi quaestoris munere fungeretur, ac thesaurorum curam gereret, Nicaeae terrae motus exortus, post hominum memoriam maximus, qui cum omnes pene una cum orbis pulchritudine delevisset, solus ipse aut certe cum admodum paucis ex illustribus viris salvus evasit, idque modo quodam incredibili, nimirum ipsa ruina protectus, ac parvas quasdam periculi notas referens. Addit, *unde aulam relinquere, & domum redire summo studio*

eum

eum exoptasse, postquam etiam hac de re ipse *Gregorius* eum per literas monuisset. Denique ad obitum eius pervenit memorandum, ubi nil nisi pomposae cum hymnis & cereis cadaveris elationis meminit, & quod anima quoque per baptismum non longe ante obitum recens creata, dignos honores iam percipiat. Finitis itaque illis, quae de vita & obitu fratris dici debebant, iam ad ipsum defunctum sese convertit, eumque sic alloquitur: *Hoc tibi a me Caesari funebre munus; hae sermonum meorum primitiae, quos occultari persaepe questus, in te ipsum detecturus erat. Hoc tibi a me ornamentum, tibi quidem, probe scio, omni ornamento iucundius &c. Atque alia quidem persolvimus, alia vero dabimus, anniversarios honores & commemorationes offerentes, si quidem certe, qui superstites erunt.* Addit votum, quo ei *placidam in sinu Abrahae quietem, angelorum consortium, & gaudia vitae aeternae ex animo cupit atque exoptat.* Quod reliquum erat, sermonis medicinam iis, qui in dolore versabantur, nempe parentibus adhibet, eos, qui pari calamitate premuntur, maiorem apud eos, qui cruciantur, auctoritatem consolandi habere, adserens. Sperat autem, illos, ut aliarum omnium virtutum, sic etiam patientiae primas esse laturos, quamvis amore erga filios excellant, siquidem etiam sapientia, & Christi amore omnes antecedant, ac mortem iam pridem & ipsi meditati sint, & liberos docuerint. *Quod si autem*, ait porro, *dolor quasdam tenebras rationi offundat, ut non vi-*

 deat

deat id, quod sit officii; agedum, accipite iuvenis exhortationem, senes, & filii, parentes, & eius, qui a talibus admonendus est, vos, qui multos admonuistis, ac longo tempore rerum usum collegistis. Nec vero mirum nobis videatur, si iuvenis senes moneam: nam hoc quoq; vestrum est, si quid canitie rectius prospicere possum. Iam ipsa solatia iis impertit, ubi (1) *vitae ipsorum brevitatem proponit, siquidem iam senes sint: unde mox eundem lapidem sint subituri, idemque pulvis futuri.* (2) *Ex paucis, qui restent diebus, nil nisi hoc lucri faciendum, ut plura mala partim videamus, partim patiamur, partim etiam fortasse faciamus, atque ita tandem naturae debitum commune & ipsi solvamus, muniusque lacrymarum, quod aliis contulimus, ab aliis recipiamus.* (3) Vitae nostrae vanitatem exinde colligit, *quod sit quasi ludus in terra, ut, cum non simus, nascamur, cum nati simus, rursus dissolvamur. Insomnium nos esse minime consistens, spectrum quoddam, quod teneri non possit, avis praetereuntis volatum, navem, in mari vestigium non habendam, pulverem, vaporem, rorem matutinum, florem suo tempore marcescentem.* Paucitatem dierum meorum nuncia mihi: *quibus verbis Davi*[d]*em de nostra imbecillitate philosophatum esse; quin etiam, dum dies humanos palmi esse mensuram definiat. Hieremiam etiam matri succensere, se in lucem editum dolentem, idque propter aliena peccata. Ecclesiasten cap. 2. omnia bona huius mundi vana & caduca sentire, & sub finem dicere: Deum time, atque ex hac vita hoc duntaxat commodi cape, ut per earum rerum, quae sub oculorum aspe-*

ctum

ctum cadunt, perpetuoq; motu agitantur, confusionem, ad res fixas & stabiles deducamini. Quocirca Caesarium non lugeant, scientes, quibus malis ereptus sit, sed potius semet ipsos lugeant, ob ea mala, quibus sint relicti. Sequitur alia consolandi ratio hoc modo: *Caesarius non quidem imperabit, at nec erit sub aliorum imperio: non terrorem quibusdam incutiet: at nec gravem Dominum pertimescet: non opes cumulabit, at nec invidiam metuet, aut animae detrimento adficietur, male colligens, atque eo plura quotidie accipere studens, quo plura iam adeptus sit: non sermones ostentabit, at a sermonibus admissum Hippocratis & Galeni, & eorum, qui ipsis adversantur, dogmata pertractabit; at neque morbis vexabitur, ex aliorum calamitatibus proprias molestias capiens: non Euclidis, Ptolomaei, & Heronis scripta demonstrationibus explicabit, at neque ob imperitos, tumidiores animos gerentes, dolorem concipiet: non Platonis & Aristotelis & Pyrrhonis & Democriti cuiusdam, & Heracliti, & Anaxagorae, & Cleanthis, & Epicuri, & nescio quorum Stoicorum & Academicorum placitis sese venditabit, at neque, quonam pacto illorum argutias dissolvat, laborabit. Quid alia commemorare necesse est? At haec, quae praeclara omnibus & expetenda censentur, non uxorem habebit, nec liberos, at nec eos lugebit, aut ab illis lugebitur, aut aliis relinquens, aut ipse relictus, calamitatis monumentum: non opes haereditate accipiet, at haeredes ipse habebit, quos habere commodissimum est, & quos voluit, ut dives hinc migraret, omnia secum ferens. O ingentem munificentiam! o novam consolationem!* Si

 autem

autem haec ad consolationem nondum suffici- ant, aliud & maius pharmacum se adhibiturum dicit: scilicet, *se credere, omnem animam Deo caram, posteaquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem, & contemplantem, mirabili quadam voluptate affici, & exultare, ad dominum suum tendere, ac reconditam beatitudinem iam velut per imaginem & simulacrum percipere: paulo autem post animam cum corpore redunitam, ad coeleſtem haereditatem perventuram, totum illud in se ipsam absumentem, & cum eo unum effectam, & spiritum & mentem & Deum, absorpta nimirum a vita eo, quod mortale & caducum erat.* Hanc suam fidem confirmat dictis scripturae e.g. Ezech 37. 2. Cor. 5, 1. Phil. 1, 23. Haec itaque cum ita sint, sese excitat ipse ad firmam spem bonorum futurorum, & novissimorum; *Exspectabo*, inquit *extremam archangeli tubam, coeli transformationem, terrae immutationem, elementorum libertatem, totius mundi renovationem, & tunc se Caesarium visurum* adfirmat *clarum, illustrem, excelsum.* Solatiis ita sufficienter praebitis, omissis luctibus se ipse inspicit, an quid luctu dignum insciens secum ferat, ac suas ipsius res vult explorare. Auditores itaque sic alloquitur: *Filii hominum, quotquot gravi corde & crasso animo eritis, quare diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? magnum aliquid hanc vitam, ac paucos hos dies multos esse indicantes, ac suavem hanc & amplectendam separationem, ut grave quidpiam & horrendum aversantes. Non nosmet ipsi cognoscemus?*

mus? nonne ea, quae oculis cernuntur, abiiciemus? Nonne ad ea, quae mente & intelligentia comprehenduntur, oculos convertemus? Deinde, ob quid potius lugendum, docet, nempe ob id, *quod incolatus noster prolongetur, quod ut homines, mortem ex peccato ortam moriamur, cum dii facti simus: nec vero se illud timere, ne corpus post mortem prorsus extinguatur; sed ne nobile illud Dei figmentum, in quo est ratio, lex, spes, eandem, quam bruta, ignominiam patiatur, sicuti impiis hominibus optandum esset.* Hinc ipsi est in votis, ut membra, quae in terra sunt, mortificet, & angustam viam incedat, quo tandem & magna & splendida, omne meritum excedentia, consequatur. Admiratur etiam Dei in homines miram bonitatem, & hoc mysterium, quod ipse sit parvus & magnus, mortalis & immortalis, terrenus & coelestis. Talia respiciens, *parum abesse* ait, *quin calamitati gratias etiam habeat, propter quam haec distulerit, & quae ipsi maius ex hac vita migrandi desiderium iniecerit. Incarnationem Christi autem hoc ita velle, utpote quae prostratam carnem nostram erexerit, & ad imaginem Dei instaurarit, sine discrimine personarum. Atque utinam*, addit, *simus, quod speramus, pro nostra erga ipsum caritate & spe omnia ferentes, omnia sustinentes; propter omnia tam dextra, quam sinistra, h.e. tam laeta, quam tristia, gratias agentes, nostrasq; & eorum, qui tanquam in communi via paratiores, ad hospitium prius pervenerunt, animas ipsi commendantes. Quo quidem officio nos etiam functi, finem dicendi, ut & vos quoque lacrymandi faciemus, iam ad sepulcrum*

 pro-

properantes &c. Commendat denique Caesarii animam Deo benignissimo, ut illam suscipiat, & superstites quoq; opportuno tempore recipiat rogat, propter Christum Iesum, cui gloria in secula seculorum Amen. Ita contenta talium orationum funebrium ex illa Cesarii obitu habita, pleraque saltem proposuimus. Dico pleraque: nam in aliis occurrunt adhuc nonnulla alia, quae nunc indicabimus. Nimirum in illa, quam in laudem PATRIS defuncti habuit, statim sub initium *Basilium M.* episcopum caesariensem alloquitur, qui funus sua praesentia honorabat, quia defunctus sub illo tanquam archiepiscopo episcopus fuerat, magnis cum encomiis ornans. Dein quaerit ex eo, cur ad ipsos venerit, quandoquidem compertum habeat, omnibus in rebus illum cum Deo, & a Deo ad illorum, qui ipsum excipiant, commodum, & utilitatem moveri. *Venisne*, ait, *ut tuos invisas? an ut pastorem quaeras, an ut gregem inspicias? Cum tria haec, atque omnia ex aequo, tibi huc veniendi necessitatem attulerint, pro ea curationis spiritu, quo praeditus es, eam, quae cuique apta sit, medicinam adhibe, ac sermonem cum iudicio dispone, quo te sapientiae nomine magis admiremur. Quonam autem modo dispones? Primum si illum, qui excessit, propter virtutem ut par est laudaveris, non solum ut puro puram orationem, instar funebris cuiusdam muneris, offeras, sed etiam ut illius vitae rationem, tanquam pietatis formam & admonitionem, proponas. Deinde si de vita & morte, de animae atque corporis coniunctione,*

ac disiunctione, de duobus mundis pauca disserueris, nobisque persuaseris, ut alterius quidem inposterum & perturbationem, atque inconstantiam contemnamus, ad alterum autem, qui firmus & stabilis ac divinus, semperque sui similis est, totos nos adiungamus. Ita nos quidem consolaberis. Quonam autem pacto gregem? Primum, si curam tuam & ductum tuum non defuturum pollicearis: deinde, si nos eo adduxeris, ut a pastore illo bono, ac pro ovibus animam suam ponente, nos ne nunc quidem relictos esse confidamus, quin potius eum, qui adesse, & pascere, & deducere, & oves suas cognoscere, & a suis cognosci, non quidem corporeo modo sese spectandum praebentem, sed spiritualem in modum nobiscum versantem, ac pro grege adversus lupos pugnantem. Nec dubito, quin hoc nunc quoque tanto magis deprecatione sua, quam prius doctrina praestet, quanto nunc magis Deo appropinquat, ut qui corporeas compedes excusserit, ac limo illo, mentis puritatem inficiente, liberatus sit, nudusque cum nuda principe illa & purissima mente versetur, angelici ordinis dignitatem & fiduciam, (nisi hoc dicere sit temerarium) consecutus. Claudit allocutionem Basilii his verbis: *Ac tu quidem pro ea sermonis & spiritus facultate, qua polles, rectius ipse de istis philosophari polles, quam ego indicare valeam: ne autem ob virtutum illius ignorationem oratio infra dignitatem longe subsistat, breves quasdam encomii partes ex iis, quae in defuncto agnovi, delineabo, atque adumbrabo, ac tibi, pulchro huiusmodi rerum pictori, virtutis illius pulchritudinem accuratius expoliendam, atque omnium mortalium auribus & animis*

tradendam dabo. Postquam autem de patris vita & obitu satis dixerat, rursus se convertit ad Basilium, inquiens: *At tu, quid censes, o sermonum meorum & agitationum iudex? si haec sat commode & copiose, atque, ut desiderio tuo dignum erat, dicta sunt, ea calculo tuo confirma, & accipiemus: nam profecto Dei calculus, tuus calculus est. Sin autem longe infra ipsius gloriam, & spem tuam substitimus, in promptu est, qui suppetias ferat. Vocem tuam, maturae pluviae instar exspectatam, illius laudibus immitte. Ac sane ipse maximis te nominibus sibi obnoxium & obstrictum habet, nempe ut pastor pastorem, & ut pater filium, quod quidem ad gratiam attinet. Quid vero mirandum, si, qui terrarum orbi per te innotuit, idem nunc fructum quoque aliquem ex tua voce capiat?* In oratione, quam idem in laudem Basilii habuit, statim sub initium fatetur *difficultatem Basilium decenter laudandi,* & indicat rationes, quae ipsum ad hanc panegyricam commoverint. Deinde veniam petit ab anima Basilii, *quod multo serius, quam tempus postulabat, ac post tot alios ad hoc munus accesserit.* Petit etiam, ut *ignoscant, quicunque ex auditoribus ferventiores illius laudatores sint,* simul rationes indicans tam serae suae laudationis; videlicet primum se sermonem habere detrectasse, sicut qui ad sacra accedant, priusquam vocem animumque perpurgasset: deinde in verae doctrinae periclitantis negotio interim se occupatum fuisse, ut de corporis sui imbecillitate ne quidem diceret. Hac itaque excusatione praemissa, ad lau-

laudationem ipsam accedit. Sub finem huius orationis, uti & antecedentis, Basilium ita compellat: *Tu vero sacrum & divinum caput, e coelo nos quaeso inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certe, ut forti animo perferamus, persuade: atque omnem nostram vitam ad id, quod maxime conducit, dirige, nosque, postquam ex hac vita migraverimus, illis quoque tabernaculis tuis excipe, ut simul viventes & sanctam ac beatam trinitatem, cuius nunc exiguam speciem & imaginem accepimus, purius pleniusque cernentes, desideriis nostris finem statuamus, ac bellorum eorum, quae intulimus, vel pertulimus, hoc praemium referamus.* Denique preces pro mortuo in illis occurrunt: Sic *Ambrosius* commendat animam fratris (a) Deo; & pro THEODOSIO Imperatore (b) hunc in modum orat: *Da requiem perfectam Theodosio, requiem illam, quam praeparasti sanctis tuis.* Haec de contentis orationum funebrium dixisse sufficiat. Vnde constat, sec. iam IV. compellationes sanctorum, seu orationes ad illos introductas esse, & quidem in orationibus potissimum funebribus; quare ad licentiam oratorum ista potuis referimus, quam ad communem illius aevi ecclesiae doctrinam. Finis autem & scopus illarum ex dictis iam constare potest; in honorem scilicet defuncti eas cessisse, ex his etiam *Gregorii* verbis ad defunctam sororem GORGONIAM [c] patet: *Quodsi quid eos que-*

(*a*) *orat. in eum fun. sub fin.* [*b*] *in orat. fun. de Ob. Theodos.* (*c*) *sub fin.*

quoque, qui tibi a nobis habentur, honores curas, atque hoc praemii sanctisfimis animis contingit, ut ista sentiant, nostram quoque orationem pro multis ac praemultis funebribus donis accipias velim. An vero nos quoque post vos pari honore quispiam adfecturus sit, dicere haud queo. Deinde ut alios ad virtutes defuncti sectandas excitarent, fuisse illarum finem, haec eiusdem verba docent: (d) *Illos simul & voluptate adficiet hic sermo, & ad virtutis studium exstimulabit.* Item: (e) *Quonam autem modo dispones orationem? Primum, si illum, de virtute, ut par est, laudaveris, non solum ut puro puram orationem instar funebris cuiusdam muneris inferas, sed etiam, ut illius vitae rationem tanquam pietatis formam, & admonitionem proponas:* id quod etiam variae in iis adhortationes, ad auditores factae, demonstrant. Denique in solatium lugentium illas habitas esse, ex omnibus abunde patescit.

(d) *orat. in laud. Basilii fere sub init.*
(e) *orat. in patrem hab. 19. paulo post initium.*

CAP. XII.

Funere iuxta sepulcrum posito, preces pro defuncto fiebant. Eucharistia etiam celebrabatur. Oblationes pro quibus reciperentur.

§. I.

Spectamus iam preces, quae in funeribus, antequam corpus sepeliebatur, ad Deum fusae fue-

fuerunt. *Tertullianus* [1] primus huius ritus testis est, quando refert, se scire feminam quandam *vernaculam ecclesiae* (i.e. christianam christianis parentibus natam) *forma & aetate integra, quae cum post unicum & breve matrimonium in pace obdormisset, & dilata adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis, manus a lateribus dimotas, in habitum supplicem conformasse, rursumque mutuo data pace seu osculo pacis, situi suo eas reddidisse.* Vnde colligitur, sub initium sec. III. ritum orandi ante sepulturam iam obtinuisse: an vero pro defuncta oraverit ibi presbyter, non additur. Seculo IV. oratio & pro defunctis in exequiis admodum invaluit; & primum occurrit exemplum in funere Imperatoris CONSTANTINI M. de quo apud *Eusebium* (2) sequentia habentur: *Postquam ad ecclesiam apostolorum Servatoris nostri perventum est, arcam illic deposuerunt: ubi vero ille* Constantius filius adhuc catechumenus *cum militaribus numeris secessit, ministri Dei cum turbis & tota fidelium plebe in medium prodiere, & divini cultus officia per preces peregerunt. Ac b. quidem Princeps, alta in basi iacens, celebrabatur, innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro Imperatoris anima preces Deo obtulere.* Sic sacerdotes & populus pro Imperatoris anima preces Deo obtulere: num vero, sicut alias factum, nomina defunctorum ex dipty-

[1] *Lib de anima cap. 57. p. 302.*
(2) *de vita Constant. l. 4. cap. 71.*

diptychis, & dein etiam nomen defuncti recitatum fuerit, item, num oblationes pro anima Imperatoris ad altare, ipsi faventes attulerint, certo non constat. De precibus tum factis testis quoque est *Gregorius* nyssenus; describens enim funeris MACRINAE solemnia, inter alia & haec habet: *Ubi intra fores templi constitimus, demum deposito feretro, nos ad precationem convertimus.* Audiamus etiam *Dionysium* areopagitam de hisce pro defunctis precibus, quem quidem alii, ut *Cave* (3) ad sec. IV. alii, ut *Dallaeus* (4) & *Doduvellus* [5] ad V. immo VI. seculum referunt. Ita autem ille: (6) *Deinde sumptum eum scilicet defunctum ad antistitem ducunt, tanquam ad sanctarum coronarum donationem. Ille vero libenter eum recipit, eaque perficit omnia, quae ex sancto instituto in iis, qui sancte obdormierunt, fieri debent. Convocans scilicet sacrum chorum divinus antistes, si is, qui excessit, ordinis fuit sacerdotum, coram divino altari deponit illum, Deumque precari, eique gratias agere incipit. Sin autem defunctus sacris monachis, aut sancto populo annumeratus erat, deponit illum ad venerabilem chori locum, (ιερατειον) ante sacerdotum introitum: deinde perficit preces, quibus Deo gratias agit, antistes: & postea ministri, postquam infallibiles, quae in sacris litteris sunt, promissiones de sancta nostra resurrectione legerunt, san-*

[3] *Cave H. E. p. 177.*
(4) *L. 1. de scrip. Dionys. areop.*
[5] *apud Cave.*
(6) *Hierarch. eccles. c. 7.*

sanctè canunt idem sonantes, idemque valentes psalmos. Posthaec ministrorum primus, catechumenos dimittit, & sanctos, qui iam obdormierunt, admodum praedicat, cum quibus dignatur iam defunctum simili celebratione, hortaturque omnes, ut beatum in Christo finem petant. His finitis accedens divinus antistes sanctissimam precationem super illum facit. Haec habet iam dictus *Dionysius* de precibus pro pie defunctis & ritibus, cum illis tunc temporis coniunctis. Addit autem ille, rationes omnium horum rituum, & quidem 1. cur ad eiusdem ordinis similemque chorum is, qui obdormivit, producatur, rationem, ait, esse, ut declaretur, omnes in illis ordinibus fore in resurrectione, in quibus heic vixerint, velut si quis divinam sanctissimamque vitam egerit, (ut sacerdotes) eum in seculo futuro divinas sedes adepturum: sin aliquis inferiorem ea vita, sed sanctam tamen egerit, similia etiam hunc sancta praemia consecuturum. Quare [2] gratiarum actionem fieri Deo pro hac divina iustitia, & divinitatem celebrari, quod iniustum tyrannicumq; in nos omnes imperium destruxerit, & nos ad iustissima sua iudicia transtulerit (i.e. secundum *Chemnitii* (7) explicationem,) quod non tantum eos, qui ad summum sanctitatis pervenerunt, fastigium sed & alios, qui summos illos gradus attingere non potuerunt, *ad remunerationem admittat. Divinarum autem* (3) *promissionum*

(7) *E. C. trid. de probat. purgat. ex precibus pro def. p. m. 537. a.*

num cantus, & *recitationes*, tum beatissimas sedes indicare, ad quas ii, qui divinum obitum habuerint, aeternum deducantur; tum eum, qui sancte obdormiverit, demonstrare: illos autem qui adhuc in vivis sint, ad similem beatum exitum excitare, atque propellere. (4) Catechumenos dimitti, propterea, quod nullam prorsus sacram caerimoniam (τελετὴν) adhuc didicerint, nec iis licitum sit, quicquam sive parvum, sive magnum eorum, quae sancte perficiuntur, aspectare. (5) Eos qui ante obdormiverint, & nuper defunctum commemorari, & praedicari a ministrorum primo, ut in illis, qui adsint, sceleratis etiam *audientibus*, eum qui excesserit, vere reliquorum in coelo sanctorum socium praedicari, simile desiderium excitetur ad beatum in Christo obitum. (6) Quod antistes mortuo sancte precetur, hoc, ait, fieri sensu: videlicet, precibus a divina benignitate illum contendere, ut & omnia peccata, quae humana fragilitate, imbecillitateque commissa a defuncto fuerint, ei remittat; eumque in lucem ac regionem vivorum, in sinus Abrahae, Isaac & Iacob deducat, secundum promissa sua: quo ipso & animi sui constitutionem antistitem Deo declarare, se nempe aliorum dona quasi proprias expetere gratias, & iis, qui adsint, tanquam interpretem, munera, & bona, quae sanctis eventura sint, exponere.

§. III. Progredimur ad funus Monicae matris

tris *Augustini* contemplandum, de quo ipse iam laudatus filius haec (8) refert: *Ecce cum corpus elatum est, imus & redimus sine lacrymis: nam neq; in eis precibus flevi, quas tibi o Deus fudimus, cum sacrificium pretii nostri pro ea offerretur, iam iuxta sepulcrum deposito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet.* En novum ritum cum precibus pro defunctis coniunctum, sacrae videlicet coenae pro defuncto administrationem: nam Augustinum *per sacrificium pretii nostri*, sacram eucharistiam intelligere, ex sequentibus tam manifestum est, ut nihil dubii relinquatur. Similiter *Possidius* in vita AUGUSTINI memorat, *pro eius commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum* esse, & sic sepultum. *Existimo*, addit G. Calixtus (9) *administratam fuisse eucharistiam, ut per eam excitati, qui adessent, ferventius comprecarentur.* Quoniam vero in prisca ecclesia ante eucharistiae usum oblationes solebant ad altare a fidelibus offerri, facile colligitur, etiam tum, cum eucharistia pro defuncto celebraretur, prius oblationes ab eius amicis vel cognatis factas esse. *Ex his pro defuncto h.e. nomine defuncti ad altare oblatis, S. eucharistia confici solebat, unde omnes, qui exequias irent, communicabant, ut ostenderent, se cum defuncto adhuc fide & spiritu communicare; atq; haec missa circa curatum funus habita* missa pro defunctis *vocabatur*, (10) denotans, defunctum, cuius gratia habebatur, in comunione corporis & sangui-

(8) *l. 9. conf. t. 1. f. 37.* [9] *tract. de sacrif. missae §. 38*
[10] *Hildebr. discuss. haeres. Aerii §. 28.*

ſanguinis Domini exceſſiſſe, ideoque in aeternam beatitudinem receptum eſſe, licet multis infirmitatibus circumdatus (u) fuerit. Obſervetur adhuc, in Synodo *carthaginienſi* III. ſub finem ſec. IV. celebrata, can 29. ſancitum fuiſſe, ut cum tempore matutino efferrentur fidelium corpora, ſacra ſynaxis & orationes ſimul haberentur; ſin autem poſt meridiem ſepelirentur, non ſacra cœna, ſed orationes tantum haberentur; quia ſacra euchariſtiae a ieiunis hominibus, non autem ab illis, qui iam pranſi ſint, celebrari debeat.

(u) *Auguſt. de civit. Dei lib 20. c. 9.*

CAP. XIII.

Oſculo tandem & pace defuncto datis, ſtatim ſequebatur ſepultura.

§. I.

Anima itaque defuncti per preces epiſcopi, aut presbyteri Deo commendata, ab eodem is oſculo ſalutabatur, & pace illi optata corpus ſepulcro inferebatur. *Procedamus*, ait Ambroſius, [a] *ad tumulum, ſed prius coram populo vale dico, pacem praedico, oſculum ſolvo.* Quae caerimoniae erant teſtimonium, defunctum in communione eccleſiaſtica exceſſiſſe nam aliis non dabatur neque oſculum, neque pax, ut ex *Cypriani* epiſtolis paſſim conſtat. Ex *Dionyſio* areopagita (b] habetur, poſt orationem pro defun-

(a) *Orat. de obitu fratr. ſub fin.*
(b) *de eccleſ. hierarch. c. 7. p. 143.*

defuncto, ipsum antistitem infudisse oleum capiti defuncti, sanctaque precatione pro omnibus facta, cadaver honesta in domo seu sepulcro ab eo repositum, ubi alia eiusdem ordinis sancta corpora sepulta iacerent. Quod autem, *oleum defuncto post osculum infusum*, dicit, id de peculiari in ipsius *Dionysii* ecclesia more, ni fallor, intelligendum: nam apud alios probatos auctores, quando funus celebratum describunt, nihil de oleo legitur. Similiter, quod *antistes ipse reponeret corpus in loco honesto cum eiusdem ordinis corporibus*, aliis in ecclesiis non obtinebat. Sed addit rationes harum caerimoniarum ipse *Dionysius* sequentes: *Postea*, ait, *antistes & ipse mortuum salutat, & ordine, qui adsunt, omnes, ad denotandum, gratum esse, honoratumque omnibus illum, qui divina in vita hinc migraverit. Post salutationem perfundit antistes oleo eum, qui est mortuus, ex ea ratione ut, sicut olei perfusio ante baptismum data illi fuit, ut ad sacra certamina eum provocaret; ita nunc oleum, quod eidem infunditur post obitum, eum in ipsis certaminibus certasse, ac decessisse* declaret. *His rite perfectis, antistes in loco honesto corpus reponit, cum aliis eiusdem ordinis sanctis corporibus. Nam si animo & corpore Deo gratam, acceptamque vitam egit, qui decessit, in honore etiam & precio erit cum sancto animo corpus, quod sacris sudoribus cum animo certavit & dimicavit.*

CAP. XIV.

Iidem, qui extulerant mortuum, eum etiam sepeliebant. Corpora supina in sepulcro ponebantur versus orientem. Frondes corpori substernebantur. Alia etiam vasa, immo & insignia dignitatum sepulcro illata.

§. I.

IPsi illi, qui extulerant cadaver ad sepulturae locum, illud quoque sepelire seu terrae mandare consueverunt. Liquet hoc ex supra dictis, [a] ubi de funebri collegio constantinopolitano, & de clericis, ad mortuos sepeliendos constitutis, fuit actum: & confirmatur exemplo illorum, qui funus MACRINAE efferebant, sicut *Gregorius* nyssenus ipse exponit in vita Macrinae sequentibus verbis: *Ego & regionis episcopus ille, cuius mentionem feci, sacrum illud corpus e feretro tollentes, iuxta matrem apposuimus, atque ita votum utriusque complevimus. Uno enim consensu semper oraverant Deum, ut corporibus post mortem copularentur, ut quae inter ipsas fuisset in vita coniunctio, ne in ipsa quidem morte dissolveretur.* Clerici etiam illi, quibus cura corporum sepeliendorum olim demandata erat, ipsi tumulum pararunt, teste *Hieronymo* (b) his verbis: *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant.* Ideo illi

(a) *Lib. 3. cap. 2.*
(b) *Ad Innocent. de muliere septies icta. t. 1. p. 251.*

illi *fossarii* dicuntur ab auctore epistolae de septem ordinibus ecclesiae. (c)

§.II. Corpus autem ponebatur supinum, respiciens versus orientem, cum terrae traderetur. Sic SALVATOREM nostrum in monumento positum fuisse, *Beda* (d) existimat, & *Isidorus* hispalensis de PETRI & PAULI corporum situ idem (e) pronunciat. Ritum hunc sec. XIII. adhuc voluit observari *Durandus*, [f] illiusque rationem reddit sequentem: *Debet autem quis sic sepeliri, ut capite ad occidentem posito, pedes dirigat ad orientem, in quo quasi ipsa positione orat, & innuit, quod promtus est, ut de occasu festinet ad ortum, de mundo ad seculum.* Orantes enim antiqui christiani versus orientem respiciebant, ut *Tertullianus* in apologetico (g) testatur. *Christiani*, scribit B. Quenstedius, [h] *solent sepelire 1. supinos, quia mors nostra proprie non est mors, sed brevis quidam somnus; 2. Vultu ad coelum converso, quia solo in coelo spes nostra fundata est; 3. versus orientem, argumento sperandae & exoptandae resurrectionis.* Attamen situm corporis pro varia sepeliendi ratione variasse, certum est. Cum enim sub fornicibus tumulatum fuit corpus, non tantum supinum iacens, sed quoque erectum stans, aut sedens fuit sepultum, qualia exempla apud saepe laudatum *Aringum* habentur.

 §.III.

(c) *t.9.Opp.Hieronymi.* (d) *t.5.l.4.in Marc.c.16.*
(e) *de vita & morte S.S.c.79.& 80.* [f] *Ration. l.7. de offic. mort. p. 457. Confer etiam B. Hildebrandi Rituale orantium.* (g) *c.16.p.33.*
(h) *de Sep.vet.c.7.p.135.*

§. III. Porro veterum christianorum quorundam mos fuit, ut lauri folia, aliaque, quae semper servant virorem, corpori substernerent. Talia corpori S. VALERII episcopi substrata fuisse, testatur *Gregorius* (a) turonensis, cum ait: *Lauri etiam folia sub se habebat strata, de quibus assumens episcopus, multis infirmis praebuit medicinam.* De corpore S. VMBERTI confessoris, reperto anno 150. post eius obitum illaeso, refert *Surius*: (b) *Sed & herbae, a sepulturae eius die appositae, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeo virides sunt repertae, ac si terrae radicitus inhaerentes, irriguis aquis virescerent.* Et *nostris*, scribit Casalius, (c) *temporibus in translatione corporum SS. apostolorum Simonis, & Iudae ab antiqua vaticana basilica, fuerunt sub eorum capitibus reperta huiusmodi lauri folia; quod in actis publicis fuit tunc notatum.* Itaque & hoc suo aevo teneri voluit Durandus, (d) *Hedera quoque*, inquiens, *vel laurus & huiusmodi, quae semper servant virorem, in sarcophago corpori substernantur, ad significandum, quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinant: nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt, & reviviscunt Deo. Et in hoc infelices ethnici hallucinarunt, qui absque resurrectionis cognitione, ornabant corpora cyparisso, quod semel abscissum, amplius non germinat.*

§ IV. Apponebantur quoque in monumentis

[a] *de gloria Confess. c. 84.* (b) *t. 5 sexta Septemb.*
[c] *loco iam citato.* (d) *in Ration. l 7. c. 35.*
Kirchm. de fun. rom. l. 1. c. 14.

tis insignia dignitatum, instrumenta martyrii, vasa, in quibus sanguis martyrum fuerat exceptus, acta martyrii, & nomen seu titulus defuncti, aliaque. Sic corpus S. AUGUSTINI ex Africa in Sardiniam, & dein Ticinum cum baculo, & mitra translatum est, si [f] *Baronio* credendum. Et apud *Surium* (g) habetur, EREBERTUM archiepiscopum coloniensem *cum baculo pastorali* tumulatum fuisse. Quod forsan ideo factum est, ut, si corpora talium reperirentur, innotesceret, cuius dignitatis fuissent. *Ambrosius* (h) refert, se a sepulcro S. AGRICOLAE sumsisse crucem & clavos, quibus ille cruci fuerit affixus. *Petrus Natalis* (i) memorat, corpus S. DANIELIS martyris Petavii repertum fuisse anno 707. cum iisdem clavis, quibus fuerat passus martyrium. Quin immo nonnulli martyres iusserunt sepeliri sua corpora una cum instrumentis, quibus passi erant. Sic apud *Surium* [k] legitur, S. SABINUM iussisse, ut sepeliretur cum saxo, quo erat demergendus in flumen. Similiter S. BABYLAS martyr cum vinculis ferreis, quibus usque ad obitum vinctus erat, suum corpus sepeliri (l) mandavit. De S. LEONTIO martyre refert *Surius*, (m) acta illius Cyrum quendam tabulis plumbeis conscripsisse, & apud istius martyris monumentum deposuisse. Quemadmodum

M 3 &

(f) *In annal. a. 504. n. 4.* (g) *t. 2. die 16. Martii.*
(h) *Exhort. ad Virgin.* (i) *l. 2. c. 60.*
(k) *t. 2. die 13. Martii.* (l) *Chrysost. de Babyla contra gentiles.* (m) *t. 3. d. 18. Iun.*

& corpora SS GERVASII & PROTHASII, teste *Ambrosio*, (a) reperta fuerunt una cum actis eorundem martyrii, scriptis a quodam Philippo. De insigni martyre IULIANO, sub Decio Imperatore interfecto, *Petrus de Natalibus* [b] refert, patefacto leviter tumulo, corpus illius una cum vestibus omnino incorruptum inventum, & iuxta illud passionis quoque epitaphium, quod coram omnibus lectum fuerit. Ea autem ex causa acta martyrum sepulcro recondita sunt, ut eo tutius posteritati illibata reservarentur, & gentilibus abscondita, in fidelium posterorum manus devenirent, quo hi gloriosa illorum certamina legentes, cognoscerent, illos veros & germanos fuisse martyres, & debito honore colendos. Verum & nomina martyrum in sepulcro posita fuere; nam in historia translationis MARCELLINI & PETRI martyrum, a *Surio* digesta, legitur, *marmoream in eiusdem S. Marcellini sepulcro tabulam ad venerandum martyris caput positam fuisse*, quae ipsius nomen prae se ferret. Nec tantum in martyrum, sed & aliorum sepulcris nomina posuerunt, velut in Landoaldi gestis apud *Surium* (c) mentio fit nominum LANDOALDI archipresbyteri, & diaconi eius AMANTII, quae ad capita eorum in lapide insculpta posita fuerint. Quod sine dubio factum fuit, ne nomen illorum obliteraretur, sed cum memoria iustorum esset in benedictione.

(a) *l.7.epist.53.* (b) *l.5.c.141.*
[c] *t.2.d.19.Mart.*

ne. *Theodorus* [d] refert, BARNABAE apostoli reliquias sub arbore siliqua repertas esse, super cuius pectore fuerit evangelium Matthaei positum, ipsius Barnabae manu descriptum. *Numismata* porro Imperatorum, sub quibus martyres passi, interdum sepulcro illata sunt, quae etiam in exteriori sepulcrorum ambitu, interiecto calcis glutino, affigi consuevere. (e) *Aringus* testatur, suo aevo in CAII papae ac martyris sepulcro tria Diocletiani, sub quo ille martyrio coronatus fuerat, numismata reperta (f) esse. Alibi (g) scribit: *Nuper autem intra coemeterialem alterius Marii Ianuariani martyris tumulum aeneum quoddam Iuliae augustae, quae Severi quondam Imperatoris coniux fuit, numisma, egregio quidem artis opere, exculptum latebat.* Huc quoque pertinent *vascula* illa vitrea, vel fictilia, cruorem martyrum continentia, quae quidem vel in tumulos illata, vel sepulcris valide conglutinata, aut parieti, qui adiacebat, calcis glutino infossa erant. [h] Vascula illa non eandem habebant formam; quaedam vasis cuiusdam, alia paterae, aut cyathi, alia urcei, aut urceoli figuram exhibebant: quaedam Christi nomen, ☧ alia palmam, alia crucem prae sese ferebant. Vnicum autem repertum fuit, quod exhibuit haec verba: *Sa Saturnini:* in aliis quibus-

M 4 dam

[d] *H. E l. 2. sub init.* (e) *Aring. l. 3. c. 22. n. 9. & n. 14. ubi Gaudentii epitaphium occurrit.*

[f] *Ibidem.* [g] *l. 6. c. 23.*

[h] *lib. 3. cap. 22. n. 10.*

dam tantum hae litterae apparuere *Sa*, vel adiecta palma, vel omissa: aut *Sang*. [a] Forsan huc referenda, quae *Paulinus* in vita Ambrosii narrat, de S NAZARII corporis inventione: *Vidimus in sepulcro, quo iacebat corpus martyris, sanguinem ita recentem, quasi eodem die esset effusus.* Attamen cum vasculi alicuius ibi non fiat mentio, in quo sanguis eius fuerit servatus, nec nos id adserere volumus. Hoc potius adnotamus, quod *Casalius* (b) memorat, ad beatae CAECILIAE corpus repertum velamina extitisse, quibus eius sanguis fuerit reassumtus. Crucem denique in monumentis interdum positam esse, *Aringus* [c] & *Casalius* (d) existimant: ille provocat ad gesta sanctorum, & producit exemplum S. LAUDOALDI, de quo *Surius* ex Norgero episcopo enarret, *super b.* VINCIANAE *corpus cruciculam quandam argenteam repertam esse.* Deinde adserit, inter inventas MARTINAE romanae virginis reliquias, perexiguam quandam crucem ligneam visam esse, quam Vrbanus VIII. in memoriam illius virginis, pro Christo purpuratae, sibimet ultro addixerit, & secum custodiverit. *Casalius* autem exinde morem hunc stabilire conatur, quod *Anastasius* in Silvestro testetur, super os b. PETRI fecisse *Constantinum crucem, ex auro purissimo, pensantem libras 150. in mensura loci, ubi scriptum sit*, Constantinus augustus, & Helena augusta,

(a) *Vide figuras ap. Aring. expressas.*
(b) *Libro citato p.267.* [c] *in Roma subterr. l.1.c.27.* (d) *lib.cit.c.66 p.266.*

gusta, *scriptum in litteris puris nigellis in cruce.* Quamvis autem illa suo loco relinquamus, tamen certi sumus, sec. XIII. in usu fuisse, ut crux capiti defuncti christiani apponeretur, in quocunque loco extra coemeterium ille sepeliretur, *ad denotandum, illum christianum fuisse, quia hoc signum diabolus valde vereatur, & timeat accedere ad locum, crucis signaculo* [e] *insignitum.* Ceterum *ornamenta* cum corporibus condere, aut quid aliud huiusmodi, publica auctoritate prohibitum (f) fuit: & tale quid simpliciores facere ibidem dicitur. Non enim tantum huiusmodi factum in damnum cedebat superstitum, multis quippe opibus frustra se privantium, sed furibus quoque illecebra erat, sepulcra effringendi, atque violandi. Exemplum refert *Gregorius* turonensis [g] cuiusdam MULIERIS, sine filiis mortuae, quae cum grandibus ornamentis, & multo auro in basilica urbis Metensis esset sepulta, quosdam pueros ad basilicam venisse, sepulcroque detecto, omnia ornamenta a corpore defunctae abstulisse. Quo modo pretiosas vestes defunctorum conscinderint amici, antequam illis cadavera induerentur, supra (h) jam fuit indicatum. *Magnatum* cetera nonnulli pretiosis ornamentis, atque auro nonnunquam fuere sepulti. Memorat *Baronius* (i) ex Maffeio Vegio in PROBI & PROBAE coniugum christianorum

M 5

[e] *Durand. Ration. l. 7. c. 35. de offic. mort. p. 457.*
(f) *Lib. XI. tit. 7. lex 14. n. 5.* (g) *l. 8. histor. c. 21.*
[h] *l. 2. c. 6.* (i) *Annal. a. 395.*

norum, & illustrium romanorum sec. IV. sepulcro magnam auri copiam ex aureis vestibus, aliisque sepulcralibus ornamentis inventam fuisse, cum temporibus Nicolai V. P. R. illud fuerit apertum. Aperuit quoque Otho III. Imperator sepulcrum CAROLI M. ut certior redderetur, num eo in loco, quo sepultus ferebatur, vere sepultus esset. Tum vero crucem auream, quae in collo eius pependerit, aliaque ornamenta eum reperisse dicunt, veluti ex Ditmaro *Iacobus Gretserus* [a] nititur probare. Iudaeos denique etiam consuevisse, aurum, & quaedam ornamenta vel mulierum vel virorum, iuxta antiquum morem, una cum corpore condere, *Hieronymus* suo testimonio confirmavit. (b)

[*a*] *De fun. Christ. l. 1. c. 6.* (*b*) *In c. 8. Ieremiae.*

CAP. XV.

Non combusserunt, sed humarunt corpora fideles.

§. I.

EX illis, quae dicta sunt, per se fluit, christianos a cremandis cadaveribus abstinuisse, morem autem humandi semper inter illos receptum fuisse. *Macrobius*, (a) qui vixit sub Theodosio iuniore, testatur, morem comburendi cadavera suo iam tempore inter ipsos gentiles plane exolevisse. Quoniam vero christiani nunquam comburebant suorum corpora, coeci gentiles inter alia & hoc sec. III. illis obiiciebant, quod *execrentur rogos, & damnent ignium*

(*a*) *lib. 7. c. 7.* *se-*

sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen & aetatibus in terram resolvatur &c. Respondet autem *Octavius*: *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturae timemus, sed & veterem, & meliorem consuetudinem humandi* [b] *frequentamus.* Et quid convenientius est, quam ut ille, qui primum e terra a Deo formatus est, quem terra alit, qui terram calcat, post obitum suum terrae visceribus, nativum velut ac pretiosum depositum, commendetur. Quapropter & Deus dicebat: *In sudore vultus tui vesceris cibo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es: nam pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quibus verbis illum non annunciasse violentam corporum in cinerem redactionem, quae per ignem fit, sed naturalem atq; spontaneam illorum corruptionem, omnes christiani probe agnoverunt. Vnde patriarchae in V. T. non cremasse, sed sepeliisse suorum cadavera, leguntur. Nec apud ipsos gentiles mos humandi insolitus fuit, quod ex *Kirchmanno* (c) satis constat. Nam ille humanitatis ac benevolentiae significationem, ne dicam pietatis, prae se fert, hic autem cremandi ritus ingentis crudelitatis, atque acerbissimi inter homines supplicii (d) speciem habet, ne dicam, quod abolitionem quandam corporum praetendat: quas ob causas christiani ab hoc ritu semper pie ac religiose abstinuerunt.

LIBER

(b) *Ap. Minuc. Felic. p. 9.* (c) *de fun. rom. l. 1. c. 1.*
[d] *Tertull. de resurrect. carn. c. 1.*

DE COEMETERIIS SEPVLCRIS INSCRIPTIONIBVS ET RELIGIONE PRISCORVM CHRISTIANORVM ERGA SEPVLCRA.

CAPVT I.

De Coemeteriis veterum christianorum.

§. I.

Certa sepulcrorum loca, coemeteria (Kirchhöfe) dicta, christianos sec. iam I. habuisse, *Centuriatores* magdeburgenses (a) ex his apostoli verbis colligunt: *Alioqui quid facient illi, qui baptizantur* ὑπερ των νεκρων, id est, *supra mortuis*, putantes, apostolum respicere certa sepulcrorum loca, in quibus baptismum quidam administrarent: quamvis *B. Hildebrandus* (b) cum aliis sentiat, apostolum loqui de crucis baptismo, ut baptizari pro mortuis idem sit, ac *martyrum in mortem immersio*, quam effugere facile potuissent, si fidem resurrectionis non habuissent. Reliquas aliorum in hunc locum sententias idem recenset. *Spanheimius*, putat, ὑπερ denotare (c) ut alibi saepe, ita & hoc loco *propter*, & sensum esse, multos animosa iam defunctorum in vera fide constantia, etiam usque ad sanguinem, excitari, ut & ipsi baptismum petant. Vide quoq; *Sebast. Schmidium*

[a] *Cent. 1. l. 2. c. 6. f. m 387.* (b) *Artis bene moriendi c. 4.* (c) *Peculiari de hoc loco tractatu.*

dium peculiari de baptismo super mortuis dissertatione. Praecipue autem Pontificii illi, qui de urbis Romae antiquitatibus atq; suburbanis monumentis scripsere, [d] coemeteriorum originem ad sec. I. referre, nihil prorsus dubitant: hi enim, quanquam fatentur, non posse originem singulorum, quae in urbe Roma olim extitere, coemeteriorum pro certo determinari, tamen de VATICANO coemeterio coniiciunt, illud sub Neronis imperio initium sumsisse, C. Lecanio Basso & M. Licinio Crasso Coss. circa A. C. 66. quo tempore Neronis gladius in christianos primum saevire coeperit, calumnia de vrbis incendio iis imputata. Cum enim acerbissima tum temporis instaret calamitas, & pios quosque impeteret, secretam quandam vaticani montis partem sibi christianos delegisse, aiunt, in qua sacrum coemeterium construere inchoarint, ut collecta fidelium, qui passim mactabantur, corpora, clam deferentes, tuto sepulturae demandarent. Deinde ipsius etiam loci aptitudinem, opportunitatem, & vicinitatem, christianos ad coemeterium ibi construendum invitasse: immo accedere & illud perhibent, quod neronianae persecutionis rabies tam copiosam cadaverum multitudinem procul a caedis loco asportari, nullatenus permiserit, quae tamen sancta pignora quin reliqui pii honorifice sepelire sategerint, nullum sit dubium. Porro adducunt testimonium *Damasi*, qui in Anacleti gestis haec referat: *Hic memoriam b. Petri construxit,*

[c] *Vt Bosius & eius translator Aring. l. 2. c. 4. & 5.*

struxit, & composuit, dum presbyter factus fuerat a B. Petro, seu alia loca, ubi episcopi reconderentur, sepulturae, ubi & ipse sepultus est, iuxta corpus b. Petri. Et hoc ipsum *Bedam* in Martyrologio confirmare. Revera quoque decem pontifices ibi conditos fuisse dicunt, LINUM nempe, CLETUM, ANACLETUM, EUARISTUM, SIXTUM, TELESPHORUM, HYGINUN, PIUM, ELEVTHERIUM & VICTOREM; utpote quorum sepulturae locum *Damasus*, & sacra pariter Martyrologia iuxta corpus b. *Petri* constituerint. Postea in idem coemeterium alios item innumeros martyres illatos fuisse: nam traditionem perpetuam extitisse, & adhuc existere, totum subterraneum veteris basilicae, *a Constantino* in Vaticano extructae, ambitum martyrum ossibus repletum olim fuisse, & quidem mediam inprimis navem, ubi etiam peculiarem quendam locum extitisse, aereis circumseptum cancellis, Vaticanum dictum, quo venerationis gratia ingredi mulieribus vetitum fuerit. In eadem etiam basilica extare adhuc culcitram quandam satis amplam, quae cooperiendis martyrum cadaveribus inservierit, cum illa post caedem, recenti adhuc sanguine respersa, in vaticanum coemeterium tumulanda, sint delata. Pergunt, existentiam vaticani coemeterii antiquissimam ex eo probare, quod in basilicae, *a Constantino* in vaticano monte extructae, demolitione, quam Iulius II. Pontifex susceperit, sub illius solo coemeterium sit repertum: cum enim humus, ad nova iacienda fundamenta, fuerit

elata,

elata, innumera fere defunctorum sepulcra, oratoria, nec non cubicula, una cum loculis apte circumcirca dispositis, aliorum instar coemeteriorum, apparuisse, quae cubicula exornata quibusdam sanctorum imaginibus, & nonnullis, quae ad christianae rei historiam pertineant, picturis. Quin Paulo III. regnante, dum eadem erigendae fabricae fundamenta instructa fuerint, nonnulla alia interim perfodientibus sepulcra apparuisse, inter quae ferreus forceps adinventus sit, *ungula* alias dictus, excruciandis Christi martyribus olim adhibitus, quem *Prudentius* (d) *bisulcum* appellet, eo quod ferreis utrinque armatus dentibus, dupliciq; instructus acie, binos in martyrum membris sulcos imprimeret: cum vero in monumentis martyrum ipsa quoque interdum martyriorum instrumenta sint recondita, manifestum esse, hunc locum quamplurimis martyrum sepulcris redundasse; & hinc pariter perspicuum fieri aiunt, ab Imperatore Constantino eam saltim vaticani coemeterii partem, quae ceteris dignitate praestiterit, conclusam fuisse, hanc nimirum, quae una cum b. apostoli Petri corpore ceteros quoque omnes pontifices, sanctitate conspicuos, ac martyres nobilissimos complecteretur. Arcas porro quamplures lapideas, eleganti opere, adinventas esse sub pavimento antiquae basilicae, quas praecipue *Bosius* collegerit, earundemque exemplar incidi curaverit. Denique iidem romа-

(d) *hym. 1. & 5. de S. Venant. & hym. 10. de S. Romano.*

manae ecclesiae scriptores perhibent, locum, ubi primum Petrus apostolus humatus sit, collem vaticanum esse, & ex nobili eius sepulcro deinde coemeterium, in eodem colle situm, decus ac splendorem accepisse. Petrum autem ibi sepultum esse, probant ex *Isidori* hispalensis testimonio hoc: (e) *S. Petrus sepultus est Romae, in vaticano, secus viam triumphalem, tertio lapide ab urbe, ad orientalem plagam:* immo potius ex sequentibus *Eusebii* verbis (f): *Ac Paulum quidem Romae capite truncatum, Petrum vero cruci affixum fuisse, Nerone regnante, tradunt: quam quidem narrationem abunde confirmant Petri, Paulique nomine insignita coemeteria, quae adhuc visuntur. Sed & Caius quidam vir catholicus, qui Zephyrini, romanae urbis episcopi tempore floruit, in eo libro, quem scripsit adversus Proclum, patronum sectae Cataphrygarum, de loco, in quo praedictorum apostolorum sacra corpora deposita sunt, ita loquitur: Ego vero, apostolorum tropaea possum ostendere: nam si in vaticanum, sive ad ostiensem viam ire libet, invenies tropaea horum, qui ecclesiam fundarunt.* Haec itaque de vaticano coemeterio urbis Romae, sec. iam I. ut ferunt, constructo, enarrasse sufficiat. Deinde alterius adhuc coemeterii originem ad A. C. 69. referunt, (g) quod extructum sit a conspicuae nobilitatis, ac sanctitatis matrona Lucina, apostolorum Petri, & Pauli discipula, utpote quae in romano Martyrologio insigni

[e] *de vita & moribus sanct. c. 69.*
[f] *HE. l. 2. c. 24.* (g) *Aring. lib. cit. l. 2. c. 14. n. 1.*

gni hoc elogio celebretur: *Romae S. Lucinae apostolorum discipulae, quae de facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans, christianos in carcere detentos visitabat, ac martyrum sepulturae inserviebat, iuxta quos & ipsa in crypta a se constructa sepulta est.* Hanc porro cryptam, seu hoc coemeterium feminam hanc via aurelia in suo agro tum temporis extruxisse statuunt, cum Processus & Martinianus, ipsa potissimum exhortatrice, martyrio sint coronati. Sed iis relictis ad sec. II. progredimur, in quo certa sepulcrorum loca christianos habuisse, certius novimus. *Tertullianus* enim, qui sub finem sec. II. iam floruit, queritur de tyrannide gentilium prorsus inhumana, quod nimirum illi coemeteria quoque interdicta esse velint, quando ita ad Scapulam (g) scribit: *Sub Hilariano praeside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent*, areae non sint *areae ipsae non fuerunt*. Vbi priori loco per areas coemeteria intelliguntur, posteriori autē voce loca denotantur, exsiccandis ferendisq; frumenti granis destinata. Scite autem coemeteria dixerunt *areas*, quod nempe aridis defunctorum ossibus illa redundarent, sicut areae frumentis aridis repletae solent esse: sicut ergo areae sunt receptaculum frumenti, ita coemeteria sunt receptacula seu cellaria mortuorum corporum. Sec. III. coemeteria multa fuerunt: ne dicam, quod Cyprianus [h] in areis CANDIDI procurato-

N ris

(g) *cap. 3. p. 70.* (h) *Vid. eius acta ap. Baron. in annal. A. C. 261. n. 36.*

ris fuerit sepultus, (i) ab *Eusebio* certi reddimur, Aemilianum praefectum sub Valeriano Imperatore dixisse ad Dionysium: *Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscunque aliis locis conventus agere, aut ea, quae vocantur coemeteria, adire.* Verum, Valeriano non multo post a barbaris capto, filius eius Gallienus, missis edictis, persecutionem adversus christianos sedavit, & constitutionem ad episcopos dedit, qua illis permisit, ut coemeteriorum suorum loca [k] recuperarent. Sec. IV. sub Maximino tyranno in coemeteriis, ut antea sacros conventus habebant (l) christiani. Ex quibus omnibus certo colligitur, coemeteria saltem inde a sec. II. habuisse christianos.

§. II. Vbi autem, & quibus locis illa extructa fuerint, antiquorum coemeteriorum rudera, quae Romae adhuc conspiciuntur, commonstrant, quae omnia extra moenia, proximis sub collibus, aut praediis deprehenduntur, nec non in arenariis cryptis, arenarumque fodinis, quae circa urbem, aut in agris quoque piorum quorundam elaboratae, atque in usum sepeliendorum corporum destinatae fuere. Illud autem ad haec observari vult *Aringus*, [m] christianos, qui coemeteriis extruendis operam dederint, haut quascunque arenas ad id delegisse, sed solum paulo solidius inquisivisse, quod arenariae, quae solo constant solutiori, facile collabantur: hinc

(i) *H.E.l.7.c.11.* (k) *Ibid.c.13.* (l) *Idem l.9.c.2.*
(m) *Lib.cit.l.1.c.1.n.11.*

hinc ubi terra mollior ac solutior, ibi illam, ne ruinam traheret, substructionibus nonnunquam firmatam esse. Propter iam dictum autem subterranaeum situm coemeteria *catacambae*, (n) sunt appellata, a graeca voce κατα & κομβος h.e. cavus recessus, sive locus in imo positus ac profundus. Baronius [o] κατακομβης, ait, *est locus cavus atque profundus, qualia Romae praesertim coemeteria esse solebant, in arenariis profundis cryptis excavata.*

§. III. Ad formam coemeteriorum quod attinet, sciendum, illa fuisse spatia amplissima, multis ac variis viis, semitis, viculis, meatibus, cubiculis, angiportibus, ac foris distincta, in quibus ab utroque etiam latere ferro excavati erant in parietibus loculi, ubi & variae picturae, atque imagines sculptae apparebant, lumine perexiguo per foramina intromisso; cuiusmodi coemeteria duplicato interdum ac triplicato etiam ordine constabant, & unum subter aliud in imis terrae visceribus altius defossum, atque depressum erat, ita ut vastorum instar aedificiorum cum distega aut tristega, apte ad habitandum disposita, possent merito (p) comparari. Hanc illarum formam *Hieronymus*, (q) oculatus testis, his describit verbis: *Dum essem Romae puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis & propositi, diebus dominicis sepulcra apo-*

(n) *Ibid. n. 1. & l. 3. c. 12. n. 1. & 2.*
[o] *In not. ad martyrol. die 20. Ian.*
(p) *Aring. l. 1. c. 1.* [q] *in Ezech. c. 40.*

apostolorum, & martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profundo defossae, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes. Et raro desuper lumen admissum horrorem temperat tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, & cava noctis circumdatis illud virgilianum proponitur:

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Prudentius quoque Hippolyti martyris coemeterii formam quodam modo hisce repraesentat carminibus (r)

Haut procul extremis culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primus namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum,
Occurrunt caesis immissa foramina tectis,
Quae iaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus,
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra tenebrato fornice lux penetrat:
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.

Liceat

(r) *Peristeph. hym. 11. de pass. S. Hippol. p. 435.*

Liceat ad huius rei maiorem illuſtrationem, addere ex *Aringo* deſcriptionem iſtius coemeterii, quod ille portuenſi via urbis Romae a Boſio repertum refert.(s) Poſtquam ſcilicet iam memoratus Boſius diu in coemeteriis, ac ſubterraneis cryptis, via portuenſi inquirendis, occupatus fuerat, duos tandem ad coemeteria aditus invenit, alterumque ſatis anguſtum una cum ſociis introgreſſo, conſpiciendum ſeſe primo obtulit quoddam cubiculum, in cuius parietibus hinc inde ferro excavata ſepulcra apparebant, tholusq; cubiculo iniectus fuit, quem picturis quondam pro more exornatum fuiſſe, ex quibusdam indiciis colligi poterat, praeſertim ex quadam evangelici paſtoris imagine, ovem ſuper humeros ferentis, quae ad vivum expreſſis coloribus ibi repraeſentabatur. In altero aditu primum illi ſeſe aliquot cœmeteriales ſemitae obtulere, cumque iter ad ſecretiores loci ſinus panderet, apparuerunt intra ipſum loci ambitum cubicula quaedam, etſi dealbatis hinc inde parietibus, penitus tamen inculta, ac omni ornamentorum genere deſtituta: ubi viſa ſunt nonnulla ſepulcralium marmorearum inſcriptionum fragmenta, ipſis inſcriptionibus marmoreis confractis, quare ſenſus ex iis nullus elici poterat, niſi quod ſignum chriſtianorum conſuetum ibi adnotatum poterat legi:

DEPOSITVS IN PACE.

Porro in ſuperiori eiusdem loci parte foramen

 adhuc

(s) *l.2.c.22.*

adhuc extabat, quadratam prae se ferens formam, per quod lumen introrſum demittebatur, & cibus, ſi opus eſſet, ibi commorantibus ſuppeditari poterat. At cum nihil praeter iſta rudera ibi reperiret Boſius, ad alium locum ſeſe contulit, qui erat e regione baſilicae B. Pauli apoſtoli, ibique cryptam conſpexit, quam cum continuo ingreſſus fuiſſet, aliam pariter loco inferiori ſitam reperit, atque in ea cuniculum quendam (einen gang unter der erden) perangustum, tiburtinis circumſeptum lapidibus, & aquaeductus formam exhibentem, per quem tandem illud, quod hactenus tam anxie quaeſiverat, coemeterium offendit. Excavatum igitur hoc erat, aliorum inſtar, in ſubterraneis arenae fodinis; cum autem arena, utpote flavi coloris, haut facile ſubſiſtat, pluribus quidem in locis ruinarum moles, ac ruderum ſigna apparebant, eiusdemque ſemitas collapſa deſuper arena obſtruxerat; alicubi interim ſuſtentacula quaedam validis lateribus compacta conſtructaque extabant, arcus praeterea nonnulli, ad parietes, tholosque ſuffulciendos affabre elaborati; ſepulcra inſuper utraque ex parte in parietibus exciſa conſpiciebantur, in quibus defunctorum corpora pro more paſſim locata iacebant. In quodam autem ſepulcro in pariete exſculpto crucis ſignum cernebatur; in altero quaedam vitri fragmenta deprehenſa ſunt, in quibus Petri & Pauli imagines coloribus expreſſae apparebant. Porro hoc unum tantum epitaphium

ex

ex omnibus integrum, graeco idiomate perexiguo marmori insculptum, supererat, nempe:

ΣΩΦΡΟΝΙΟΣ.

Bosius autem iter ulterius prosequens, locum quendam invenit, ubi tholus muris validissimis suffulciebatur, in quorum summitate iuxta eundem tholum perexigui quidam arcus extabant, & per alterum ex his, qui ad laevam patet, adscendendo, en aliae item coemeteriales semitae concurrebant, per quas tamen, obstructo hinc parietibus aditu, haud libera facultas incedere volentibus suppetebat. In ipsa parietis facie nonnullae extabant sanctorum imagines, coloribus ad vivum expressae, nimirum *Pollionis* in medio, ad cuius dextram *S. Marcellini* presbyteri, ad laevam autem b. *Petri* exorcistae, martyrum imagines erant. Porro sub B. Pollionis imagine parva quaedam fenestrella extitit, mensuram palmorum duorum longitudinis, totidemque latitudinis obtinens, qua obvius ad cryptam quandam aditus exhibebatur, quae cubiculi formam prae se ferebat. Porro in sinistro cubiculi pariete gemmata crux picta conspecta est, ad cuius dexteram expressa *B. Pigmenii*, ad sinistram *S. Milis* ad vivum pariter imago extabat, sub qua alia fenestrella in figuram arcus extructa erat, latitudinis palmorum duorum, altitudinis vero trium, per quam ad alteram eiusdem formae cryptam aditus dabatur. Sub Marcellini & Petri imaginibus huiusmodi inscriptio in pariete exarata erat:

EVSTACHIVS HVMILIS PECCATOR
SERVITOR
B. MARCELLINI MARTYRIS.

Reliqua vero prae nimia vetuſtate deleta prorſus erant. In alio vero latere haec legi poterant;

DIE IIII. TSCI MILIX N̄ MAII.

Deinde perrexit Boſius, cuniculos, ac ſingula pariter diverticula diligenter perluſtrare, atque obſtructos latentesque hinc inde aditus aperiens, diu per anguſtiores ſemitas humi ſerpens, tandem ad locum ſatis amplum devenit, ubi praecipuus olim cryptae aditus extiterat, ſed tum temporis lapidibus, caementisque usque quaque obſtructus. Patebat hinc in coemeterium, quod in interiori parte ſitum erat, deſcenſus; & hic quidem tholo contectus, ac inſuper dealbatus, nec non alicubi picturis quoque apte exornatus cernebatur: verum imagines, ibidem in parietibus affabre pictas, maiori ex parte tempus omnino abſumſerat. In media tamen parte ipſius tholi Chriſti effigies, mira venuſtate pictoris manu expreſſa, coloribusque adumbrata viſebatur. In eodem item deſcenſu a ſiniſtro latere beatorum trium puerorum, in fornace candenti pſallentium, imagines adumbratae erant: ad extremam deſcenſus partem perexiguum reperiebatur ſacellum, arcuato deſuper fornice, altitudinis palmorum ſex, totidemque latitudinis, profunditatis vero palmarum circiter trium; ubi ſacrum altare extitit, & ſuper ipſum in parietibus gemmata crux colo-

çoloribus expressa exhibebatur, ex qua pictae pariter hinc inde pulcherrimae germinabant rosae: in externa autem parte supra sacelli arcum, quod protendebatur, picta itidem in pariete Iohannis baptistae, Christum baptizantis, historia exprimebatur. Ad hanc dexteram partem in pariete, qui ad laevam descendentibus occurrebat, SS. martyrum Abdonis & Sennis sepulcrum repertum fuit: & lateritius quoque ibi sarcophagus extabat, longitudinis palmorum septem cum dimidio, altitudinis quatuor, profunditatis totidem, in cuius anteriori prospectu pictura quaedam, Christum redemptorem, nube circumdatum, prae se ferebat, qui ambabus manibus invictos martyres Abdonem & Sennem ibidem pari arte pictos, suisque nominibus praenotatos, coronabat: hi autem praeclari martyres stantes ibidem repraesentati, & praeter diadema a Christo acceptum, pileolum quendam, Persarum more capiti impositum, gestabant. Praeterea in eodem sarcophago iuxta sanctum Abdonem, b. quoque Milis imago apposita erat, laica veste induti, & iuxta S. Sennem aderat imago B. Vincentii levitae, qui ecclesiasticis de more indumentis erat decoratus; & in eiusdem sarcophagi labro inscriptionem appositam fuisse, litterae quaedam designabant, nempe: ONIS DIE, hoc forsan sensu: *Depositionis seu translationis die.* Post Bosii obitum, unicum adhuc cubiculum in hoc coemeterio repertum est; videlicet haut longe ab ostio,

quo aditus nunc in coemeterium patet, in quod, postquam alterum cubiculum praetericris, pervenitur, & omni quidem ornamento, ac picturis caret; attamen polyandro satis amplo, defunctorum ossibus referto, cumulatur. Id ipsum in arena flavi coloris excavatum est, quae ad levissimum quemque contactum facile solvitur: quapropter eiusdem cubiculi ostium, arena undique collapsa, eum in modum depressum, depravatumque cernitur, ut, cuius olim formae extiterit, ex prospectu coniici nullatenus possit, quod & primario parieti contigit, qui supra ostium attollitur, & more reliquorum ad tholum usque pertingit; tres reliquae parietum partes, contectae calce ad superficiem, atque, ut mos est, dealbatae supersunt. Porro memorati cubiculi longitudo palmorum quindecim, altitudo totidem, latitudo decem cum dimidio supputatur. Vnicum arcuatum monumentum ibidem e regione ostii cernitur, quod mensuram longitudinis palmorum septem, latitudinis & altitudinis pariter trium & dimidii, profunditatis quatuor exhibet, atque ab humo, & sursum palmis duobus & dimidio prominet. Sub ipsius monumenti arcu picta olim navis conspiciebatur, quae forte recolendam prophetae Ionae historiam repraesentabat, verum deinde exigui cuiusdam tumuli causa, qui ibidem in superiori parietis parte aptatus erat, eandem picturam ferro aboleri contigit, cum tamen navis eiusdem prora ac puppis duntaxat contem-

planda

planda superfit. In eodem cubiculo alia decem numero monumenta extant, haut tamen, ut nobiliora ista, arcus formam prae se ferunt; tria nimirum hinc inde in quolibet ex duobus integris parietibus; unum autem supra monumentum arcuatum patet, & tria insuper lateritia in eiusdem cubiculi planicie excisa, ac lapidibus contecta sunt: quorum unum, quod e conspectu arcuati cernitur, longitudinis est palmorum circiter septem, latitudinis trium; reliqua longitudinis eiusdem, ac latitudinis, hinc inde ab ipsiusmet arcuati monumenti lateribus portam respicientia existunt. Denique cubiculi eiusdem tholus multiplicibus picturis exornatus est: in media enim parte evangelici pastoris imago, oviculam super humeros gestantis, coloribus expressa conspicitur, in quatuor eiusdem tholi partibus quatuor itidem anni tempora, imaginibus quibusdam pictorum manu ingeniose illic adumbrata, intuentium oculis exhibentur: in singulis vero ipsius tholi angulis angelorum quaedam imagunculae suspiciuntur, quae altera manu frondes, altera vero quidpiam aliud tenent. Ex iam dictis itaque formam coemeteriorum veterum Christi fidelium imaginari nobis possumus.

§. IV. Praeterea coemeterium vaticanum salutari baptismatis fonte decoratum fuisse, tradunt; unde *Onuphr. Panvinius*, aliique volunt, illud idcirco *fontem S. Petri* appellatum esse. Baptismali hoc fonte temporis iniuria corrupto,

Dama-

Damasus pontifex novum ibi exstruxit, ut eiusdem carmina indicant, quae ipse tum temporis marmori incidi iussit, quae in hunc usque diem apud B. Petri sepulcrum leguntur. Sunt autem illa sequentia:

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum, cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere poenas.
Protinus aggressus magnum superare laborem,
Aggeris immensi deiecit culmina montis,
Intima sollicitus scrutatus viscera terrae,
Siccavit totum, quidquid madefecerat humor.
Invenit fontem, praebet qui dona salutis.
Haec curavit Mercurius levita fidelis.

Ad hunc deinde fontem accedens ipse Liberius, die festo pentecostes, ingentem utriusque sexus multitudinem salutari baptismo regeneravit, velut in actis eiusdem Damasi in M. S. cod. vatic. legitur. Hunc etiam fontem *Prudentius* (a) copiosius his describit carminibus:

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
Canens oliva, & murmarans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatq; divum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum navali volvitur profundo.

Omni-

(a) *Perist. hym. 12. de S. S. apost. Petri & Pauli.*

Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent & virescit aurum,
Cyaneusq; latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.

Vnde liquet, ad Prudentii usque tempora istum fontem fidelium usui perstitisse. Plura de coemeteriis vide apud *Onuphrium Panvinium*, & *Spondanum*. Ceterum de eo, quod illa templis vicina fuerint, & quare, sequenti capite dicetur.

CAP. II.

De sepulcris veterum christianorum quoad locum & formam.

§. I.

EXtra coemeteria christiani antiqui aliis etiam locis sepulcra condere consueverunt, nempe in fundis & agris, in hortis, in domo, & in templis, & circa muros illorum: eaq; dixerunt *martyria* (a) seu confessiones, & *tropaea*, (b) respectu ad martyres, *monumenta* autem, *memoriae*, (c) *cellaria*, [d] *domus*, [e] omnia sine discrimine sunt appellata. Dixi 1. in *fundis* & *agris* sepulcra condita: apostoli enim PAULI corpus a Lucina pia, nobilique femina in ipsius prae-

(a) *Euseb. de laud. Constant. c. 9. & not. Vales. in h. l. Et de vita Const. lib. 3 c. 33.* [b] *Id. H. E. l. 2. c. 24.*
(c) *August. de civ. Dei l. 22. c. 8.* (d) *Hieron. ad Pammach. adv. errores Ioh. hierosol. Tertull. de resurr. c. 27.* [e] *Ambros. de Ob. Satyr.*

praedio, depositum (f) ferunt: idque multis martyrum corporibus contigisse, ex martyrologiis constat. Morem hunc ex Digestis etiam cognoscimus, quippe ubi saepe (g) fit mentio sepulcrorum, in fundis aut praediis factorum. 2. In *hortis* sepulcra extruxerunt: nam CELSUM, & NAZARIUM martyres in horto conditos fuisse, ex vita Ambrosii constat. Sic etiam *Sozomenus* [h] refert, Eusebiam in horto sacras QUADRAGINTA MARTYRUM reliquias custodivisse. 3. In ipsa *domo*, quanquam rarius, suos sepelierunt: nam intra civitatem sepeliri apud romanos quondam erat vetitum lege XII. tabularum hac: *In civitate, ne sepelito, neve urito.* Hadrianus sec. II. Imperator, [i] rescripto poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, & in magistratus, qui id concessuri essent, atque locum publicari iussit, & corpus transferri. At Leo Imperator sec. IX. istam legem abrogavit, quando sic (k) constituit: *Quae defunctorum corpora ignominiae contumeliaeq; exponunt, ac per quae communi hominum naturae dedecus, atque turpitudo conciliatur, nequaquam in leges sunt includenda. At quod lex mortuos non nisi extra civitatem humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore adficere non est? Et quidem si hoc praecipiens, de iis humandis ageret, quibus facilem elationem facultates, quas vivi habuerunt,*

(f) *Aring. l. 3. c. 2. n. 7.* [g] *e.g. lib. 47. tit. 12. leg. 5. & lib. 11. tit. 7. & 8.* [h] *H. E lib. 9. c. 2.* (i) *ff. lib. 47. tit. 12. leg. 3. n. 5.* (k) *Constit. 53.*

runt, suppeditarent, fortasse lex aliquam ad id iubendum rationem habuisset: quanquam tum etiam ad amicorum, cognatorum, necessariorumque defuncti commiserationem respicere oportebat; quorum dolori atque orbitati magnum sane solatium est, si amici sui sepulcrum amplexari, ac in id lacrymas profundere possint: quae officia extra civitatem sepulto non facile est exequi. Attamen si illos solum extra civitatem sepeliri vellet, quibus id ipso mortis die per facultates facile esset, ad eam inclementiam aliquam lex occasionem haberet. Verum nunc, cum inclementia illa simul ad omnes se extendat, quomodo non manifesta est absurditas? quomodo legem in naturae opprobrium ferri, non est evidens? Qui enim, dum adhuc viverent, inopes & deserti erant, quomodo mortui ipso mortis die humabuntur? quomodo item, cum propter paupertatem sepultura non accelerabitur, multis diebus insepulti, non miserabile simul & horrendum spectaculum iacebunt, tabescentemque hominum naturam dedecorabunt? Extra haec autem, cum mortui interdum famuli Dei *appellentur, & propter coelestem gloriam colantur, ipsorum corpora inhumata abiici, quomodo id vero expiationi etiam obnoxium non est? Ne igitur ullo modo inter civiles leges haec recenseatur, sancimus: quin potius, ut a consuetudine recte contemnitur, sic etiam decreto nostro prorsus reprobatur. Quicunque autem sive intra civitatem sepelire mortuos volet, perficiendae voluntatis facultatem habeto.* Attamen antiquissimi fuit instituti, ut intra urbem, (a) & in domo

(a) *Virgil. aeneid. l. 11. Et Servius in h. l. commentans: Urbi remittunt.*

mo (b) quoque defunctorum cadavera conderentur; & quamvis postea hic mos merito abrogaretur, tamen quidam in romanorum republica istiusmodi legi subiici noluerunt, uti vestales, & Imperatores romani: illius item, qui triumphaverat, postquam extra urbem crematus erat, ossa & cineres in urbem deferri & componi [c] fuit concessum. Erant autem legis, sepulturam intra civitatem prohibentis, inter alias & hae rationes; (d) ut scil. *urbs tetro cadaverum odore libera, minus pestilenti aëre adficeretur, & ut viatores, vias, iuxta quas sepeliri debebant, transeuntes, ad laudes accenderentur, monerenturque ad praeclara facinora obeunda, neve, si ita accideret, paterentur hostes in suorum maiorum monumenta grassari, & perinde eos, alacriori etiam animo, a moenibus urbis propellerent.* Addit his Cicero (e) *ne rogi fortasfis aliquando igne urbs conflagraret, aut incenderetur.* Sed ut ad christianos redeamus, *Chrysostomum* audiamus (f) de sepulcris extra urbem admodum pie iudicantem: *Idcirco, ait, sepulcra ante civitatem, sepulcra ante agros, & ubique schola humilitatis nostrae proposita sunt, ut assidue nostrae admoneamur imbecillitatis. Ideo omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulcra habet, ut contendens intrare in civitatem, quae imperat, & floret divitiis, & potentatu, aliisque dignitatibus, prius-* quam

[b] *Plato in Minoe Isid. l. 15. orig. c. 11. Servius in l. 11. Aeneid.* [c] *Gyrald. de sepult. c. 5. de sepulcrorum loco.* (d) *Ibid.* (e) *l. 11. de legibus.*
[f] *t. 5. de fide & lege nat. & Spiritu S. p. m. 401.*

quam videt, quod secum concipit, videat primum, quod fit. Cum ergo in domibus sepelire esset vetitum, christiani, ut dictum, clam illud facere debuerunt, ne poenas magistratus incurrerent. Sic *Victor* (g) uticensis refert, *Maiorieum filium, ad gaudium spei futurae, matrem in sua domo maluisse sepelire, ut quotiens super sepulcrum eius trinitati preces effundat, alienam se a filio nunquam esse confidat*: unde patet, desiderium atq; votum, defuncto semper posse adesse, ad sepulturam in domo eos impulisse. Hinc & interdum contigit, ut quispiam clanculum cadaver alicuius martyris auferret, & in domo propria (h) sepeliret. Non praetermittenda heic est veterum Aegyptiorum, tam infidelium quam fidelium singularis consuetudo: hi enim corpora medicata quorundam nec cremabant, nec sepeliebant, sed domi in conclavibus & lectulis asservabant, mensisque itidem adhibebant, tanquam convivas. Vnde *Silius* italicus (i) canit:

Aegyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & a mensis exanguem haut separat umbram.

Acriter autem reprehendit *Antonius* eremita

O chri-

(g) *Lib. 3. de persec. Vandal. Plura exempla dat Aringus R. S. p. 2. L. 4. c. 42.*

[h] *Baron. in Annal. a. 226. n. 7.*

(i) *Lib. XII. Conf. Ciceron. 1. Tuscul. Pompon. Melam de situ orb. l. 1. c. 9. & Lucianum de luctu.*

christianos aegyptios, quotquot pro inveterata consuetudine mortuos suos isto modo asservabant, teste *Athanasio*, [a] aut alio quodam auctore, his verbis: *Mos etenim Aegyptiis est, nobilium, & praecipue beatorum martyrum corpora linteamine quidem obvolvere, & studium funeri solitum non negare, terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare: hunc honorem quiescentibus reddi, inveteratae consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius saepe & episcopos deprecatus est, ut populos ecclesiastica consuetudine corrigerent; & laicos, viros ac mulieres, rigidius ipse convenit, dicens, nec licitum hoc esse, nec Deo placitum, quippe cum patriarcharum & prophetarum sepulcra, quae ad nos usque perdurant, haec facta convincerent.* Eundem Aegyptiorum morem Athanasium abrogare voluisse, testatur *Damascenus*, (b) quando scribit: *Scimus, b. Athanasium sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi condendas esse, eo consilio censuisse, ut absurdum Aegyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terram condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant.*

§. II. Porro in templis sepulcra fuere constructa, qvi quidem mos reliquis est recentior, veluti *Calixtus* (c) his indicat verbis: *Nemo sibi persuadeat, apostolico seculo defunctos, ut hodie fieri amat, intra sacras aedes, vel prope eas, quamvis nec ipsas illas, cum apostolus scriberet, haberent, humari*

[a] *In ipsius vita, quae Athanasio tanquam auctori tribuitur.* [b] *orat. 1. de imaginibus.*

(c) *de Resurrect. carn. cap. 6. p. 52.*

mari consuevisse: sepeliebantur, qui lautiore erant fortuna, in suis fundis, hortis, vel agris, & si fieri posset secundum vias publicas, sive quod iter facientibus innotescere, suiq; memoriam refricare cupirent, sive ut praetereuntes admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales, ut alicubi loqvitur Varro. L. 5. de lat. ling. Sciendum itaque, sec. IV. sepulturam in templis originem sumsisse, quando pax ecclesiae restituta concedebat, ut templa a christianis extruerentur. *Aringus* (d) ex Baronio adserit, MAXENTIUM Marcello pontifici indulsisse, ut *martyrum corpora in ecclesiis romanis sepelirent.* Praeter & conditores templorum cum sua familia, martyres autem, Imperatores christianos, episcopos, in illis sepultos primitus fuisse, reperimus. Sic CONSTANTINUS M. in basilica apostolorum, quam Constantinopoli extruxerat, sepulcrum suum (e) nactus est, & ab illo, velut ab initio, propagata fuit consuetudo, ut, quotquot postea Constantinopoli regnarent Imperatores christiani, ibidem sepeliri (f) sint soliti: donec sec. VI. *Justinianus* Constantinopoli extrueret templum sanctorum apostolorum; in quo deinceps Imperatores, ac sacerdotes (g) sepulti fuere. [h] AMBROSIUS episcopus mediolanensis in basilica sua sibi sepulturam elegit, & (i) sacerdotes sub altari requiescere debere scribit: *Hunc ego locum praedestinaveram mihi: di-*

O 2 *gnum*

(d) *Lib. V. c. 2. n. 25.* (e) *Euseb. H. E. de V. C. c. 71.*
[f] *Sozom. H. E. l. 2. c. 34.* (g) *Evagr. H. E. l. 4. c. 31.*
(h) *Paulinus in vita ipsius.*

gnum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo locum martyribus. HILARIUS episcopus pictavus in suo ipsius templo (a) sepeliebatur. BASILIUS in templo S. Eupsychii (b) martyris, ubi & Leontius, aliique episcopi quiescebant, terrae mandatus est. LEO I. episcopus romanus sec. V. in basilicae S. Petri vestibulo ad sinistram ingredientium [c] sepultus iacet. Nobiles & sanctitate celebres feminas etiam in templis reconditas fuisse, exemplum PAULAE apud *Hieronymum* (d) docet. Morem hunc in templis sepeliendi defunctos indicat etiam *Ambrosius*, [e] quando scribit: *Hoc autem ideo Abraham fecit, quia nondum erant eiusmodi Dei templa, in quibus fidelium in domino reliquiae conderentur.* Invalescebat autem mos hic sepeliendi in templis adeo, ut a Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus lex danda esset, (f) ut *nemo apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Quin sec. V. lucrum ex sepultura in templis incipiebant quaerere: cui abusui obviam ivit Concilium *vasense*, sub Leone I. A. D. 442. habitum, dum cap. 3. ita sanxit: *Praecipiendum est secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris & hominibus sepeliendis, nihil mu-*

(a) *Lib. 10. epist. 58. Fortunat. in vita eius, & Cave antiqu. PP. p. 497.*
(b) *Amphiloch. orat. in S. Basil p. 225.*
(c) *Aring. l. 2. c. 8 n. 2.* [d] *t. i. in eius epitaph. ad Eustoch.* (e) *De Abraham l. 1. c. 9. ubi de morte uxoris agitur.*
(f) *Cod. Iustin. l. 1. tit. 2.*

muneris exigant, nisi forte, qui sepelitur, vivens iusserit, ecclesiae, in cuius atrio sepelitur, aliquid de rebus suis tribuere, aut etiam post mortem ipsius, ii, quibus commissum est, eius eleemosynam facere, de rebus illius aliquid sponte dare voluerint. Et tamen nullatenus a presbyteris ecclesiae illius aliquid exigatur, sine illis, qui locis & villis praesunt. Sec. VI. a. 563 (aliis 613.) in Synodo *braccarensi*, sub Theodorimo Suevorum rege celebrata, rursus sancitum fuit can. 18, *ut corpora defunctorum nullo modo in basilica sanctorum sepelirentur; sed, si necesse esset, foris circa murum basilicae terrae mandarentur. Nam si firmissimum*, addunt, *hoc privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur; quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere?* Deinceps sec. VIII. Carolo etiam M. visum est [a] ut nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliret. Et Concilium *nannetense* anno 890. celebratum, vult c. 6. ut in ecclesia nemo sepeliatur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedra: intra ecclesiam vero, & prope altare ubi corpus & sanguis Christi conficitur, nullatenus. In Concilio autem *triburiensi* anno 895. celebrato, prohibitum fuit, can. 17. ut *nullus laicus in ecclesia sepeliatur, nisi in communi coemeterio: corpora tamen antiquitus in ecclesia sepulta nequaquam proiiciantur, sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiae reverentia conservetur.* Ratio

[a] *lib. 1. Capitul.*

tio autem, quare in templis potissimum sepulturam suam desiderabant christiani, erat, quod putarent quidam, posse defunctum meritis illorum martyrum, in quorum basilica conderetur, iuvari, immo ipsi ecclesiae antistites crederent, utilitatem aliquam capere exinde defunctum posse. Translati enim in urbes & in ecclesias, facilioris & decentioris cultus gratia, martyrum reliquiis, sepulturae locum iuxta illas sibi deligere fideles quique coeperunt, ut animarum saluti providerent, saltem ex sanctorum suffragiis, aut meritis. Ita quidam sentiebant. Hinc MARCELLINA Romae, neglecto paterno sepulcro, Mediolanum corpus transferri iussit, apud sanctos Satyrum & Ambrosium fratres, qui iuxta GERVASII & PROTHASII martyrum corpora (*) tumulati erant. Erat aliquando mater, quae filium iuxta martyres in ecclesia sepelire volebat, quod crederet, meritis martyrum animam eius posse adiuvari. Interrogabatur ergo Augustinus a Paulino, quid sentiret, an non homini prodesset post mortem, si fide suorum humando eius corpori provideatur locus in ecclesia, iuxta corpora sanctorum. Paulinus ita quidem opinabatur; at Augustinus ei opposuit, quod habet apostolus: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque, secundum ea, quae per corpus gessit, sive bonum sive malum.* Ergo, addit, illa, quae post mortem religiose pro defunctis facta fuerint,

(*) *Hieron. in epitaph.*

rint, eos adiuvare, si pio vitae genere sibi id acquisiverunt, alioqui nihil ista iuvare: quamvis & quorundam tam bona esse possint merita, ut talibus non indigeant adiumentis. Deinde concedit ille, provisum apud memoriam sanctorum sepulturae locum, bonae quidem affectionis humanae esse indicium erga funera suorum, atque ita id potius vivorum solatium esse: mortuos autem non aliter adiuvare, addit, *nisi ad hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illis, tanquam patronis, susceptos apud Dominum adiuvandos orando commendent: quod quidem facere possent, etiam si talibus locis eos humare non possent. Attamen cum sepulcra mortuorũ dicantur vel* memoriae, *vel* monumenta, *quod mortuos in memoriam revocent, & monendo faciant cogitari, & vero animus recolat, ubi sepultum sit carissimi corpus, occurrat autem locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam facile commendare recordantis & peccantis affectum. Et non dubiũ esse, quin affectus hic defunctis prosit, iis videlicet, qui, cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerint.* Interea, sive humata fuerint corpora in talibus locis, sive non fuerint, *non sunt*, addit, *praetermittendae supplicationes pro spiritibus mortuorum: si autem illae deessent, quae fiunt recta fide ac pietate pro mortuis, puto, quod nihil prodesset spiritibus eorum, quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur. Cum ergo* Fidelis mater, Fidelis filii *defuncti corpus desideravit in basilicam martyris poni, si quidem cre-*

 didit,

didit, eius animam martyris meritis adiuvari, hoc, quod ita credidit, supplicatio quaedam fuit, & haec profuit, si quid profuit. Et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, & filium precibus magis magisque commendat, adiuvat defuncti spiritum non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus. Quem quamvis locus sanctus renovet & augeat, ut eo ardentius & saepius pro defuncto oret, tamen etiam, si quis non possit, quem diligit, ibi humare, nullo tamen modo debet a supplicationibus necessariis in eius commendatione cessare, sed requies spiritui, ubicunque iaceat caro, acquirenda. Haec *Augustinus* in libro de cura pro mortuis gerenda. Cui & assentiuntur *Gregorius M.* [a] & *Iulianus* (b) archiep. tolet. Ceterum sub altari in templo non nisi martyres solebant sepeliri, rarius episcopus loci. Habetur quidem exemplum AMBROSII mediolanensis episcopi, utpote in sua ipsius ecclesia sub altari primario sepulti, si verum est, quod Mediolanenses hodienum perhibent. Ipse autem dixit, *se locum istum cedere martyribus*, ut supra percepimus. Quod ad basilicas attinet, in iis non facile episcopos sepultos esse, ex auctore descriptionis vitae FULGENTII patet, quem eius discipulum esse volunt. Ita enim is refert: *Primus plane in basilica poni meruit, ubi nullum neque sacerdotem, neque laicum sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis removebat impedimentum consue-*

(a) *In dialogis lib. 4. cap. 50. & c. 51. 54.*
(b) *Prognost. lib. 1. c. 20.*

suetudinis, ambientibus universis civibus, & cum summa devotione quaerentibus, ut, ubi vir sanctus, & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adiunctus. Et B. EPIPHANIUM, Metaphrastes refert, Arcadii Imperatoris iussu in ecclesia esse sepultum, nonnullis quidem propter ecclesiae reverentiam, & consuetudinem renitentibus. Quare *Aringus*, de pontificibus romanis, in vaticano apud b. Petrum quiescentibus agens, adfirmat, [c] quamplures in porticu ante ipsam basiliam Petri, christianae humilitatis gratia, & alios in interiori eiusdem basilicae ambitu sua humari corpora voluisse; idque corroborare nititur testimonii *Petri Manlii*, & *Tiberii Alpharani*. Supra dictum est, Imperatores Constantinum, & quosdam eius successores, fidei christianae addictos, in atrio basilicae apostolorum constantinopolitanae sua monumenta habuisse. Hinc *Chrysostomus* [d] per iocum quasi Constantinum ait *ostiarium Petri* effectum, & ingenti honore eum fuisse affectum, quod tantum in piscatoris vestibulo fuerit conditus.

§ III. De aliis autem Concilium *vasense* canone supra citato expresse meminit, quod in atriis fuerint sepulta eorum corpora; hinc circa muros templi, aut in urbibus iuxta templa sepulcra defunctorum construi, receptum fuit. Quanquam enim ad Leonem usque sec. IX. Impera-

O 5 torem

[c] *l. 2. c. 8. n. 2.* [d] *hom. 26. in 2. epist. ad Corinth. & hom. 66. ad pop. antioch.*

torem, lex de non sepeliendis intra urbem defunctis nondum erat abrogata, tamen superiores connivebant, nec nisi in templis sepulturam vetabant. Vid. Concil. *bracar*, I. c. 18. En ergo si non originem, saltem progressum coemeteriorum, ex amore vicinitatis martyrum promanantem. Dubito enim, an inde originem sumserint, quia *Optatus milevitanus* [f] iam suo aevo coniungit coemeteria, & basilicas, cum in Donatistas invehitur, quod basilicas invaserint, ut sibi solis coemeteria vindicarent, reiectis catholicorum corporibus. *Optati* autem temporibus, meritis martyrum alios posse iuvari, nondum communis erat fides. Primi ergo auctores, qui coemeteria cum templis iunxere, non nisi hunc scopum habuisse creduntur, ut populo, sepulcra piorum, quoties templum adiret, intuenti, occasio daretur, & sese excitandi ad illorum aemulandas virtutes, vanitatemque humanam considerandi, & ut testimonium extaret publicum de communione fidei, utpote quam defuncti olim cum vivis in vicino templo publice fuerint confessi. Progressum autem autem huius instituti non parum iuvit opinio de meritis martyrum pro defunctis, quamvis illi Augustinus contradixerit. Hinc *Maximus* (g) taurinensis, qui claruit anno 422, non veretur eloqui: *Ideo namque hoc a maioribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra*

[f] *Lib. 6.* [g] *Serm. 77. & Solut. in natali SS. taurinorum mart.*

nostra corpora sociemus, ut, dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat; dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes, evadimus inferni tenebras, eorum propriis meritis, & consocii sanctitate. Praesertim sec. VI. quo magna sibi de meritis martyrum promittebant commoda, invaluit, ut omnes sepulturae locum templis saltem vicinum sibi exoptarent, immo sacerdotes, qui populum rectius docere debuissent, non minori in id ferebantur desiderio, ut nimirum sacra pro defunctis eo facilius obire, & quaestum maiorē facere possent; quanquam sine falsa ista opinione haec veterum consuetudo merito laudanda, ex rationibus ante citatis, ideoque & hodienum servatur. *Durandus*, qui vixit sec. XIII. (*) quosdam dicere memorat, locum triginta pedum circa ecclesiam debere ad sepulcra consecrari, alios vero, solum circumitionem, quam faciat episcopus dedicans ecclesiam, ad hoc sufficere. Etiamsi autem veteres laicis aliisq; tantum circa muros ecclesiae, solis autem episcopis, Imperatoribus & conditoribus templorum ordinarie in atriis tantum sepulturam concesserint, tamen anno 813. Concilium *moguntinum* can. 52. ordinavit, ut episcopi, abbates, digni presbyteri, & fideles, i. e. vitae probitatae insignes, in ecclesia conderentur: quam licentiam Concilium *triburiense* anno 893, aut 895. iis confirmavit. Mox cuncti, potentia & divi[illegible] elati, istos

(*) *Ration. l. 1. c. 5. de coemet.*

istos sibi honores ambiverunt, nec non vilissima plebs, ambitione ducta. In Euchologio graecorum [d] occurrit quaestio, an recte sepeliantur quivis orthodoxi in ecclesia? & a patriarcha *Theodoro* respondetur, *nefas esse aliquem in ecclesia sepelire, sin ibidem martyris corpus iaceat: in aliis vero non ita consecratis aedibus, quae & oratoria nuncupentur, absque periculo cadavera humari posse.* Plura de veterum sepulcris non addo, nisi hoc unicum, quod illi iuxta infidelium corpora tumulari haut decorum duxerint. Quare *Cyprianus* Martialem etiam ex eo (e) accusat, quod filios, exterarũ gentium more, apud profana sepulcra deposuerit, & alienigenis consepeliverit. In Concilio nicaeno can. 56. interdictum fuit, ne gentilium nomina filiis christianorum imponerentur; quae aversio cum inter illos adhuc viventes intercederet, non dubium, quin illa etiam ad sepulturam usque continuarit. Haereticos etiam in coemeterio christiano non sepultos esse, rursus ex eo facile colligitur, quod semper veri catholici christiani illos vivos fugerent, suaque communione excluderent. Iulius II. a. 1505. pugnantes in duello, & duellum permittentes quacunque causa, etiam iure probata, excommunicavit, iisque sepulturam in loco sacro denegavit (f). Pro religiosis autem viris quidam suis sumtibus extru-

xere

(a) 525. ubi de offic. exequ. agi debet. (e) *epist. 68. ad clerum & plebes in Hispania de Basilide ut & Martiano o. m. 114.* (f) *decretal. l. 5. tit. 17.*

xere monumenta, (a) ne cum aliorum corporibus miscerentur illorum sepulcra, veluti supra ex *Dionysio* [b] indicatum, quemvis iuxta sui ordinis corpora sepultum esse, Sec. VII. *Ioh. Moschus eviratus* facit etiam mentionem sepulcrorum pro peregrinis, ab incolarum sepulcris separatorum, quando scribit: *Clerici ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum, inter peregrinorum sepulcra.*

§. IV. Progredimur ad formam sepulcrorum quodammodo contemplandam: ubi sciendum, quaedam fuisse *bisoma*, (c) seu *disoma*, vel *trisoma*, vel *quadrisoma*, (d) quae duo, tria, aut quatuor continere poterant corpora: monosomum autem erat illud, quod unum cadaver tantum tenebat. Itaque modo id amplius, atque longius fuit, modo angustius, & brevius: *Prudentius* (e) *sexaginta Romae defossas esse mole sub una* reliquias, refert, & eas quidem quas propria iunxerit amicitia. Erat autem sepulcrum etiam vel *familiare* vel *haereditarium*, (f) illud pro tota familia, hoc pro haeredibus tantum conditum. Sic Basilius, [h] nec non Caesarius,

[a] *Socrat. H. E. l. 7. c. 35.* (b) *Hierarch. eccl. c. 7.*

(c) *In prato spirit. c. 88. extat in t. 8. Biblioth. patr.*

(d) *Fleetw. Inscript. p. 364. 514. Aring. l. 3. c. 22. n. 7.*

(e) *Perist. hym. 11. de passione Hypolyti p. 423. v. 10. & hym. 4. p. 245.*

[f] *ff l. 11. tit. 7. leg. 5.* (h) *Nazianzenus t. 1. p. 372. & p. 176.*

RIUS quisque in suorum ipsius parentum sepulcro conditus est. In vaticano olim coemeterio illustrium quarundam familiarum sepulcra extitisse, intra quaedam cubicula, ad aediculas subterraneas, miro opere extructas, testis est (a) *Aringus*. In coemeterio Lucinae fuit locus, quem presbyter & uxor sibi in sepulturam (b) delegerant. In topho (c) autem monumenta quaedam excisa, alia humi effossa, [d] alia in parietibus ab utraq; parte excisa, hodienum Romae cernuntur, quae lateritiis, aut marmoreis tabulis obserata deforis fuerunt, quod *Prudentius* quoque indicat, quando (e) canit:

Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quae solum significant numerum.

Et *Gregorius* nazianzenus, (f) inquiens: *Quae omnia hodie lapis iste contexisset. Hieronymus* sepulcrum mulieris septies ictae sic [g] describit: *Clerici autem, effossam humum lapidibus construentes, sepulcrum parabant.* Variabant itaque monumenta, pro dignitate recondendorum, praestantia atque pretio: unde *Hieronymus* (h) refert, *exterius illa lita calce, marmoribus ornata, auro, coloribusque distincta* esse. Nunquam autem

(a) *R. S. l.2. c.10. n.2.* (b) *Fleetvv. p.365. Conf. Aring. l.2. c.8. n.7.* [c] *Aring. loco iam citato.* (d) *l.3. c.22. n.1.* (e) *Peristh. hym. 11. v.14.* (f) *t.1 p.168. Orat. in laud. Caesarii.* (g) *t.1. p.235. de mul. sept. icta.* [h] *t.9. in cap. 23. Matth. p 69.*

tem approbarunt pii ecclesiae *doctores*, multos sumtus in monumenta collocare: ita enim *Basilius* [i] loquitur: *Monumento quid opus est pretioso? Bonum sepulcrum est pietas.* Et Ambrosius (k) *Frustra struunt homines preciosa sepulcra, quasi ea animae; nec solius corporis receptacula essent.*

[i] *t.1.p.315.serm.3.in div.avar.*
(k) *De bono mortis cap.10.*

CAP. III.
De inscriptionibus, atque signis illis additis.

§. I.

Moris prisca in ecclesia fuisse, inscriptiones addere monumentis, seu titulos, ex *Prudentio* satis constat, ita [a] canente:

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quaeris
Nomina? diffilile est, ut replicare queam.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod,
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quae solum significant numerum.

Quae verba non tantum probant inscriptionum usum, sed & locum, ubi factae fuerint, indicant, in marmore scilicet, quo

[a] *Peristh.hym.2.de Hippolyti pass. Conf. hym.5. de Vincent mart. v.390. & hym.12. de Pass. Petri & Pauli v.45, item Cathem.hym.10.sub fin.*

quo loculus fuit conte;ctus. Audiemus etiam, in tabulis, iuxta ſepulcrum, aut ſupra illud affixis, immo & in cippis iuxta illud poſitis, inſcriptas fuiſſe. Ex ſeculo equidem I. & II. nullum fere epitaphium proferre poſſum: tempus enim edax rerum permultas antiqvas inſcriptiones conſumſit, aut una cum monumentis in ruinam vertit, & quae fere reſiduae manſerunt, tempus, quo factae ſunt, non exponunt. Vnicum tamen deprehendi apud *Fleetvvoodum*, & *Reineſium*, quod iuxta ſepulcrum S. Victorini, qui ſub Traiano Imp. cum Marone, & Eutychete paſſus eſt, apparuit, his conſtans verbis:

Iubente Deo Chriſto noſtro
S. Martyri Victorino
Quod vult Deus de ſuo fecit.

Ex ſeculo III. producere non plura, niſi duo poſſum. Nempe in coemeterio D. Agnaetis via nomentana, in interiore parte lapidis, quo ſepulcrum concluditur, haec leguntur:

Aurelia. Augurina. Hic. Eſt.

Exterius autem in lapide ſepulcrali:

Sic premia ſervas Veſpaſiane dire civitas ubi gloriae tuae autori premiatus ex morte Gaudenti laetare Promiſit iſte dat Kriſtus Omnia tibi, qui alium paravit theatrum in celo. Nota: *Aringus* haec refert ad Domitianum, qui GAUDENTIO architecto theatri aedificandi curam commiſerit, eique pro opera civitatem promiſerit; re autem perfecta chriſtianus ſit delatus, & ideo pro mercede martyrium ſortitus. Itaque ſenſus huius inſcri-

inscriptionis *Reinesio* & *Fleetvvodo* haut obvius facilis est, hoc scilicet modo: Sic praemia servas Vespasiane dire? Vbi civitas, quam promisisti? Gloriae tuae auctori, scilicet architecto, praemiatus es morte? O Gaudenti, laetare. Promisit quidem iste Imperator: at Christus omnia tibi dat, qui aliud paravit theatrum in coelo. Quod igitur Imperator non dedit, illud longe excellentius Christus tibi largietur. Secundum ex hoc seculo epitaphium, repertum in coemet. Generosae, via portuensi, hoc est: *Martyres Simplicius & Faustinus, qui passi sunt in flumen Tibere, & positi sunt in cimeterium Generoses super Philippi.* Nota: Corpora horum, sub Diocletiano coronatorum, inventa erant in dicto loco, in sexto Philippi, qvi forsan dominus agri erat, in quo coemeterium situm fuit. Seculum autem IV. plures nobis inscriptiones sepulcrales reliquit, e. g. Mediolani incisa sunt lapidi iuxta imaginem S. Anathol. aut sub finem sec. III. aut sub initium IV. haec verba:

D. Antholoni. Attico. Secundo. Epo.
Petri. Hospes. Sancteque. Anatholon. Domne. probate.
Atque. idem. socius. Barnabae. apostolici
Qui. Mediolani. verbi. mysteria. tradens
Te. iubet. agnatos. visere. Cenomanos
Dum tua membra metu rigidis subducta tyrannis,
Brixia vicino detinet in loculo,
Hic titulum & picto venerandos pariete vultus
Miroclis reddit praestitis alma fides.
Miroeles episcopus.

P Nota

Nota: Mirocles, quartus ab Anathalone Mediolani episcopus, depositus est *A. D. 303.* ante S. Ambrosium 84. secundum Indicem episcorum mediol. *a Mabillonio* editum p. 110. Vnde simul liquet, inscriptiones interdum diu post obitum ab aliis demum factas esse episcopis, veluti etiam Damasus, pontifex romanus sec. IV, martyribus quibusdam fecit epitaphia, e. g. SIXTO II. (a) martyri a. D. 258. Aug. 6. & STEPHANO protomartyri, atque TARSICIO, (b) qui posterior, cum quodam die deferret sacra eucharistiae symbola, nec vellet ea discutientibus paganis prodere, tamdiu fustibus ac lapidibus maceratus est, donec exhalaret spiritum, aliisque. (c) Ita & Honorius pontifex rom. BONIFACIO V. P. R. qui obiit 626. carmen sepulcrale condidit. Parentes etiam liberis, liberi parentibus, coniux coniugi, cognatus cognato, amicus amico epitaphia scripsere, uti ex *Gruteri*, *Reinesii*, & *Fleetvvodi* inscriptionum libris apparet. Audiamus illud, quod ipse Ambrosius fratri suo Satyro fecisse dicitur, in ecclesia S. Nazarii Mediolani:

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad laevam detulit Ambrosius:
Haec meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Hieronymus (d) PAULAE, quae ipsi pietatis nomine

[a] *Vide Fleetvv. lib. cit. p. 533. n. 2.*
(*b*) *p. 496.* (*c*) *p. 508. 408. Conf. Aring. L. 3. c. 12. n. 12. & n. 14.* (*d*) *t. I. ad Eustoch. p. 183.*

ne cariſſima fuerat, ſepulcro hanc incidi voluit titulum:

Scipio quam genuit, Paulae fudere parentes
Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles:
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores;
Euſtochii genitrix: Romani prima ſenatus
Pauperiem Chriſti, & bethlemitica rura ſecuta.

In fronte ſpeluncae:

Aſpicis anguſtum praeciſa rupe ſepulcrum?
Hoſpitium Paulae eſt, coeleſtia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriamque relinquens
Divitias, ſobolem, Bethlemiti conditur antro.
Hic praeſepe tuum, Chriſte, atq; hic myſtica magi
Munera portantes, hominique Deoque dedere.
Dormivit ſancta, & beata Paula, ſeptimo Calendarum
Februarium, tertia ſabbati poſt ſolis occubitum.
Sepulta eſt autem quinto calendarum earundem.
Honorio auguſto & Areſtino conſulibus.

Notandum eſt, ſicut ſub finem huius inſcriptionis tempus obitus deſignatur ſub Honorio & Areſtino conſulibus, ita & in multis aliis tempus illud non aliter, quam iſto modo indicatum fuiſſe. e. g. via oſtienſi in baſilica S. Pauli duo habentur ſequentia epithaphia:

. . . . *grata Maria*
. . . . *corda tuorum*
. . . . *que relinquens*
. . . . *randa fidelis*
. . . . *inque maritus*
. . . . *mors tibi ſuſtulit illum.*

Depof. VIII. Kal. Octobr. Adelfio V. C. Confule.

✠ *Sedis apoftolicae Levites fummus in ifta*
Mente petens XPM membra recondit hume.
Infignis meritis clarusque per omnia miles
Enituit, tanti dignus honore loci.
A Deo fic datus altaris fuit ille minifter
Nomen ut aequaret vita decora viri.

Depof. VII. idus Maias Leone iuniore Aug. primum conf.

Nota: Adelfius erat conful A. D. 451. Leo iunior erat conful A. D. 474. Nomen diaconi vel levitae erat Adeodatus.

Alio modo aera addita denotabatur tempus, e.g. Cippo in agro hifpalenfi haec verba infcripta erant:

Alexandria clarisfima femina vixit annos plus minus XXV. Recesfit in pace decimo Kal. Ianuarias. Era DIII. (i. e. A. D. 465.

Alio modo Romae in coemet. S. Agnetis, via nomenfi

. . . . *Et Abundantius Acol. Reg. Quarte TT. Veftinae, qui vixit ann. XXX.*
Dep. in P. D. nat. Sci Marci menfe Octobr. ind. XII.

id eft: Depofitus in pace die natali fancti Marci menfe Octobr. indictione 12.

Abundantius acoluthus erat Regionis quartae, titulo Veftinae: nam Fabianus pontifex fub imperio Maximini, poft breviffimam perfecutionem, urbem Romam in Septem regiones diviferat, easque Diaconis diftribuerat. Veftina era-

rat nobilissima femina, de qua nomen acceperunt presbyteri, diaconi, subdiaconi & acoluthi. Acoluthorum autem officium erat, in sacris ministrare, parare mappas, altaria, lumina, aliaque necessaria, cereos portare, calices subdiaconis praeparare.

Ex citatis epitaphiis praeterea liquet, nomen defuncti, eius officium, qvod gesserat, ætatem, mensem, & diem obitus aut sepulturae, plerumque expressum fuisse. Praeterea in coniugum inscriptionibus annos, quot in coniugio degerant, indicare solebant, & superstes coniux, quae monumentum defuncto construxerat, id interdum significabat, nomine suo adiecto, quod & in aliis saepe factum. Quando autem defunctus fuerat lapsus, at in ecclesiae communionem receptus, & illud indicare solebant, hoc modo:

Hic in pace quiescit Adiutor qui post acceptam poenitentiam migravit ad Dnm ann. LXV, mens. VII. D. XV. depositum. S. D. VIIII. Kal. Ianuar. Anastasio V. C. Consule.

Nota. Hic titulus reperitur Aquis Sextiis. Anastasius imperium post consulatum adeptus est. A. D. 492. *Post acceptam poenitentiam*, i. e. post absolutionem & pacem illi redditam, quod fiebat per manus impositionem, ut supra lib. 1. c. 2. fuit dictum. Haec autem verba *in pace*, fere ubique adponebant suis inscriptionibus, ita tamen, ut vario modo ista exprimerent, & vario loco ponerent.

Modo ab initio : *Hic requiescit in pace*

A ✳ Ω

aut : *In somnum pacis Femina Aprenia* &c.

item : *In pace Anastasia* &c.

Graece : Εν ειρηνη ανεπαη &c.

Hoc tumulo quiescit &c.

Τοπος αναπαυσεως

Deposita in pace.

Modo in medio : e. g. in coemet. S. Agnet.

Abentius & Marcia Abentiae filiae carissimae in pace, quae vixit ann. V. M. VII. D. XVIII.

. . . . *Depositus in pace* &c.

Id ad Deum, &c.

Reovibit in pace.

Modo sub finem : e. g. in civitate portuensi.

AEliae Sabinae Nevia Fortunata. Filiae dulcissime in pace.

vel : *Hic in spe resurrectionis quiescit.*

Anima illius in pace.

Ossa tua bene requiescant.

In pacem.

Vivas in Domino Iesu.

Saepe etiam occurrit hic laudis titulus, Bene merenti : e. g.

Parentes filio bene merenti.

Fratri bene merenti.

Filiae bene merenti.

Triginiano coniugi bene merenti Profutura fecit, qui vixit mecum annis XXV, egit autem vita annis LVIII. in pace.

item hic caritatis titulus : *Filiae dulcissimae* &c.

Filio dulcissimo &c. Quae-

Quaedam praeterea epitaphia habentur, ubi nil amplius apparet, quam nomen, & mortis ratio, e. g.

Simplicianus martyr,
Servilianus martyr.

Alia ita : *Septimus Siricaa coniugi in pace.*
Item : Locus Valeriani Chartarii.

Plura obſervari poſſunt, ſi ipſi inſcriptionum collectores evolvantur.

§. II. Signa, quae veteres chriſtiani epitaphiis adiecere, reſtant, ut indicentur. Sciendum itaque, cordis figuram aut ſemel, aut bis, aut ter, aut quater inſcriptioni adpoſitam fuiſſe in tumulo coniugis aut liberorum, (f) ad denotandum caritatem, qua inter ſe mutuo coniuncti fuerunt coniuges parentes & liberi. Varias etiam avium maiuſcularum figuras (g) marmori inſculpſerunt, inter quas columbae cum ramis olivae ſaepiſſime apparent, innocentiam & pacem, in qua ſepultus ille obdormiverit, denotantes. Ad martyrum inſcriptiones palmarum rami vulgo exſculpti fuere, victoriam illorum ſignificantes. Alii quidem exempla proferunt, quibus commonſtrent, aliorum etiam tumulis palmam eſſe adpoſitam : Aringus vero tales pro ramis olivae agnoſcit, non autem palmarum. (h) Crebrius autem chriſtianorum ſignum erat ☧ quo adorandum Chriſti nomen (i) exprimebant, idque

[f] *Aringus R.S.l.4.c.37.p.120.l.3.c.22.p.306.*
(g) *Ibid.* [h] *l.6.c.43.p.344.& ſeqq.* (i) *l.6.c.23.*

iam ante Constantinum M. obtinuisse, sepulcrum Marii martyris sub Hadriano, Alexandri martyris sub Antonino, & demum Caii papae & martyris sub Diocletiano, palam exhibet. Porro duo Graecorum elementa Α & Ω ibidem apparuere, (a) quibus etiam Christum denotarunt, tanquam principium & finem omnium rerum, iuxta Apocal. 1. & 22. Piscium etiam imagines in sarcophagis artificum manus expressere, [b] quae iustos ibidem conditos prae se tulere. *Talis enim*, ait Tertullianus, (c) *est iustus quoque, qui intra retia fidei conclusus, bonus piscis a Salvatore nominatur: qui etiam mittitur in vas, velut pinnas habens & squammas. Non enim habuisset pinnas, non resurrexisset de coeno incredulitatis, nec ad rete fidei pervenisset, nisi pinnis adiutus ad superiora pervenisset.* Ambrosius, [d] *Imitare*, inquit, *illum piscem, qui minorem quidem adeptus est gratiam, tamen tibi debet esse miraculum: in mari est, & super undas est: in mari est, & super fluctus natat: in mari tempestas fuerit, strident procellae, sed piscis natat, non demergitur, quia natare consuevit. Ergo tibi seculum hoc mare est: habet diversos fluctus, undas graves, saevas tempestates; & tu esto piscis, ut seculi te unda non mergat.* Delphinus etiam defunctorum tumulis adscriptus [e] est; hic enim unus prae ceteris piscibus inter mundos recensetur, haut in maris imo degens, lutove & arenae aliorum instar inhaerens, sique

(a) l. 6. c. 22. [b] c 38. (c) homil. 7. in Levit. c. 10.
(d) lib. 3. de sacram. c. 1. (e) Aring. l. 6. c. 39.

sique demergitur, mox limosa loca pertaesus, ac superna ambiens, ad aquae superficiem saltu provehitur, purioribusq; aquis perfundi gaudet. Muta haec illius imago intuentibus inuere debuit, christianos defunctos haut temporalium rerum visco ac curis obvolutos, sed omnia praeter gressos, ad coelestium rerum spem toto iugiter animi conatu contendisse. Quae porro de anchora, arboribus, cupresso, palma, oliva, vitibus, uvarum racemis, coronis, aliisque signis, immo & imaginibus mortuorum, ipsiusque Christi in sepulcris expressis huc pertinent, apud *Aringum* (f) prolixe legi possunt.

[f] *l.6.toto.*

CAP. IV.

De religione erga sepulcra.

§. I.

Quemadmodum a gentilibus sepulcra magna in religione habebantur; ita multo magis christianos loca, ubi sancta quiescebant corpora, religiosa atque sancta duxisse, facile colligitur. Fides enim christiana docet, resurrectura esse corpora fidelium ad gloriam aeternam. Quam ob causam antiquiores christiani debito semper honore illa prosecuti, monumenta etiam illorum nullo modo profanare voluerunt. Violabatur autem olim sepulcrum variis modis: 1. *Illegitima cadaveris illatione* [a] 2. *Dolosa inhabitatione* (b); 3. *Monumenti demolitione*, ut si

P 5

[a] *lib. 47. tit. 12. de sepulcro violato.* [b] *Ibid. n.6, 11. & l. 2, tit. 7. l. 2.*

si quis domino invito abstulerit de sepulcro saxa, vel marmora, vel columnas, aliaque, aut si lapidem hinc movere, & terram evertere, & cespitem evellere, nec non siquis ornamenta quaedam tricliniis aut porticibus auferre de sepulcris (c) non vereatur. 4. *Illati cadaveris contrectatione*, (d) *mutilatione*, *spoliatione.* [e] 5. *Ossium translatione illicita*, Corpora namque perpetuae sepulturae tradita, h.e. eo animo in quodam loco condita, ut ibi perpetuo manerent, sine sepulcri violatione alio transferri non poterant, nisi Princeps [f] licentiam daret. 6. *Neglectu reparationis sepulcri ruinam* (g) *minitantis.* Cavendum autem erat, ne in lapso monumento reparando corpora tangerentur, immo pontifices tum explorare debebant, quatenus salva religione desiderio reficiendi operis medendum (h) esset. Denique 7. si *sepulcrum religiosum venderetur, aut emeretur*, (i) quamvis iure talis venditio non subsisteret: (k) nam tametsi aliquis alteri fundum, vel agrum vendidisset, in quo sepulcrum ipsi erat religiosum; tamen semper uti poterat iure ad sepulcrum adeundi, & mortuos suos ei inferendi. (l) At de religioso sepulcro heic sermo est, quod fiebat corpore

[c] *Cod. Iustin. l. 9. tit. 19. l. 2. 4. & 5.* (d) *Ibid. l. 4.*
[e] *ff. lib. 47. tit. 12. leg. 11.* (f) *Cod. Iustin. lib. 3. tit. 44. l. 10. 14. ff. lib. 47. tit. 12. n. 4.* (g) *ibid. leg. 7.*
(h) *ff. l. 11. tit. 8. n. 10. leg. 5. n. 1.* (i) *Cod. Inst. l. 9. tit. 19. l. 1.*
(k) *Cod. lib. 3 tit. 44. n. 9.*
(l) *ff. lib. 47. tit. 12. l. 5.*

re aut ossibus hominis (a) conditis: cum autem diversis in locis sepultum esset, uterque locus religiosus non fiebat, quia una sepultura plura sepulcra efficere non potest: sed ille tantum, ubi quod est principale, conditum, i. e. caput. Impetrato deinde, ut reliquiae transferrentur, desinebat locus religiosus esse. (b) Poena in violatores sepulcrorum pro delicti quantitate variabat. Si corpora ipsa extraxerant, vel ossa eruerant, humilioris quidem fortunae summo supplicio adficiebantur, honestiores in insulam deportabantur: alias relegabantur, aut in metallum damnabantur. (c) Alii, qui de sepulcro saxa, columnas, aliamque materiam abstulerant, aut corpora contrectarant, decem pondo auri cogebantur fisco inferre. Qui vero lapidem moverant, & terram everterant, cespitemque evulserant, poena sacrilegii (d) adficiendi erant. Adiicere dictis liceat quasdam inscriptiones christianas, quae de violatione sepulcri & maximo adversus illam odio testantur. Nimirum in basilica S. Mariae in Cosmedin.

. . . . . *S. Hunc titulum*
. . . . . *a. Plabantra. sepul*
. . . . . *mora. quae. claudunt*
. . . . . *ste. potes. XPI. Ancil*
. . . . . *ta. nomi. . . . . Anna*
. . . . . *ens. Velamine sacro*

gra-

(a) *ff. lib. 11. tit. 7. l. 2. n. 5.* [b] *ibidem l. 44.*
[c] *lib. 47. tit. 12. l. 11.* [d] *Cod. l. 9. tit. 19. l. 4. & 5.*

. . . . *gravit. ad XPM.*
. . . . . *sepulcrum. violare*
. . . *&. sit. alienus a. Regno. Dei.*

In coemet. via noment.

Male pereat insepultus iaceat non resurgat cum Iuda partem habeat, si quis sepulcrum hunc violaverit.

Romae.

Quisquis sustulerit, aut laeserit, ultimus suorum moriatur.

Romae.

Onus. qui. intratis. in. hanc. aulam. Dei. orationem orate. pr. me. Peccatorem. si. Dm. abeatis. Protectorem. quia. ced. estis. fui. &. quod. sum. essere. abetis. &. si. quis. se. praesumserit. contra. hunc. tumulum. meum. violare. abere inde inquisitionem ante tribunal Dni nri.

Horrendas autem istas execrationes de re tam levi, cave, ne ad secula priora referas: medii enim aevi sunt, ubi tot perversi mores tam sacerdotum quam populi erumpebant. Religionem cetera veterum christianorum erga sepulcra ex sequenti libro quinto pluribus videbis, immo tantam, ut non dubitem adserere, illam in superstitionem tandem degenerasse, adeoque superstitionem potius, quam religionem erga sepulcra dicendam esse.

LIBER

LIBER QVINTVS

DE RITIBVS PROPTER MORTVOS ET SEPVLTOS VETERVM CHRISTIANORVM.

CAPVT I.

De annuis martyrum festis.

§. I.

POst sepulturam primum nobis occurrunt martyrum festa, nullum enim ritum antiquiorem illo novimus, qui post sepulturam a veteribus christianis propter defunctum sit susceptus. Seculo namque II. & quidem adhuc ante A. C. 170. statim post Polycarpi martyrium, ecclesia smyrnensis (a) constituit, huius beati sui episcopi natalem martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti erant (erant enim duodecim philadelphenses cum Polycarpo simul interfecti) tum ad posteros huiusmodi exemplo erudiendos & confirmandos. Ex prima itaque origine hi festivi martyrum dies laeti atque hilares esse, & pro fine memoriam martyris unius vel plurium simul interfectorum habere debebant. Nemini tamen huiusmodi festa obtrudebantur, sed in libertate ecclesiarum erat relictum, num illa cele-

(a) *Euseb. H. E. l. 4. c. 15.*

lebrare vellent, nec ne: unde smyrnensis ecclesia sola legitur constituisse, diem Polycarpi natalem seu emortualem celebrare: ille enim huius ecclesiae episcopus fuerat. Quemadmodum autem ecclesia smyrnensis posteros suo exemplo erudire intendebat; ita illi ultro secuti sunt, & multorum etiam aliorum martyrum dies anniversarios celebrare coeperunt: quod Tertulliani aevo sub initium sec. III. factum, colligi posse videtur ex hisce sancti viri (b) verbis: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Quando ait, *pro natalitiis*, respicit martyrum memorias, utpote quorum dies emortuales dicere malebant *natales*, quod illis non mortui, sed renati essent ad coelestem, aeternamque vitam. *Cyprianus* de confessoribus seu in carcere defunctis ita ad clerum suum perscribit: (c) *Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes illorum inter memorias martyrum celebrare possimus, quanquam Tertullus scripserit, ac scribat, significetque mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, & celebrentur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quae cito vobiscum domino prosperante celebrabimus.* Annuas martyrum memorias hoc loco respicere Cyprianum, exinde colligimus, quod annotationem diei obitus tam sollicite requirat; at cui usui hoc fuisset, nisi ut illo quotannis recurrente, memoriae illorum

[b] *De Corona cap. 3 p. 102.* (c) *epist. 37. p. 52.*

illorum celebrari possent: nam alias sufficisset generatim nosse, hunc & illum e vita excessisse. Clarius autem ille hunc morem indicat, quando de LAVRENTIO & IGNATIO martyrio coronatis ait: (d) *Sacrificia pro eis semper offerimus, quoties martyrum passiones, & dies anniversaria, memoria celebrantur.* Non autem hae martyrum memoriae videntur inde ab ortu suo festivitate aut feriis fuisse peractae, donec *Gregorius* thaumaturgus ferias gentillum in festa martyrum permutaret, sicut ipse *Baronius* (e) ex Gregorio nysseno (f) probare nititur. Postmodum sub seculi IV. initium Constantinus (g) Imper. iussit, ut festi martyrum dies per omnes provincias obseruarentur; quod etiam factum. Nec in unius tantum, sed plurium martyrum memoriam simul, festum esse celebratum; illud quadraginta martyrum ostendit, in quo *Basilius*, & *Gregorius* nyssenus concionem habuerunt: isti enim martyres omnes una interfecti erant. Vnde placuit ecclesiae, illorum memoriam etiam semper coniunctim repetere.

§. II. Tempus huiusmodi dierum memorialium erat dies martyrii quotannis recurrens, ut ex iam dictis patescit: Nondum autem, Synodum *laodicenam*, sec. IV. habitam, can. 51. sanxisse, *ne in quadragesima martyrum natalitia celebrarentur, sed ut eorum in sabbato ac dominica*

tan-

(d) *epist. 34. p. 48.* [e] *Annal. ad ann. Chr. 44.*
[f] *orat. in laud. Greg. haumat.*
(g) *Euseb. H. E. de vita Constant. l. 4. c. 23.*

tantum memoria fieret. Quadragesima enim tempus erat ieiunii, & luctus; dies autem martyrum festivi, cum gaudio & hilaritate transigi solebant.

§. III. Locus erat tumulus seu sepulcrum istius unius, aut plurium martyrum, cuius aut quorum memoria renovabatur: ita enim SMYRNENSI ECCLESIAE placuit, ut non nisi isto in loco, ubi ossa b. Polycarpi condiderant, (h) convenirent: quod & a posteris ita observatum, certissimum est. Ex sec. IV. habetur exemplum ECCLESIAE NYSSENAE, quae anniversario Theodori martyris festo sacrum conventum habuit ad monumentum (i) ipsius. Confirmatur hic ritus etiam ex testimonio *Optati*, (k) ac *Hilarii*, (l) quorum uterque illa Pauli verba, *Necessitatibus sanctorum communicate*, explicat de oblationibus, quae ad martyrum sepulcra fiunt: fiebant autem illae in annuis martyrum memoriis in sacris conventibus. Immo tanti aestumarunt veteres conventus ad martyrum sepulcra, ut anathemati traderit Concilium *gangrense*, sub Silvestro sec. IV. habitum, illos, *qui per superbiam tanquam perfectos se existimantes, conventus per loca & basilicas martyrum accusaverint, vel oblationes, quae ibidem celebrantur, memoriasque sanctorum contemnendas putaverint.* An vero sub huiusmodi natalium initium

[h] *Apud Euseb. loco citato.*
[i] *Vide Greg. nyss Opp. p. 313. orat. in laud. Theod.*
[k] *l. 2.* (l) *lib. contra Constantium sub fin.*

tium, & aliquo tempore post, an sub dio ad sepulcra convenerint, vel sub exiguis quibusdam aedibus, aut fabricis supra sepulcrum extructis, incertum est: quodsi vero martyris sepulcrum in coemeterio quodam existeret, ibi sub terra conventus celebrarunt, donec tandem sec. III. tranquillioribus ecclesiae temporibus multas per coemeteria fabricas fieri mandaret FABIANVS, & sec. IV in sepulcris martyrum splendida templa erigerentur, in quibus memoriae martyrum peragi poterant. Sed de his infra. Quoniam ergo locus, quo annuis martyrum memoriis conveniebant, erat sepulcrum, quidam exinde colligunt, martyris alicuius festum non ubique in ecclesiis celebratum esse, sed solum isto in loco, ubi martyris corpus sepultum esset, & pro hac sententia verba Hieronymi [*] haec adducunt: *Diversa etiam pro varietate regionum tempora in honorem martyrum constituta.* Attamen deprehendimus, interdum diversis in ecclesiis memoriae unius eiusdemque martyris oratione panegyrica litatum fuisse; e.g. reperitur oratio in laudem CYPRIANI martyris apud *Nazianzenum*, aliaque in eundem, apud *Ambrosium*. Sic etiam memoriam XL MARTYRVM panegyrica honorarunt *Basilius*, & *Gregorius* nyssenus, quisque sine dubio in sua ipsius ecclesia, quamvis illorum sepulcrum utraque in ecclesia, aut in earum vicinia, existere non potuerit. Verum penes eruditiores esto

(*) *t. 10. in ep. ad Galatas c. 4. v. 10.*

hac de re iudicium. Nos de ratione potius inquirenda sumus solliciti, quare martyrum sepulcra prae aliis locis delegerint veteres. Vbi *Augustinum* (a) audimus hanc reddentem rationem: *Vt nempe ex ipsorum locorum admonitione maior adfectus exsurgat, ad acuendam caritatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuvante possumus.* *Chrysostomus* (b) ita: *Post vivae vocis facultatem, ipsa certe sanctorum sepulcra proximum locum obtinent, ad animas hominum, in ipsos sanctos intuentium, ad virtutum earundem aemulationem excitandas.*

§. IV. Ceterum, quomodo conventus hic anniversarius habitus sit, iam disquirendum. Ecclesia *smyrnensis* in epistola citata tantum indicat, se cum gaudio & hilaritate diem Polycarpi natalem celebraturam: id quod sacri opere conventus factum praestitumque esse, *Chemnitius* (c) existimat. Si verum est, quod aiunt, *Gregorium* thaumaturgum festa martyrum solemnia instituisse, patet, III iam seculo memorias martyrum omni celebritate peractas fuisse. Ex sec. IV certiora novimus de modo, quo natales huiusmodi celebrarunt veteres. Reperimus enim, hymnos cantatos, (d) certum psalmum davidicum lectum, [e] aut alia sacrae scripturae verba huc pertinentia; deinde sermonem pane-

(*a*) *t.6.contra Faust. Manich.l.20,c.21.*
(*b*) *contra gentil.lib.uno.t.1.p.570.* [*c*] *Ex.Conc.tr.P.4.p.666.* [*d*] *Constant.ad sanct.coet.c.12.*
[*e*] *Augustini.t.8.in psalm.63.f.141.*

panegyricum habitum, in quo acta martyrii repeterentur, (a) Deoque gratiis actis pro omnibus martyri, aut martyribus exhibitis beneficiis, sacram coenam celebratam fuisse; de quorum postremo [b] *Basilius* testatur sequentibus verbis: *Singulis certe diebus communicare & participare sancti corporis & sanguinis Christi, bonum & fructuosum est, cum dixerit ipse perspicuis verbis:* Qui comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, vitam habet aeternam. *Iam vero quis dubitat, quin vitae frequentius participare, non sit aliud omnino, quam frequenter vivere? Quater igitur nos singulis septimanis communicamus, dominico die, feria quarta, in parasceve & sabbato: Sed & per dies etiam alios, si martyris alicuius memoria celebretur.* Quemadmodum autem alias eucharistiam praecedebant oblationes panis & vini, aliorumque munerum; ita & in festivis martyrum diebus fiebant a fidelibus oblationes, sed tales, quae nomine martyris ab illis offerebantur, nihilque aliud pro fine habebant, quam ut martyris nomen ad altare in solemnibus precibus e diptychis commemoraretur, & Deo pro be-

(a) *Nazianz. in natal. Cypriani, Basilius in Iulittam, Gordium, Barlaam, August in festo unius & plurium martyrum sermones habuit. Vid. t. 10. f. 272. & seqq.*

(b) *ep. Confer Augustini t. 5. de Civit. Dei lib. 8. cap. ult. & t. 1. l 6. conf. c. 2. & t. 6. contra Faust. l. 20. c. 21. Constantini orat. ad sanct. coet. ap. Euseb. H. E. c. 12.*

beneficiis illi collatis gratiae persolverentur. *Tertullianus* primus huius moris christianorum testis est, quando (c) ait: *Oblationes pro natalitiis annua die facimus.* Deinde *Cyprianus* de Laurentio & Ignatio martyribus agens, (d) *Sacrificia*, ait, *pro eis semper offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversaria memoria celebrantur.* Per *sacrificia* autem ille oblationes, quae in usum eucharistiae, clericorum & pauperum cedebant, intelligit, ex usu scripturae N. T. e. g. Hebr. 13, 14: *Beneficentiae, & communicationis ne obliviscamini: talia enim sacrificia admodum placent DEO.* Et versu 15. oratio dicitur *sacrificium labiorum.* In alio loco (e) oblationes & sacrificia coniungit, dicens: *Vt celebrentur heic a nobis oblationes & sacrificia.* Vbi sine dubio per *sacrificia* orationem intelligit. Oblationibus ergo pro martyribus factis, pro more illorum nominibus e diptychis commemoratis, gratiae pro iis DEO agebantur, (f) & beata requies, ac aeterna gaudia iisdem exoptabantur, ut infra cap. IV exponetur: quamvis *Augustinus* loco iam citato neget, pro martyribus orari, utpote cuius, aevo multa nova iam introducta erant in ecclesiam. Sed nec de omnibus ecclesiis id asseverare poterat, quippe quarum ritus atque mores non noverat

(c) *de Corona c. 3. p. 102.*
(d) *epist. 34 p 48.*
(e) *Epist. ad clerum carthag. 37. p. 51.*
(f) *August. de Civit. Dei. l. 8. c. 27. Constantinus ad Sanct. coet. cap. 12. ap. Euseb.*

verat. S. *Irenaeus*, scribit [a]: *Is qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptatur munus eius.* Cum itaque martyris nomine offerretur, & ille deinceps ad altare commemoraretur, maximo is tunc honore adficiebatur: erat enim hoc signum, illum in communione ecclesiae militantis decessisse, ideoque in ecclesiae triumphantis consortio iam ovare.

§. V. Notandum ad illa, quae dicta sunt, non quidem reperiri prioribus fere V. seculis ullam peculiarem de illo martyre, cuius festum agebatur, missam, sed, ut dictum, in precibus, quae ordinarie eucharistiae perceptionem antecedebant, inter alia nomina & istius martyris nomen peculiari formula recitatum fuisse: e.g. *Memento & illius martyris, cuius festum hodie celebramus*: ut in liturgia *Basilii* & *Chrysostomi* legimus. At vero sequentibus temporibus omnino peculiares missarum formulae ad martyres in eorum natalibus accommodatae fuerunt, ut in libro *Sacramentorum*, quem *Pamelius* in Ritualibus Patrum latinorum exhibuit, in singulis sanctorum natalibus h. e. annuis memoriis eiusmodi preces ocurrunt. Cardinalis *Bona* ex M. S. missali antiquo in bibliotheca Suecorum Reginae, litteris quadratis, & maiusculis constante, profert illas preces, quas in Stephani protomartyris festo fideles circa sec. VI aut VII fuderunt. Putat autem dignitate & eruditione eminentissimus vir, illud [b] vetus

(a) *L. 4. haeres. c. 34.* (b) *Rerum Liturg. P. 1. p. 124.*

Missale gallicanum esse, tum quia ad amussim conveniat illis, quae *Hilduinus* (*) tribuit gallicis Missalibus a se visis, tum quod priscis ecclesiae toletanae ritibus consonet, ex qua *Carolus* calvus sacerdotes adsciverit, ut antiquum Galliae morem ab ipsis celebrantibus disceret. Praeterea iam memoratus Cardinalis harmoniam inter ordinem, & methodum missarum in hoc antiquo Missali & inter gothicum seu mozarabicum, a Cardinali *Ximenio* editum, orationes vero diversas esse ostendit. Vt autem ad scopum revertar, ordo missae in praedicto S. Stephani natali sequentem in modum sese habet;

Praefatio.

Venerabilem atq; sublimem beatissimi protomartyris Stephani passionem hodie celebrantes, Dominum martyrum, Fratres carissimi, deprecemur, ut, sicut illi contemplatione meritorum suorum coronam dare dignatus est, nobis quoq; plenissimam misericordiam, ipsius precibus flexus, in omnibus largiatur, per Dominum nostrum.

Collectio sequitur.

Deus, qui sancto Stephano martyri tuo, & principatum in ministerio, & principem in martyrio contulisti, dum nobis sancti diei huius festivitatem, pro eius vel commemoratione vel passione donasti, exaudi, quaesumus supplices, familiae tuae preces, nobis eius peculiare praesidium tribue, cuius pro inimicis ac peccatoribus preces piissimas acceptasti. Tribue etiam, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis persecutoribus

[*] *ep. ad Ludov. Pium, Areopagiticis ipsius praefixa.*

bus supplicavit, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum beatus vivit.

Collectio post nomina.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum virtute multiplici, ecclesiae tuae sacrum corpus exornans, primitias martyrum gloriosi levitae tui Stephani sanguine dedicasti, da nobis, diem natalis eius honore praecipue celebrare, quia non diffidimus, eum fidelibus tuis posse suffragari, qui dominicae caritatis imitator, etiam pro suis persecutioribus supplicavit. Tribue, quaesumus, per interventum eius, ut viventes salutem, defuncti requiem consequantur aeternam.

Collectio ad pacem.

DEus caritatis indultor, Deus indulgentiae munerator, qui s. martyri tuo Stephano in passione largitus es, ut imbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus supplicaret; pietatem tuam, Domine, subnixis precibus exoramus, ut, dum martyris tui passionem recolimus, per intercessionem ipsius, pacis securitatem, & peccatorum nostrorum veniam consequi mereamur.

Contestatio Missae.

Dignum & iustum est, aequum & iustum est, te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere, omnipotens sempiterne Deus: qui gloriaris in conventu sanctorum tuorum, quos ante mundi constitutionem praeelectos spirituali in coelestibus benedictione signasti: quosque unigenito tuo per assumtionem carnis & crucis redemtionem sociasti: in quibus Spiritum tuum sanctum regnare fecisti, per quem ad felicis martyrii gloriam, pietatis tuae favore venerunt. Digne igitur

tibi, Domine virtutum, festa solemnitas agitur, tibi haec dies sacrata celebratur, quam b. Stephani primi martyris tui sanguis in tuae veritatis testimonium profusus, magnificum nominis tui honore signavit. Hic est enim illius nominis primus confessor, quod est supra omne nomen, in quo unicum salutis nostrae praesidium, Pater aeterne, posuisti. Hic in ecclesia tua, quam splendidum ad cunctorum animos confirmandos unicae laudis praecessit exemplum. Hic post passionem domini nostri Iesu Christi, victoriae palmam primus invasit. Hic, ut levitico ministerio per spiritum S. ab apostolis consecratus est, niveo candore confestim emicuit, martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahae semen, apostolicae doctrinae & dominicae crucis prior omnium factus imitator, & testis! Merito coelos apertos vidit, & Iesum stantem ad dexteram Dei. Digne igitur ac iuste talem sub tui nominis confessione laudamus, omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es: suffragia eius nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum post tropaea venientem exultans Christus excepit. Illi pro nobis oculi sublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore constituti, stantem ad dextram Patris filium Dei in ipsa passionis hora viderunt: ille pro nobis obtineat, qui pro persecutoribus suis, dum lapidaretur, orabat ad te, sancte Deus, pater omnipotens, per dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum; qui pro peccatis nostris nasci carne per virginem, & pati dignatus est mortem, ut martyres suos sua pati doceret exemplo, cui merito omnes angeli atque archangeli sine cessatione proclamant, dicentes: Sanctus, sanctus,

ſanctus, ſanctus Dominus Sabaoth, pleni ſunt coeli & terra gloria eius, benedictus in ſecula, Amen.

Collectio poſt Sanctus.

Vere ſanctus, vere benedictus dominus noſter, Ieſus Chriſtus, unigenitus tuus, qui martyrem ſuum Stephanum coeleſtis aulae collegio numeravit, qui corporis noſtri infirmitatem ſuſcepit, priusquam pium ſanguinem pro humana ſalute funderet, myſterium ſacrae ſolemnitatis inſtituit. Ipſe enim pridie, quam pateretur, accepit panem, gratias egit, & fregit &c. Hoc facite in mei recordationem.

Hic ſequitur conſecratio poſt myſterium.

Hoc ergo facimus, Domine, haec praecepta ſervamus, & ſacri corporis paſsionem ſolemnibus praedicamus. Quaeſumus, omnipotens Deus, ut, ſicut veritatem nunc ſacramenti coeleſtis exequimur, ipſi veritati dominici corporis & ſanguinis haereamus, per dominum noſtrum.

Ante orationem dominicam.

Glorioſi levitae exemplis, & beatisſimi martyris Stephani magiſteriis inſtituti, aeterno regi & patri Deo precem, fratres carisſimi, cum omni humilitate fundamus, ut, dato nobis fidei calore vel munere, ad martyrii nos deſiderium amoris ſui igne ſuccendat, eiusque imitatores efficiat, qui non ſolum pro ſui gloria, verum etiam pro exemplis eruditionis noſtrae paſsionem ſuſtinuit: & cui conferre dignatus eſt in paſsione virtutem, intercedendi pro nobis tribuat facultatem; & orationem, quam praecipere dignatus eſt, ſine cunctatione permittat: Pater noſter, qui es in coelis &c.

Post orationem dominicam.

Libera nos a malo, omnipotens Deus, & tribue nobis supplicibus tuis tam promtum pro Christo tuo ad patiendum animum, ut probemur, non nos martyrio, sed nobis defuisse martyrium, per eundem dominum nostrum.

Benedictio populi.

Deus, qui martyres ita vinxisti caritate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent, Amen.

Et beatum Stephanum in confessione ita succendisti fide, ut imbrem lapidum non timeret, Amen.

Exaudi precem familiae tuae, amatoris inter festa plaudentem, Amen.

Accedat ad te vox illi intercedens pro populo, quae pro inimicis orabat in ipso martyrio, Amen.

Vt se obtinente, & te remunerante perveniat illuc plebs ad quaesita per gratiam, ubi te, coelis apertis, ipse vidit in gloria, Amen.

Quod ipse praestare digneris, qui vivis, & omnia regis in secula seculorum, Amen.

Collectio post eucharistiam.

Deus perennis salus, beatitudo inaestimabilis, da, quaesumus, omnibus tuis, ut, qui sancta & beata sumserunt, & sancti iugiter ac beati esse mereantur, quod ipse praestare digneris.

Consummatio missae.

Gratias agimus tibi, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui & filii tui nativitate nos salvas, & martyris Stephani deprecatione sustentas, per &c.

Haec est antiqua missa in natali *Stephani*: in

in qua nihil reperitur, quod doctrinae Augustini de martyrum honoratione adversetur: nam sanctos martyres in gloria constitutos pro fidelibus in terra deprecari, is cum multis aliis docuit, ut infra testimoniis confirmabitur. Notatu autem dignum est, ne ullum quidem vestigium in illa deprehendi, Stephanum a fidelibus invocatum esse, quod antiquitatem huius missae non parum adstruit: *Augustinus* enim [a] *ad sacrificium*, ait, *martyres suo loco & ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Nec preces pro martyre Stephano in ea occurrunt: quod rursum *Augustini* adserto, ecclesiam pro martyribus non orare ad sacrificium corporis Christi, quam optime convenit.

§. V. Denique convivia in martyrum natalitiis habebantur. *Gregorius* nazianzenus huius ritus testis est, quando sub finem sermonis, quem in festo quorundam martyrum habuit; (b) sic ait: *Adsunt convivatores, convivae, ac probis cibis referta mensa.* Et *Chrysostomus* homilia in S. Julianum: *At etiam corporalis mensae vis fieri particeps? Heic, soluto conventu, licet iuxta martyrium sub ficu, vel vite diversanti etiam corpori recreationem indulgere.* Monet autem simul, ut temperanter epulentur: *Martyr enim e propinquo spectatus, & cum sit vicinus, ipsique mensae adstet, voluntatem in peccatum effundi non sinit, sed tan-*

[a] *De civit. Dei l. 22. c. 10.* (b) *in laud. mart. & adv. Arrianos orat. 48. t. 1. p. 726.*

tanquam paedagogus, aut pater optimus, oculis fidei conspectus risum comprimit, indecoras voluptates circumdat, lascivos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet evadere. Ante illos *Constantinus* in oratione [a] ad sanctorum coetum, eiusdem moris meminit, totius martyrum festivitatis solemnia breviter depingens sequentibus verbis: *Porro huiusmodi* (scil. martyris) *vitam excipit immortalis memoria, & gloria sempiterna, idq; iure optimo, siquidem martyris tum vita ipsa plena modestiae, ac religiosae divinorum mandatorum observantiae deprehenditur, tum mors plena fortitudinis ac generosae indolis. Proinde hymni, psalmique & laudes inspectori omnium Deo posthaec canuntur, & eiusmodi quoddam gratiarum actionis sacrificium in memoriam illorum peragitur, quod ab omni sanguine & violentia vacuum est. Sed nec odor thuris requiritur, nec accensus rogus, sed purum duntaxat lumen, quantum satis sit ad eos, qui Deum precantur, illustrandos. Sobria quoque convivia celebrantur a multis, tum ad mendicorum, tum ad eorum, qui patria & bonis exciderunt, inopiam sublevandam, quae si quis importuna esse existimet, is contra divinam & sacrosanctam disciplinam sapere videtur.* Apparet autem ex his verbis, talia convivia non ubique fuisse ab ecclesiis recepta: quod *Augustinus* quoque indicat [b] scribens, *Quicunque etiam epulas suas eo deferunt,* (nempe ad sepulcra martyrum) *quod quidem a christianis melioribus non fit*

[a] *Vide illam ap. Euseb. H. E. c. 12. p. 585.*
(b) *t. 5. de Civit. Dei l. 8. c. ult.*

sit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen, quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Basilius in oratione de BARLAAM martyre, in festo illius habita, (a) pronunciat: *Mortuus est fortis Barlaam, & applaudit illi panegyris: in sepulcro consumtus est, & ad convivium advocat.* Laetitiam in huiusmodi conviviis fidelium idem exaggerat his verbis: *Nunc vero morientibus sanctis exultamus: tristium namque post crucem Domini immutata est natura. Iam non amplius sanctorum obitus lamentationibus persequimur, sed tripudiis divinis circum ipsorum sepulcra veluti choreas ducimus.* De *Gregorio* thaumaturgo acta ipsius haec ferunt: *Cum animadvertisset, quod propter corporis voluptates simplex & imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret, quo maxime id praecipuum in eis interim adsequeretur, ut, vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur, permisit, ut in memoriam sanctorum se exhilararent, & oblectarent, atque in laetitiam effunderentur.* (b) Quomodo & quare tales funebres epulas in martyrum natalitiis celebrarint, ex paulo ante citatis *Constantini* & *Augustini* verbis liquet. Vtinam illa tam sobrie ac pie, & in egenorum saturationem, ut ab initio factum, semper habita fuissent! At vero contrarium testantur querelae Patrum; & quidem de

[a] *t. 1. p. 426.*
[b] *Vide etiam Greg. nyss. orat. in laud. eius.*

de illis abusibus qui in africanas ecclesias irrepserant; *Augustinus* [a] queritur hunc in modum: *Comessationes, & ebrietates ita concessae, & licitae putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum, non solum per dies solennes, sed etiam quotidie celebrentur: quod ipsum quis non lugendum videat, qui haec non carnis oculis inspicit? Sed feramus haec in luxu & labe domestica & eorum conviviorum, quae privatis parietibus continentur. Saltem de sanctorum sepulcris, saltem de locis sacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Tanta pestilentia est huius mali, ut sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi concilii auctoritate non possit.* Inter opera *Cypriani* tractatus occurrit, de duplici martyrio agens, quem quidem recentioris cuiusdem scriptoris esse, *Pamelius* in notis ad eundem probare conatur. In illo autem similis profertur (b) querela: *Porro temulentia adeo communis est Africae nostrae, ut propemodum non habeant pro crimine. An non videmus, ad martyrum memorias christianum a christiano cogi ad ebrietatem? an hoc levius crimen esse ducimus, quam hircum immolare Baccho? Mihi videtur multo gravius, si rem recta ratione velimus expendere.* Non vero solum per Africam, sed & per Italiam malum hoc se dissipasse, exinde colligitur, quod propter eiusmodi abusus ipsa super tumulis martyrum convivia (c) tandem tolleren-

[a] *t. 2. epist. ad Aurelium 64. f. 65. b. Conf. t. 6. contra Faustum lib. 20. c. 21.*

[b] *p. 416.* (c) *Vide August. loco iam citato.*

rentur, quippe a quibus *Ambrosius* mediolanensis praesul serio christianos dehortatus est, *Augustino* in Confessionibus (a) memorante, dum ipsius matris suae exemplum adducit, scribens: *Itaque cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc episcopum Ambrosium vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirareris, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suae, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.* Adduntur rationes, quare prohibitum fuerit ab Ambrosio: *Itaque ubi comperit, a praeclaro praedicatore atque antistitis pietate praeceptum esse, ista non fieri, nec ab eis, qui sobrie facerent,* NB. *ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissime, & pro canistro pleno terrenis frugibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum adferre didicerat, & ut quod posset, daret egentibus, & si communicatio dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati & coronati sunt martyres.* Concilium autem *laodicenum* iam ante Ambrosii tempora prohibuerat, ne in basilicis seu ecclesiis agapen facerent, & intus manducarent, vel accubitus sternerent: nam, quando sepulcra martyrum in ecclesiis erant, super illis in ipsis ecclesiis mensas parare consueverant: & *carthaginense* IV, cui & ipse *Augustinus* interfuit, a. c. 397. can. 30. statuit:

[a] *Lib. 6, cap. 2. f. 2, 6. a.*

ſtatuit : *Nulli episcopi, vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes, hospitiorum necessitate illic reficiantur : populus etiam ab huiusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeatur.* Nihilominus, *Paulinus* Natali IX s. Felicis, consuetudini huic etiam in templo veniam habendam censet, ita canens :

Laetitia somnos, tenebras funalibus arcent,
Verum utinam sanis agerent haec gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
Quamlibet haec ieiuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoque vocibus hymnos
Personat, & Domino cantatam sobria laudem
Immolat : ignoscenda tamen, puto, talia parvis
Gaudia, quae ducunt epulis, quia mentibus
Irrepit rudibus, nec tantae error conscia culpae
Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

Permisit quoque sec. VI. *Gregorius* M. Anglis recens ad fidem conversis, ut in tabernaculis iuxta ecclesiam positis eiusmodi convivia celebrarent, sic ad Melitum rescribens : (*) *Qui boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum martyrum, quorum illae reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent.* Sic cesserunt veteres christiani gentilibus, eorumq; ritus, ad alium

[*] *Lib. 9. epist. 71.*

um finem directos, receperunt, ut illos lucrifacerent: & hinc tanta rituum multitudo in ecclesia est profecta. Quod ipsum *Theodoretus* (a) de martyrum festis asserit, quando ita scribit: *At illos, (deos scilicet gentium) Deus cassos gloria, vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro pandiis enim & diasiis, h.e. Iovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisq; sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur, proque illa veteri pompa, pro turpi obscoenitate atque impudentia, fiunt modestae, castae, ac temperantia plenae festivitates, non illae quidem mero delibutae, non comessationibus leves, non cachinnis solutae, sed vivis canticis personantes, sacrisq; sermonibus audiendis intentae.* Ceterum de anniversariis festis gentilium, epulisque & iudaeorum, & gentilium, videantur, si placet, *Quenstedius* (b) *Kirchmannus*, [c] & *Calvörius*, (d) Ego ex *Cyrillo* alexandrino (e) haec tantum addam: *Dicunt, Athenis maxime eloquentibus & facundis*, anniversarios agones institutos, qui pro Graecis periclitati, obstantes barbarorum insolentiae, numero minores fuere bellatorum innumerabili turba: & cum vincere non possent, pro victoria contenderunt, ne minus utiliter morerentur, memorias & encomia apud illos assecuti.

R Igitur

(a) *de curandis affectionibus Graecorum l.8. in fin.* [b] *de Sepult. vet. c.12. p.189.* (c) *de Fun. Rom. l.4.c.6.* [d] *Calvör. Rituali eccles. l.3. sect.4. c.50.* (e) *Contra Iulian. lib.10. resp. ad obj.3.*

Igitur tunc & facundissimis Atheniensibus, cum essent idololatrae, honore & dignitate prosequi eos, qui gloriosam mortem non fugerant, & ad ipsos corporum loculos ire, visum est rectum: nam apud illos sermones bonorum operum fiebant: Quare Iulianus contra christianorum iustitiam non recte clamavit, quod magni faciunt reverentiam & honorem erga sanctos martyres, qui omnes effuso sanguine, & praesenti vita, pro eo, quod in fide secum, *commutata melius habent*.

§. VI. Finem denique & scopum horum festorum videamus: quem *Augustinus* in scriptis suis variis indicat modis, partim in honorem martyrum ea fieri asserens, & ut vera religio innotesceret, falsis fictisq; explosis, partim ut Deo vero de martyrum victoriis gratias agerent, & se se invicem ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem in auxilium invocato, ex eorum memoriae renovatione adhortarentur. (a) Alibi dicit: [b] *Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.* Item: (c) *Passionis sanctorum martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes, quod patiebantur, & intelligentes, quid intuebantur.* Non itaque adorabant martyres in illorum festis, sed com-

(a) *t.5. de civit. Dei l 8. c. 27.*
[b] *t.6. contra Faustum l. 20. c. 21. t. 8. in Ps. 69. f. 163.*
(c) *tom. 4. in Ps. 63. f. 141.*

communem Dominum tantum, martyrum autem certaminum & victoriae commemorationem peragebant, teste *Gregorio* (a) nysseno. Quamvis non negandum, illos in panegyricis tum habitis compellatos esse, tanquam praesentes: ita enim iam dictus nyssenus THEODORUM martyrem affatur: *Tu vero huc iam ades ad nos, ubicunque tandem fueris, ut diei festo praesis: cognosce, ac vise ferias, quae celebrantur, ut gratiarum adversus Deum conduplices actionem. Multorum beneficiorum indigemus; intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum, pete pacem, ut hi publici conventus non desinant: superasti seculum, at nosti affectus & usus, necessitatesque humanae conditionis.* De vigiliis in martyrum festis vide sis *Basilium* (b) & *Hieronymum* (c)

§. VII. Sub finem, hoc unicum adhuc observandum, nundinas in martyrum festis habitas aliquando fuisse, quia magnus ad illa populi fiebat confluxus ex aliis etiam regionibus; contra quas autem, tanquam scopo huiusmodi festorum adversas, ita *Basilius*: (d) *Eas vero nundinas, quae in martyrum memoriis habentur, nobis non competere, doctrina pietatis ostendit. Non enim decet christianos ob ullam causam in martyrum memoriis, aut locis vicinis comparere, quam ut precentur, & per recordationem sanctorum, quam illi scilicet pro pietate ad mortem usque constantes fuerint, ad huius-*

R 2 *modi*

(a) *orat. in laud. Theod. sub fin. p. 317.*
(b) *in Psalm. 114.* (c) *t. 1. p. 104. in c. 25. Matth.*
(d) *Ascet. cap. 46. f. 2. p. 284.*

modi zeli imitationem facilentur; memores horrendissimae irae Domini, qui, licet & semper & ubique mitis & humilis corde existat, sicut scriptum est, in solos tamen circa templum vendentes & ementes flagellum vibravit, propterea quod nundinatio illa domum precationis mutet in speluncam latronum. Quod autem ceteri consuetudinem, quae apud sanctos obtinuit, iam corruperunt, & pro eo, quod alius pro alio precari, & cum multis adorare & implorare Deum, & propter peccata quidem placare, propter beneficia vero illi gratias agere: deinde & per sermonem adhortationis, quod etiamnum nostra memoria fieri novimus, mutua aedificare deberent, nundinas & panegyrim, publicumque emporium ex martyrum tempore & loco faciunt, non ideo & nobis competit, ut illos sequamur, & ista absurda nostro commercio confirmemus; sed magis ut imitemur eas synodos, quae in evangeliis circa Dominum nostrum factae scribuntur; & ut impleamus, quae ab apostolo consimili formae congrua praecepta sunt. Scribit autem ad hunc modum: Quando *convenitis in unum, quisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, revelationem habet, linguam habet, interpretationem habet*, omnia ad aedificationem fiant.

CAP. II.

De annuis defunctorum memoriis.

§. I. Martyrum natalitia aliorum pie defunctorum *memoriae annuae* non diu post exceperunt: nam inde ab aetate Tertulliani hic mos in ecclesia obtinuit, utpote qui variis in locis illius facit mentionem, & quidem non tantum

tantum generatim pronuncians; (a) *Oblationes pro defunctis annua die facimus*; sed & speciatim de uxore hoc proferens testimonium: [b] *Enim vero & pro anima eius orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius*, item de marito inquiens: *Pro cuius* [uxoris defunctae] *spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis*. *Gregorius* nazianzenus defuncto fratri pollicebatur, (c) se annuam illius memoriam cum aliis velle celebrare, *Alia*, inquiens, *persolvimus, alia vero dabimus, anniversarios honores, & commemorationes offerentes, ii quidem certe, qui superstites erunt*. *In constitutionibus apostolicis* (d) etiam praescriptum legitur, ut celebretur *anniversarius ab obitu dies pro memoria defuncti*. Quam consuetudinem sec. VIII. adhuc in ecclesia durasse, *Albinus Flaccus Alcuinus* (e) memoriae prodidit.

§. II. Existentia annuarum in ecclesia memoriarum perspecta, ordinem videamus & modum, quo illae habitae fuerint. Sciendum itaque, quando alicuius episcopi, quamvis ille martyr non esset, memoria inde a sec. IV. fuit celebrata, sermonem dictam fuisse, in quo virtutes atque laudes defuncti denuo refricatae,

 alliis

(*a*) *De corona militis* 3. (*b*) *De Monogam. cap.* 10. (*c*) *orat. fun. in laud. Caesarii.* (*d*) *lib.* 8. *cap.* 42.

(*e*) *de divinis officiis cap. de exequ. mort. sub fin.*

aliisque ad exemplum propositae fuerunt ; ut testantur panegyrici, in annuis memoriis Athanasii, [a] Basilii, (b) Philogonii [c] aliorumque episcoporum habiti. Quae patrum consuetudo ansam dedit posteris, confessorum quoque dies in festa mutandi : quanquam hic honor solis martyribus per IV priora secula exhibitus fuerat. Accesserunt etiam sec. VI. peculiares missae preces, quarum plurimarum auctor Gregorius M. extitit, veluti liber *Sacramentorum*, qui illi tanquam auctori a quibusdam tribuitur, aut ad ista saltem tempora referri potest, demonstrat. Ad maiorem rei illustrationem audiamus si placet, preces, quae in natali Silvestri pontificis romani in usu fuere, quamvis incertum sit, an illae subsequentibus seculis non fuerint immutatae, aut interpolatae. Ita die 31. mensis Decembris, ubi memoria illius annua incidit, hae habentur (d) preces:

Da quaesumus, omnipotens Deus, ut beati Silvestri confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas & devotionem nobis augeat, & salutem, per dominum nostrum Iesum Christum.

Super oblata.

Sancti tui nos, Domine, ubique laetificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, per dominum &c.

Alia.

(a) *ap. Gregor. naz.* [b] *ap. Gregor. nyss.*
(c) *ap. Chrysost. t. 1.*
(d) *Pamelius liturg. latin. t. 2. Sacram. p. 193.*

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec nos al- is mentis & corporis patiaris subesse periculis, quos B. Silvestri pontificiis tui munit gloriosa confessio, per dominum, &c.

Post Communionem.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut de percep- ptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus, per dominum, &c.

Alia.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut hodiernae munus solennitatis acceptum sit, intercedente B. Silvestro con- fessore tuo, atque pontifice, & corporibus nostris salu- tem praestet & mentibus.

Notari hoc loco meretur, quod in quibusdam codicibus libri Sacramentorum in annuis Leo- nis I. & Gregorii M. diebus talis habeatur oratio; (*) *Annue nobis, Domine, ut animae famuli tui Leonis, [Gregorii,] haec prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta;* quod illis Pontificiis est oppositum, qui persua- sum sibi habent, pro sanctis episcopis non orasse veterem ecclesiam, sed illos tantum comme- morasse. Verum, peculiaris huiusmodi mis- sarum preces, ad priora quinque secula non pertinent. Quando enim illis temporibus memoria alicuius pii episcopi annua celebra- tur, panegyricus, ut dictum, fuit habitus; eu- charistiam vero, ut aliis in conventibus sacris

R 4 moris

[*] *Pamelius liturg. latin. 2. l. Sacrament. pag. 219. & 314.*

moris erat, celebratam, & oblationes ad sacram mensam pro defuncto factas fuisse, non nisi ex more istius temporis, quo cum agapis eucharistiae perceptio juncta erat, colligere licuit. Plura de oblationibus pro defunctis, ad sacram mensam factis, cap. V. occurrunt.

§. III. De reliquis in ecclesiae communione defunctis sciendum, quod illorum annuis diebus oblationes ab uxore, aut marito, aut aliis necessariis fautoribusve superstitibus sint redditae, teste *Tertulliano* verbis supra citatis. Ambiguum autem est *oblationis* vocabulum, modo denotans munera, quae ad altare ferebantur, atque in usum sacrae eucharistiae cedebant, modo eleemosynas extra eucharistiae usum datas. In sensu posteriori concilium *carthag.* IV. c. 95. id accepit, quippe cuius verba sunt haec: *Qui oblationes defunctorum, aut negant ecclesiis, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Conferatur concil. *vasensis* I. canon. Hoc itaque sensu & nos oblationes, quarum Tertullianus meminit, sumimus, eleemosynas nempe intelligentes, quae tam clericis, quam reliquis pauperibus tum fuerunt erogatae, sive in funebri epulo, sive extra illud. Interim aliorum sententiam, qui de oblationibus ad altare factis, & ad usum eucharistiae collocatis, eas explicant, recipere sumus promtissimi, simul ac illam dignis & idoneis testimoniis, aut exemplis probatam cognoverimus. Pro nostra sententia

tia adducimus auctorem trium istorum in Iobum librorum, qui *Origeni*, sed falso tribuuntur, utpote qui de anniversariorum celebratione habet (a) sequentia: *Convocantur in anniversariis diebus memoriae parentum defunctorum, sive amicorum, sive quorumcunque; primum mortuis, quod in fide obierint, gratulantur, & quisque sibi pium & tranquillum exitum precatur, postea conferuntur eleemosynae, & oblationes, quae in pauperes, qui simul adsunt, in pupillos, & viduas distribuuntur.* Item: *Celebramus memoriam defunctorum, religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles una cum clero invitantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus.* Ex quibus patet, Tertullianum *per oblationes, annuis diebus factas*, nihil aliud, quam eleemosynas intelligere, quae tam clericis, quam reliquis ecclesiae istius loci pauperibus erogabantur, postquam defuncto de beato exitu erant gratulati, & orationes ad Deum fuderant, quo & singulis eorum, qui praesentes erant, beatum obitum concederet. Et hoc quoque sensu postea in sic dictis *Constitutionibus apostolicis* (b) praescriptum fuit, ut annuis diebus *ex defuncti bonis darentur eleemosynae*, epulum nempe funebre parando, quo clerici & pauperes refocillarentur, immo etiam ut cantarentur psalmi, & lectiones precesque fierent. Preces autem huiusmodi non tantum a praesentibus pro suo ipsorum beato exitu, sed & pro defuncti, & reliquorum, qui in

R 5 fide

(a) *Lib. 3. in Iob.* (b) *l. 8. c. 42.*

fide obdormiverant, animabus fieri volebant; quod colligimus non tantum ex more, pro defunctis orandi tum, cum modo dictae constitutiones innotescerent sec. nempe V. ubivis in ecclesia recepto, sed etiam exinde, quod in iisdem formula orationis pro defuncto habeatur; immo admoneantur, (a) ad huiusmodi convivium invitati, ut sobrie, & cum timore Dei epulentur, quo possint preces pro defunctis ad Deum fundere. Tales iam aevo *Tertulliani* uxor pro marito faciebat, postulans ei *refrigerium, & in prima resurrectione consortium*, ideoque annuis etiam diebus illas sine dubio cum aliis fecit.

§. III. Finis autem anniversariorum huiusmodi erat, ut memoria defuncti renovaretur; cui & alius accessit, videlicet ut animae eius aliquod iuvamen, aut refrigerium afferrent. Prius constat ex citatis auctoris trium in Iohum librorum verbis, nec non ex illis, quae a *Gregorio* Nazianzeno sunt prolata: quibus accedit testimonium *Constitutionum apostolicarum*, [b] quod nempe eleemosynae seu oblationes fieri debeant *ut in memoriam ejus*, id est, *in recordationem illius* defuncti, cuius sit anniversarius dies. Posterius ex *Chrysostomo* & *Augustino* constat: ille [c] *Non frustra*, ait, *eleemosynae pro defunctis fiunt*, item: [d] *Iuvantur mortui non lacrymis, sed precibus & eleemosynis*: hic [e] *oblationes pro spiritibus dormientium vere aliquid adjuvare scribit*. Immo hi duo

(a) c. 44. [b] loc. cit. [c] homil. 21. in Acta. (d) hom. 41. in ep. ad Cor. (e) ep. 64. ad Aurelium.

duo patres tam effusae fuerunt benignitatis, ut & illis, qui in peccatis sunt mortui, tolerabiliorem saltem damnationem ex eleemosynis promiserint. Ita enim *Chrysostomus* [a] loquitur: *Dic quaeso, quae spes esse poterit illis, qui cum peccatis suis eo hinc discedunt, ubi peccata exuere non licet? Quamdiu enim vivebant, plurimum forte erat exspectationis, & spei, immutandos illos, melioresque fore. Iuvemus illos pro viribus, procuremus ipsis aliquid auxilii, modici quidem, (μικρὸν μὲν) attamen iuvemus illos. Facit enim haec res ipsis τινὰ παραμυθίαν, καὶ παραψυχήν aliquam consolationem & aliquod refrigerium: quomodo vero? ut συγγνώμη indulgentia ipsis impetretur.* Et alibi: [b] *Si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynas demus, etsi ille indignus sit: nobis tamen Deus placatior erit.* Et alio in loco: (c) *Si, qui decessit, peccator fuit, eum illacrymandum esse, sed etiam faciendum eleemosynas, & oblationes, quae ei possunt aliquid solatii afferre.* Eandem *Augustino* sedisse sententiam, declarant haec eius verba: (d) *Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque vivorum sunt consolationes. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio,* aut

[a] *Homil. 3. in ep. ad Philipp. sub fin.*
[b] *homil. 21 in Acta sub fin.*
(c) *homil. 62. in Ioann. Conf. homil. 69. ad populum.*
[d] *Quaest. 2. ad Dulcit. & in Enchirid. cap. 110.*

aut certe ut tolerabilior fiat ipsorum damnatio. Verum de his, cum altioris sint indaginis, alii iudicent. Aliter certe pronuntiatur in sic dictis *Constitutionibus apostolicis*, (a) ubi haec habentur: *Porro hoc de piis dicimus, nam de impiis licet omnia mundi bona pauperibus dederis, nihil iuuabis impium, Cui enim superstiti inimicus erat Deus, certum est, quod & defuncto sit infensus: neque enim iniustitia est apud Deum, quia iustus Dominus, & iustitias dilexit.*

(a) *L.8.c.43.*

CAP. III.

De reliquis defunctorum memoriis, nec non de tempore luctus.

§. I.

PRaeter annuas, de quibus diximus, memorias, plures recepit ecclesia sec. IV. & seqq. *Ambrosius*, [a] qui obiit A. D. 397, testatur, alios *tertium* diem, alios *trigesimum*, alios *septimum*, & alios *quadragesimum* post obitum diem suo aevo observasse. Ipsi autem prae aliis placebat dies septimus, utpote quo cum aliis fidelibus ad sepulcrum fratris sui SATYRI revertebatur, quoniam *dies septimus symbolum futurae*, ut ait, *quietis* [b] *est*: quibus fere verbis & *Augustinus* (c) utitur, *Septenarius*, inquiens, *numerus propter sabbathi sacramentum, praecipue quietis indicium est; unde merito mortuis tanquam requiescentibus*

[a] *De obitu Theodos. M. sub init.* (b) *de fide resurr. sub init.* [c] *t. 4. quaest. super Genesin penult.*

tibus exhibetur. Aliam rationem addunt *Alcuinus* (a) & *Amalarius* (b) *Fortunatus* qui vixit sec. IX; quod nempe in libro Geneseos legatur, mortuo Iacobo, & a Iosepho in terram Canaan translato, *septem dies luctui insumtos fuisse*: & Ecclesiast. 22, 13. *Luctus mortui septem dies*. Ad quae ecclesiastici verba etiam Augustinus loco citato provocat. Iam memoratus autem *Alcuinus* (c) seculi VIII. scriptor, praeter ea de suo quoque ingenio sequentia adiecit, eaque perabsurda: *Dies septimus officiis deputatur eisdem*, [*quibus scil. tertius dies fuit deputatus*] *ut anima suo corpori reconlietur. Septenarius namque numerus ex ternario constat & quaternario, atque ternarius animae tribuitur, quaternarius corpori deputatur, propter quatuor notissimos, quibus constat, humores. Est ergo quasi quaedam rixa corporis & animae, quae carne illiciente, eamque suis illecebris attrahente, peccavit. Vt ergo anima suo corpori pacificetur, holocaustum septima die peragitur.* Porro rationem, cur alii quadragesimum diem observent, hanc profert *Ambrosius*, (d) quod *sepultura Iacobi ad quadraginta usque dies duraris*: tricesimum autem exinde auctoritatem habere, *quod planxerint filii Israël Mosen dies triginta*. Superest, ut, cui fundamento tertii diei pro defunctis observatio sit superstructa, indicetur: quod sequenti paragrapho faciemus.

§. II.

[a] *de div. offic. cap. penult.* [b] *de ecclesiast. offic. lib. 3. c. 44. & lib. 4. c. 42.*
(c) *cap. ult.* [d] *de obitu Theodosii.*

§. II. Alios dies praescribunt *Constitutiones*, quae *apostolicae* (a) vulgo audiunt, *tertium* videlicet, *nonum*, *quadragesimum*, & denique *anniversarium*, & rationes quidem singulorum dierum simul indicant: tertium enim volunt observari propter eum, qui tertio die a mortuis resuscitatus est: nonum, ad recordationem eorum, qui sunt superstites, & eorum, qui defuncti sunt: quadragesimum, secundum veterem typum, quod Mosen sic populus fleverit: anniversarium denique, ad memoriam ipsius defuncti recolendam. Graecorum itaque haec consuetudo fuit, quod Damascenus, seu alius auctor oratione περὶ τῶν κεκοιμημένων testatur, *Hoc*, inquiens, *misericors ille vult, gratumque habet, ut nos omnes, tum in vita tum post confectum vitae curriculum mutuo alii ab aliis invemur. Neque enim alioqui ansam nobis porrexisset, ut eorum, qui e vita migrassent, in incruento sacrificio meminissemus, ut tertio, & nono, & quadragesimo die, ac denique anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus, (quae quidem citra ullam controversiam catholica & apostolica ecclesia, divinitusque collectus ipsius populus constanter ac sine ulla ambiguitate retinet) nisi hoc in ipsius oculis rectum esset.* In Turco-Graecia *Crusii* ex libro quodam Dioptrae legitur, quod tertiam diem Graeci observent, *quia Christus tertia die resurrexit*; nonum, *quod ille post octo dies rursus apparuit*; quadragesimum, *quod quadragesimo die in coelum ascendit*. Circa nonum vero diem notetur, illius observatio-

(a) *l. 8, c. 42.*

nem fuisse ignotam Augustino, Ambrosio & plerisque latinorum: mediolanensis [a] enim episcopus non meminit illius, ubi reliquos recenset; hipponensis autem praesul [b] illam non tolerandam esse sentit inter Christi nomen profitentes, sic enim ait: *Nescio, utrum inveniatur, alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dierum, quod apud latinos* novemdiale *appellant: unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui christianorum istum in mortuis suis numerum servent, qui magis est in gentilium consuetudine.* Gentiles enim ludos die nono sepulturae & epulas habebant, quae solemnitates *novendialia* [c] ideo dicebantur. In graecam itaque ecclesiam, non latinam, introducta fuit noni diei celebratio: quod praeter *Constitutiones apostolicas* iam citatas probari potest ex novella constitutione *Iustiniani* 133, utpote in qua tertii & noni diei fit mentio. Deinde notandum, citato Constitutionum apostolicarum capite quadragesimi diei observationem ex eo deduci, quod *Mosen populus tot dies luxerit.* Ast vero Mosen populus triginta dies tantum luxit, uti Deut. 34, 8. expresse legitur: quare adducto capite *τριακοστὰ* legendum, ut in margine habetur: quam lectionem sequuntur orientales, & collectio arabica. Nihilominus *Cotelerius* (d) societatis Sorbon. theologus, *τεσσαρακοστὰ* vult praeferre

(a) *de Obit. Theodosii.* (b) *t. 4. quaest. in Gen. pen.*
(c) *Casal. de urb. ac rom. olim imp. Splend. c. 21. p. 345*
(c) *in not. ad hunc can. edit. antwerp. Patrum apostol. p. 419.*

re, quia Graeci antiqui diem quadragesimum in mortuis celebrarint, eumque & recentiores celebrent, tricesimum autem non agnoverint. Ad locum Deuteronomii respondet, quosdam codices graecos ibi habuisse τεσσαράκοντα pro τριάκοντα: quod ex his *Chrysostomi* (*) vult probare verbis: *fleverunt Iacob 40. diebus, fleverunt & Mosen totidem aliis iudaei.* Latina autem ecclesia *tertiam, septimam* & *tricesimam* diem pro defunctis tandem recepit, non ita, ut unus ex iis pro lubitu eligeretur, sed ut omnes istos tres dies successive observarent, praeter annuas memorias, veluti ex citatis *Alcuini* & *Amalarii* locis liquet; ubi posterior scriptor ad quoddam sacramentarium provocat, in quo habeatur scriptum, quod *officia mortuorum agenda sint circa tertiam diem, & septimam, & tricesimam.* Addit autem: *Quod non ita intellige, quasi ille, qui tertia die agere vult officia mortuorum, debeat praetermittere sine supplicationibus priores duas dies: aut qui in septima die, sex superioribus debeat se tenere in ocio: aut qui in tricesima, viginti & novem vacare ocio: sed quod tertia die aliis usque dicuntur celebrari officia mortuorum, nil aliud vult, nisi ut celebrius illa agantur, quam in ceteris diebus, sive ut illa consummentur.*

§. III. Iam videndum, quomodo hos exequiarum dies celebrarint veteres. Deprehendimus itaque, concionem, eamque consolatoriam, tum rursus habitam fuisse: nam cum septimo

(*) *Panegyrica Bernices & Prosdoces.*

mo die ad ſepulcrum SATYRI reverterentur Ambroſius cum ſuo populo, egregiam ille orationem dixit DE FIDE RESURRECTIONIS, cuius ſcopus erat, ut ſeſe invicem contra mortem ſolarentur. Sed huiusmodi ſermones ad eorum defunctorum memoriam, qui dignitatis ſplendore conſpicui fuerant, ſunt reſtringendi. Oblationes contra & preces his diebus pro quolibet defuncto, ut in annuis memoriis, ſunt factae & quidem de graecae eccleſiae conſuetudine teſtimonium edunt *Conſtitutiones apoſtolicae*, quando volunt, ut tertia & reliqui dies mortuorum peragantur *pſalmis*, *lectionibus* & *precibus*, & ſub finem addunt: *Et detur ex bonis defuncti pauperibus, in eius commemorationem.* De oblationibus vero ad altare ſeu ad ſacrae eucharistiae uſum afferendis nulla fit mentio. Quare neſcio, quid ſentiendum ſit, nempe, an ſacra euchariſtia his *exequiarum* diebus in graeca eccleſia adminiſtrata fuerit, nec ne. Ex medio aevo *Damaſcenus*, aut quisquis auctor ille ſit, cuius verba ante citavimus, non niſi generaliter de hiſce graecorũ diebus dixit, eos tum ſacra in defuncti memoriam obiiſſe. Quomodo autem latina eccleſia illas celebrarit, ex *Alcuino*, & *Amalario*, quorum ille ſec. VIII. hic IX. vixit, demum cognoſcere potui. Illius [a] verba ſunt haec: *Simili modo celebramus officia pro ipſis, quomodo celebrantur in illis diebus, quando Chriſtus deſcendit*

(a) *De div. offic. cap. penult. Conf. Amalar. de eccleſ. offic. l. 3. c. 44. & l. 4. c. 42.*

ad inferna, in quibus & creditur mortuus. Offerimus sacrificium Deo tertia die, quatenus ab his peccatis, quod neglexit cultum Dei in cogitatione, in vita, & in intellectu humiliter confitendo purgetur. In expiatione vero diei tertii commendati defuncti possumus ad memoriam reducere tertiam diem resurrectionis Domini, in qua devotius est generaliter supplicandum. Sed & hoc notandum, quia quod missae mortuorum absque gloria & alleluia & pacis osculo celebrantur, quod est indicium laetitiae, ad imitationem agitur officiorum, quae aguntur in morte Domini. Potest hoc addisci in homilia Origenis quinta libri Levitici, ubi dicit: Sacrificium pro peccato non fit in oleo: dicit enim, non superponit ei oleum, cum iam pro peccato est. Quod ergo pro peccato est, ei nec oleum laetitiae, nec thus suavitatis imponuntur, ac ideo absque gloria & alleluia celebratur, quia sine oleo & thure. Romani in vespertinis seu vigiliis, & matutinis defunctorum, tres tantummodo psalmos recitant, scilicet ob sepulturam triduanam Domini: at hi, qui per novennarium numerum, sicuti est in Calendarum seu anniversariorum diebus, recolunt, figurant illa officia nocturnalia, quae in passione Domini rite celebrantur. Vnde certi reddimur, preces & missam pro defuncto illis, de quibus iam sermo diebus est, celebratas esse. Immo idem ille refert, aliquibus in locis quotidie missas celebratas esse: quare sine dubio annuis quoque diebus in ecclesiae communione vita functis tales habitae fuerunt. Praeterea suadet, ut pro valde carissimis ieiunemus, seu eleemosynas

facia-

faciamus, atque interius pro eorum reatibus fleamus, ut, quod illi in vita debuerint facere, & non fecerunt, saltem nos pro illis cum DEI auxilio adimpleamus. Quamvis autem de omnibus illis, quos *Alcuinus* iam recensuit, ritibus non simus certi, an ecclesia antiquior, quae Augustini saltem aevo floruit, illos his diebus in usu habuerit; tamen extra dubium est positum, supplicationes pro spiritibus defunctorum & eleemosynas ubique tum factas, sive in convivio sive extra illud, & sepulcra balsamis perfusa, floribusque consperfa fuisse. Ad supplicationes pro spiritibus defunctorum quod attinet, *Chrysostomus* de iis testatur, quando interrogat: (a) *Cur post mortem iterum pauperes convocas, cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur.* Et in constitutionibus apostolis: [b] *Tertia dies mortuorum peragatur psalmis, lectionibus, & precibus.* De floribus in sepulcris sparsis *Hieronymus* testatur, quando scribit: (c) *Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosq; flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur.* *Ambrosius* de obitu Valentiniani: *Nec ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus.* At floribus non contenti varia odoramenta, & preciosos liquores adiungebant, quales erant ex

S 2 opo-

(a) *Homil. 23. in Matth.* [b] *loco citato.*
(c) *t. 1. ad Pammach. de obitu Paulinae.*

opobalſamo, aliiſque ſimilibus unguentis: unde *Prudentius* (a) ita canit:

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumq; & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Item (b):

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſamo defundunt, fletibus ora rigant.

De eleemoſynis ipſis his, ut probabile eſt, diebus erogatis, ſeu agapis habitis, *Hieronymum* habemus teſtem, quando (c) ſcribit: *Pammachius noſter ſanctam favillam, oſſaque veneranda* (ſcil. uxoris) *eleemoſynae balſamis rigat.* Inter eleemoſynas haſce etiam *pecuniam* fuiſſe, idem indicat, dum Pammachium monet, ut non ſolum pecuniam, ſed ſe ipſe Chriſto offerat. Et *Auguſtinus*: (d) *Oblationes pro ſpiritibus dormientium ne ſint ſumtuoſae, atq; omnibus petentibus ſine typho, & cum alacritate praebeantur.* Quas etiam idem reſpicere videtur, (e) inquiens ad avarum: *Tu demis, & ſubtrahis gutturi tuo: ille forte, cum mortuus fueris, calicem ſuper te non ponet; aut ſi forte ponet calicem, ipſe inebriatur, ad te nulla ſtilla deſcendet. Idem,* (f) *Nolite, ait, conſectari* turbas

(a) *Cathemer. hym. 10. circa exequ. def. ſub fin.*
(b) *Periſteph. hym. 11. de paſſ. Hippolyti. v. 190.*
(c) *ad Pammach. de obitu Paulinae.*
[d] *Epiſt. 64. ad Aurel. carthag.*
(e) *De luxuria & avarit. c. 6.* [f] *de moribus eccleſ. cathol. cap. 34.*

turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi, multos esse sepulcrerum & picturarum adoratores; novi multos, qui cum luxuriosissime super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliunt. Epulas autem cadaveribus exhibere, crassissimus error gentilium erat, ut in sequentibus dicetur. Porro de conviviis a ditionibus institutis in iam dictis *Constitutionibus* [*] hoc testimonium habetur. *In mortuorum vero memoriis invitati cum moderatione, & Dei metu epulamini, ut possitis etiam deprecari pro iis, qui e vita migrarunt. Qui presbyteri & Diaconi Christi estis, semper debetis esse sobrii tam vobis, quam aliis, ut eos, qui flagitiose vivunt, valeatis admonere. Ait quippe scriptura: Potentes iracundi sunt, vinum autem non bibant, ne bibentes obliviscantur sapientiae, & recta iudicare non possint. Et certe presbyteri, & diaconi post Deum omnipotentem, illiusque dilectum filium, sunt potentes, ac dynastae ecclesiae. Hoc autem dicimus, non, ut vinum nequaquam bibant: eo enim modo contumelio afficerent id, quod a Deo factum est ad laetitiam, sed ut non inebrientur: siquidem non dixit scriptura, vinum non bibendum: sed quid ait? Ne bibe vinum ad ebrietatem: & iterum: Spinae nascuntur in manu temulenti. Id vero non de iis tantum, qui sunt in clero, dicimus, verum etiam de omni laico christiano, super quem invocatum est nomen Domini nostri Iesu Christi: nam ipsis aeque dictum est: cui vae?*

[*] *Lib. 8. cap. 44.*

vae ? cui tumultus ? cui taedia & garrulitas? cujus oculi lividi ? cui contusiones frustra ? Nonne haec eorum sunt, qui in vino immorantur, quique explorant, ubi fiant compotationes. Exemplum eiusmodi funeralis agapes commemorat *Paulinus*, (a) Alethium praedicans, quod in funere uxoris suae RUFFINAE convocaverit egenos Romae in ecclesiam S. Petri, eosque cibo & potu recrearit nudaque membra vestierit.

§. IV. Quod reliquum est, lectori non ingratum fore arbitror, si de gentilium parentalibus nonnulla subiungantur, paucis etiam de iudaeorum epulis feralibus insertis, ut appareat, in quantum illorum mores cum christianis *conveniant*, & disconveniant. Illi enim aut ex iudaismo, aut gentilismo conversi erant, aut quare a patribus traditos mores difficulter admodum relinquere poterant. Sic apud *Romanos novemdialia* in usu erant, quae erant privatae alicuius familiae sacra, quibus solebant defunctis parentare, ita dicta, non tam quod per novem totos dies celebrarentur, quam quod nono post mortem die, completis ad tumulum solemnibus, funeri finis (b) fieret. *Denicales* etiam feriae apud gentiles obtinebant, quibus familia funere polluta certis quibusdam cerimoniis [c] purgabatur. Aliis diebus idem factitatum, apud infra citatum auctorem (d) legi

[a] *Epist. 86. ad Alethium.*
(b) *Porphyrio ad Horat. Epod. 17. Apul. l. 9. Metam.*
(c) *apud Festum* (d) *Kirchm. de fun. roman. l. 4. c. 1.*

legi poteſt, exceptis atris diebus, (a) qui apud Romanos erant illi, quibus inſignem aliquam cladem acceperant. Parentatum (b) autem tum fuit inferiis, epulis & ludis. *Inferiae* erant ſacrificia, quae diis manibꝰ inferebant [c] conſtantia liquoribus praecipue, & victimis. Liquores erant aqua, vinum, lac, ſanguis & unguentum. Sanguis ſumebatur de animalibus, quae manibus defunctorum mactari ſolita: nec pecudum duntaxat, ſed & humano ſanguine manibus defunctorum ſolebant parentare, quae conſuetudo, cum crudelitatem quandam prae ſe ferret, voluptate adumbrata, atque in funebres ludos fuit converſa. Vnguenta autem in parentationibus ſepulcris affuſa fuere. Porro floribus & coronis tumulum ſpargebant, inter quos erant quidam purpurei coloris, item lilia, roſae, aliaque, quae recenſet *Kirchmannus* loco infra [d] citato. Inferias excipiebant *epulae*, quae vel privatae erant, vel publicae; illae dicebantur ſilicernia, ſeu coena ſuper ſilicem (e) poſita. Non enim deguſtare fas erat parentantes, ne funeſtarentur, quod fieri exiſtimabant, ſi quis aliquid eorum, quae divis manibus libabantur, furtim involare in animum induxiſſet ſuum. Putabant enim illi, animas defunctorum ab inferis excitatas iis veſci, & delectari. Sed praeter hanc mortuorum coenam erant & aliae vi-

(a) *Macrobius lib. I. Saturn. c. 16.*
(b) *Kirchm. l. 4. c. 2.* (c) *apud Feſtum.*
(d) *cap. 3.* [e] *cap. 4.*

vorum epulae privatae, quas amici & consanguinei proximi ad sepulcra carorum suorum solebant parare, absumentes, ne dicam, abligurientes, quicquid in hisce epulis esset appositum. Legata denique interdum relicta hac conditione, ut ex eorum reditu epulum fieret. Atque haec de epulis privatis. *Publicae* erant, quibus interdum ditiores in defunctorum memoriam publice solebant populum romanum excipere. Huius generis erant etiam viscerationes i.e. largitiones illae, quibus cruda, & modo eviscerata multorum animalium caro populo publice distribuebatur: quales viscerationes plerumque epulis erant adiunctae. Nec vero apud romanos solum, sed etiam alios populos, funerales huiusmodi epulae celebrabantur. De *Iudaeis* patet ex 2. Reg. c. 3, 35. *Baruchs* c. 6, 31. *Ezech.* 24, 17. 22. *Tobiae* c. 4. & *Ecclesiast.* c. 30, 17. *Iosephus* [a] scribit, hanc epulandi in luctu consuetudinem perquam multos iudaeorum ad inopiam redegisse, quod vulgus necessario adesse coactus sit, & qui neglexisset, habitus pro impio. Similiter Graeci funebres epulas in usu habuere, quas *περίδειπνα* appellabant. Nec omittendum, quod *Cicero* [b] tradit, in huiusmodi funebribus conviviis laudes mortui fuisse celebratas, mentiri autem nefas habitum: quanquam ab hoc veterum Atheniensium more posteri penitus degenerarint, improbos aeque ac probos laudibus ornantes. Praeter haec solitos etiam Grae-

[a] *l. 2. de bello iud.* [b] *l. 2. de legibus.*

graecos in hisce parentalibus omnium clarorum defunctorum nomina ciere, praeter eorum, qui sibimet ipsi laqueo mortem consciviſſent, auctor eſt *Artemidorus.* (a) De ludis funebribus ſciendum, quod gladiatores ſecum mutuo decertaverint, & quidem non duo tantum ſed ſaepe duo & viginti, aut quinque & viginti, aut quinque & triginta, aut ſeptem & (b) triginta eorum paria. Licet autem hi ludi antea in Imperatorum & Principum funeribus tantum haberi conſueviſſent, tamen ſequentibus temporibus hic mos adeo increbuit, ut vulgo etiam dari coeperint a privatis; immo plerisque ea cura fuit in teſtamentis, ut ſolemniter praeſcriberent numerum illorum, quot videlicet gladiatorum paria in funere ſuo comparere & dimicare deberent. Nec intra virorum ſaltem funera hic mos ſtetit; ſed tranſiit etiam ad feminarum parentalia. Hactenus de novemdialibus & denicalibus gentilium tanquam privatis diebus. Sed adhuc ſuperſunt *feralia*, quae mortuis iuſta publice perſolvendi ergo inſtituta [c] erant; & quidem ſolemnis, ac ſtatus harum publicarum feriarum menſis Februarius, dies autem eiusdem decimus erat nonus, quem morem a graecis manaſſe ad Romanos, *Caſaubonus* [d] annotat. Tunc vero epulas ferebant ad ſepulcra, quibus ius erat ibi parentare, ut animas defunctorum recrearent, manesque (e) placarent.

S 5 Ro-

(*a*) *l.1.c.5.* (*b*) *Kirchm.l.4.c.8.* (*c*) *Cic. 2. leg.* (*d*) *Animadv. in Athenaeum c.19.* (*e*) *Kirchm.l.cit.*

Romani Februarium a februando vocarunt, quod eo mense per 12 dies populus februaretur, i. e. lustraretur sive purgaretur. (a) Et hic gentilium ritus in ecclesiam irrepsit sub sec. IV. finem, postquam festum cathedrae S. Petri, idque mensis Februarii die 22. celebrandum fuerat institutum. Vnde in eum invehitur *Augustinus* sermone hoc die habito, atque tales dicit *infideles*, qui ita agerent. Verba eius ita sese habent: [b] *Cum solemnitatem hanc ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, spiritus autem & anima his non indigent. Parare aliquis suis caris dicit, quod ipse devorat, quod praestat ventri, imputat pietati. Cessate ergo fratres ab hoc gentili infidelitatis errore. Animae enim sanctae, quae in hoc seculo, aut per vitae innocentiam purae sunt, aut poenitentiae satisfactione purgantur, a salvatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendae sunt, secundum apostoli dictum: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Animae ergo fratrum, parentumque nostrorum minime cibis carnalibus delectantur: offendi his magis possunt, quam delectari si, cum illae in sacris sedibus sint, vos eas in terra esse credatis.* Ad eandem quorundam malam consuetudinem digitum etiam intendit hipponensis

(*a*) *Ferrar. de lucernis sepulcral. dissert. p. 7.*
[*b*] *Serm. 15. de sanctis.*

ſis ille praeſul, (a) ubi reſurrectionis contemtores ita loquentes introducit: *Bene nobis faciamus, cum vivimus, cum autem mortui fuerimus, etiamſi parentes aut cari, aut propinqui afferant ad ſepulcra noſtra, ſibi afferent, qui vivunt, non nobis mortuis. Et haec quidem irriſit etiam ſcriptura, dicens de quibusdam, bona praeſentia non ſentientibus Eccleſiaſt. 30. Tanquam ſi epulas mortuo adponas. Et manifeſtum eſt; hoc ad mortuos non pertinere, & conſuetudinem hanc eſſe paganorum, non venire de propagine illa & vena iuſtitiae patrum noſtrorum, patriarcharum, quibus exequias celebratas eſſe legimus, parentatum eſſe non legimus. Hoc etiam in moribus iudaeorum animadverti poteſt, non enim tenuerunt in quibusdam ſolennitatibus conſuetudinis venuſtatem.* Sed defendebant ſeſe tales ſcripturae auctoritate ex *Tobiae c. 4.* addit enim Auguſtinus: *Quod obiiciunt quidam de ſcripturis: Frange panem tuum & effunde vinum tuum ſuper ſepulcra iuſtorum, & ne tradas eum iniuſtis, non eſt quidem de hoc diſſerendum, ſed tamen poſſe dico intelligere fideles, quod dictum eſt. Nam quemadmodum fideles faciant religioſe erga memoriam ſuorum, notum eſt fidelibus, quod iuſtus ex fide vivit, etiam notum eſt fidelibus. Nemo ergo quaerat de medicina vulnus, & a ſcripturis conetur torquere vinculum, unde laqueum mortis iniiciat animae ſuae. Manifeſtum eſt, quomodo illud intelligatur; & aperta atque ſalubris eſt haec celebratio chriſtianorum.* Ita videlicet obſequebantur veteres pii conſilio Tobiae, ut eleemoſynas erogarent, & tam ſacerdotes, quam egenos ad convi-

(a) *Serm. 130. de diverſis.*

convivium sobrie habendum invitarent, preces que pro defuncto funderent, sive ad carorum & amicorum tumulos, sive domi, ut ex supra dictis constat. Ceterum cum consuetudo collocandi cibos supra mortuorum monumenta in festo cathedrae S. Petri in Galliam quoque irrepsisset, synodus *turonensis II.* canon. 16. alias 34. aut 22. contra illam ita sanxit: *Sunt etiam, qui in festivitate cathedrae D. Petri apostoli cibos mortuis offerunt, & post missas, redeuntes ad domos proprias, ad gentilium revertuntur errores, & post corpus Domini sacratas Daemoni escas accipiunt: contestamur, illam sollicitudinem tam pastores, quam presbyteros gerere, ut quemcunque in hac fatuitate persistere viderint, vel nescio, ad petras, aut ad arbores, aut ad fontes designata loca gentilium perpetrare, quae ad ecclesiae rationem non pertinent, eos ab ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altari permittant, qui gentilium observationes custodiunt.* Visum est tandem, istum ad sepulcra defunctorum dapes afferendi morem penitus tollere in Concilio *bracarensi*, anno 572. in Hispania celebrato: canone enim 69 ita constitutum fuit: *Non liceat christianis prandia ad defunctorum sepulcra deferre & sacrificare mortuis.*

§. V. Restat, ut de luctus tempore, seu quamdiu veteres christiani propter mortuum luxerint, dispiciamus. *Iacobus Greiserus* (*) de illo

[*] *de funer. Christ. l. cap. ult.*

illo nihil aliud, quod dicat, se habere scribit, quam *fuisse id incertum tam ethnicis, quam iudaeis & christianis.* *Centuriatores* magdeburgenses aiunt, iam sec. III consuetudinem lugendi super mortuos fuisse, idque ostendere volunt ex *Origene* [qui tamen non est auctor citati libri] (a) dicente, *luctum mortui fieri septem diebus & septem noctibus.* Secul. IV hunc morem obtinuisse colligimus exinde, quod *Ambrosius* scribit, (b) alios septimum diem post obitum observare, & quod ipse septimo die ad sepulcrum Satyri sit reversus. Sed alios tertium, alios tricesimum, alios quadragesimum observasse, idem indicavit: arbitror autem, luctum his diebus absolutum fuisse, & sic de reliquis, qui & in graeca & in latina ecclesia recepti tandem fuerunt, exequiarum diebus sentiendum, in graeca videlicet luctum quadragesimo die, in latina autem tricesimo completum fuisse. Ratio vero, cur ita sentiam, haec est, quod tam Ambrosius quam citati divinorum officiorum scriptores auctoritatem horum dierum ex scriptura V.T. semper probent, & quidem diem tricesimum, uti dictum, Israelitarum exemplo, qui Aaroni & Mosi luctum triginta dierum exhibuerint; septimum autem, quia de Iosepho scriptum extet Genes. 50. *Et fecit patri suo luctum septem dies.* Haec vero testimonia, aliaque de tempore luctus apud iudaeos recepto intelligenda sunt: ergo & de tempore luctus christianorum. *Hieronymi*

(a) *l. 3. in Iob.* (b) *loco citato.*

ronymi tempore quadragesimo die defunctorum luctum quorundam solutum fuisse, sequentia ipsius verba ad Iulianum (a) indicant: *Laudent te alii, & contra diabolum victorias panegyricis prosequantur, quod laeto vultu mortes filiorum tuleris, quod in quadragesimo die dormitionis eorum lugubrem vestem mutaveris, & dedicatio ossium martyris candida tibi vestimenta reddiderit.* Harum vestiũ meminit Cyprianus sermone de mortalitate: occasionem autem illas deponendi atque luctum solvendi maiorem aliquam, quae inciderit, celebritatem interdum fuisse, iam citata Hieronymi verba videntur indicare. Ceterum Gratianus Valentinianus & Theodosius Imperatores christiani integrum annum viduis praescripserunt, quo maritos lugerent; ita ut ante exactum tempus nemini nubere deberent, nisi id a magistratu peculiariter impetrassent: attamen ius canonicum dedit viduae potestatem intra annum luctus nubendi: *quam quidem iuris canonici dispositionem approbare non possumus, cum repugnet honestati publicae & introducat sanguinis confusionem, & prolis incertitudinem, quin & malefícii suspicionem confirmet*; quae sunt verba *b. loh.* [b] *Gerhardi.* Sed ista omnia, quae de luctus tempore diximus ad IV seqq. secula tantum pertinent. De prioribus tribus seculis nescio, quid sentiam, nisi christianos se se etiam hoc

(a) *epist. 34.* [b) *t. 7. L. L. §. 199. Vide Constitut. electororal. Saxon. & Conf. Bened. Carpzov, l. 2, Iurisprud. eccles, tit. 9. diss. 159.*

hoc in ritu a gentilibus distinxisse, cum *Paulus* expresse prohibuerit, more gentilium in fide defunctos (a) lugere: quare nec *atram vestem Cyprianus* (b) in luctu concedere volebat propter egregiam spem fidelium, quae candida potius vestimenta requireret. Lugebant autem Romani secundum Numae legem, maiores triennio tot mensibus, quot quisque annos vixerat, sed non ultra decimum mensem; minores triennio plane non lugebant. Seculo autem III. *Paulus* ICtus aliam legem dedit, [c] hanc nempe: *Parentes & filii maiores sex annis, anno lugeri possunt, minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximioris gradus octo: qui contra fecerit, infamium numero habetur.* Postmodum vero *Tribonianus* in arbitrio & pietate cuiusvis tempus luctus posuit, cuius lex haec [d] est: *Parentes & liberi utriusque sexus, nec non ceteri adgnati, vel cognati, secundum pietatis rationem, & animi sui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi sunt: qui autem eos non eluxerit, non notatur infamia.* LYCURGUS lacedaemoniis dies tantum undecim luctus, teste Plutarcho, praescripsit. Plura de gentilium luctu habentur apud *Quenstedium*, (e) *Calvoerium*, [f] & *Kirchmannum*. (g)

CAP.

[a] *1. Thessal. 4, 13.* (b) *serm. de mortalit.*
(c) *lib. 1. sentent. tit. ult.* (d) *L. parent. 13. ff. de his, qui not. infam.*
[e] *De Sepult. vet. c. 13.* (f) *Ritual. eccles. l. 3. c. 6.*
[g] *lib. cit. c. 10. l. 4.*

CAP. IV.

In Sacrae eucharistiae mysteriis semper fiebat commemoratio & commendatio tum generalis omnium in ecclesiae communione defunctorum, tum specialis expressis quorundam nominibus atque aliorum ex diptychis recitatis.

§. I.

ALius iam occurrit nobis ritus antiquorum Christo addictorum, quem patres sec. IV. memoriae prodidere. *Augustinus* nempe multis locis suorum operum testis est, *ecclesiam suscepisse supplicationes pro omnibus in christiana societate defunctis etiam tacitis nominibus quorumcunque sub generali commemoratione, ut quibus ad ista desint parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una iis exhiberentur matre* (a) *communi.* Similiter universam ecclesiae consuetudinem esse testatur, [b] *ut in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habeat commendatio mortuorum.* Idem [c]: *Hoc, a patribus traditum, universa observat ecclesia, ut pro eis, qui in corporis atque sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Immo & patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, episcopos, & quidem ante reliquos defunctos commemoratos

tos

(a) *De cura pro mortuis.* (b) *ibidem.*
(c) *Serm. 32. de verbis apostoli.*

ps ad altare fuisse, plurima docent patrum te-
imonia. e. g. *Cyrilli* hierosolymitani: [a] *ogamus te nos omnes, & hoc tibi sacrificium offeri. us, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos ob- ormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, postolorum, martyrum. Deinde pro defunctis san- is patribus, & episcopis, denique pro omnibus ora- ius, qui inter nos vita functi sunt, maximum cre- entes esse animarum iuvamen, pro quibus offertur bsecratio, sancto illo & tremendo sacrificio proposito.*

§. II. Commemorabantur etiam nonnul- i nominibus prolatis, & quidem in liturgia *Ia- obi*, aliisque beata virgo MARIA; in ea, quae MARCO supposita est, ipse Marcus apostolus; n liturgia *Basilii* MARIA & *Ioannes* baptista; n eiusdem, qua Syri utuntur, & Anaphoram rocant, Ioannes baptista, Stephanus primus nartyr, sancta genitrix, & inter episcopos seu doctores ecclesiae, *qui inde a Petro & Iacobo ad nanc usque diem rectum fidei verbum clare sunt pro- fessi*, Ignatius, Dionysius &c. In *canone romano* post b. virginem, & duodecim apostolos nomi- natos, martyres duodecim commemorantur, e. g. Linus, Cletus, Clemens, Xystus, Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Chrysostomus, Iohan- nes & Paulus, Cosmas & Damianus, & deinceps post verba: Nobis quoque peccatoribus partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis & martyribus. additur: Cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio,

(a) *Mystagog. 5.*

Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetuo, Agatha, Lucia, Agne, Caecilia, Anastasia, & cum omnibus sanctis tuis. *Ambrosianus canon* post apostolos recitat duo & viginti martyres sequentes, Xystum, Laurentium, Hippolytum, Vincentium, Cornelium, Cyprianum, Clementem, Chrysogonum, Ioannem & Paulum, Cosmam & Damianum, Apollinarem, Vitalem, Nazarium & Celsum, Prothasium & Gervasium, Victorem, Naborem, Felicem & Calimerum. Denique ritu Mozarabum seu christianorum in Hispania cum Arabibus mixtorum, praemittitur commemoratio B. virginis, Zachariae, Ioannis, infantum, Petri, Pauli, & reliquorum apostolorum, & evangelistarum; deinde recitantur nomina Hilarii, Athanasii, Martini, & aliorum plurimorum: recentior enim est haec liturgia reliquis adductis, quare & confessorum, nec martyrum tantum nomina commemorat. Sed ad quid haec nominum commemoratio? *Augustinus* [*] respondet, ut *orent ipsi pro nobis, utque eorum vestigiis adhaereamus*; *Dionysius* areopagita, posteriorem rationem similiter profert, cuius verba sequenti paragrapho adducentur. Putabant nempe antiqui patres, posse hoc modo fideles in terris sacro quodam fervore succendi, ut animitus Christi vestigia premerent, & ad sanguinem quoque mundo illicienti, satanae rugienti, carnis desideriis aestuantibus resisterent. Deinde eo ipso honorare

[*] *t. 9. tract. 84. in Ioann.*

tare satagebant sanctos atque martyres. *Magnus omnino*, inquit Chrysostomus, (a) *honor est, nominari domino praesente, dum mors illa celebratur, & tremendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta.* Voluere etiam sine dubio communionem ecclesiae triumphantis cum militante arctissimam in Christo Iesu testari.

§. III. Ad diptychorum apertionem, nominumque ex illis recitationem progredientes, *Dionysium*, quem dicunt areopagitam, audimus hoc de ritu testantem (b) his verbis: *Deinde post salutationem fidelium inter se e sacris tabulis sanctorum nomina recitantur.* De iis autem, quae antea de precibus pro quiescentibus in genere, & certorum martyrum recitatione diximus, prorsus tacet: unde colligitur, in ista, cui praefuit Dionysius, ecclesia illos ritus, qui in aliis obtinuerint, omnes in usu non fuisse. De diptychis supra (c) fuit actum: iam a Dionysio certi reddimur, annotata in illis sanctorum nomina, ab episcopo, eucharistiam celebrante, recitata fuisse, idque ante consecrationem, uti in liturgia *Chrysostomi* etiam habetur, & *Augustinus*, ni fallor, indicat, scribens, (d) in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod in domini est mensa, incipiat benedici, orationes fieri. Nec tantum in Dionysia ecclesia, sed ubique ita factum existimo, postquam diptychorum usus invaluerat: de illis autem diptychis loquor, quae non omni-

T 2 um

(a) *homil.21.in Acta.* (b) *Hierarch.eccles.c.3.* [c] *l.2.c.ult.* (d) *t.2.epist.59.solut.quaest.quintae.*

um defunctorum, sed iis e tantum quae tam vivorum uno latere, quam mortuorum altero latere nomina continebant, qui inter ceteros aliqua speciali nota praeeminebant, facta de reliquis generali commemoratione. Cum vero supra commonstratum fuerit, alium fuisse catalogum episcoporum, alium laicorum in graeca ecclesia, non dubium est, tam laicos, quam episcopos ex illis recitatos fuisse, proque illis preces factas. Ipse Dionysius per sanctos, quorum nomina e sacris tabulis intra sacrae eucharistiae solemnia recitari scribit, tam laicos quam episcopos intelligere videtur: quamvis non negandum, episcopos priori loco seu ante laicos nominatos esse. De CHRYSOSTOMO constat, quod eius nomen tandem in album episcoporum relatum, & tum mentio eius in precibus sit facta, *quemadmodum id & in aliis episcopis, qui vita excesserant, fieri erat solitum*, ut verbis *Nicephori* (a) utar. Idem hic scriptor addit: *Nec ille* (nempe Atticus, constantinopolitanus episcopus) *modo id fecit, sed aliis quoque Ioannis memoriam precibus inserere recusantibus, & Cyrillo maxime alexandrino praesuli, persuasit. Facundus* hermianensis de recitatione nominum e diptychis etiam testatur, quando scribit [b] de EUSTACHIO episcopo, qui synodo nicaenae interfuit: *Solenniter inter suos decessores & successores ad sacrificia nominatur.* Et collatio III. *carthaginiensis* c. 230: *In ecclesia summus, in*

(a) *H E. l. 14. c. 25.* [b] *de defens. trium capitul. lib. 2. cap. 1.*

in qua Caecilianus episcopatum gessit, & diem obiit: Eius nomen ad altare recitamus, eius memoriae communicamus, tanquam memoriae fratris. Diaconus vero indicabat sacerdoti e diptychis non omnium, sed quorundam nomina pro libera voluntate, quae recitanda essent. In liturgia S. *Marci*: ο διακονος τα διπ]υχα των κεκοιμημενων. i. e. *diaconus eorum, qui obdormiverant, sacras tabulas*, nempe legit: cui sacerdos se inclinans apprecatur, dicens: και]ϛ]ων παντων]ας ψυχας αναπαυσον, δεσπο]α, κυριε ο Θεος ημων, εν]αις των αγιων σκηναις &c. i. e. *& horum omnium animas requiescere fac, dominator, domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis* &c. Liturgia S. *Chrysostomi* id ipsum quoque indicat, & quidem his verbis: ο διακον☉ των τε κεκοιμημενων και ζων]ων, ως βϛλεται, μνημονευει, *diaconus & vita functorum, & viventium, ut illi lubet, commemorat.* Hactenus de graeca ecclesia. Hunc vero e diptychis nomina defunctorum recitandi morem amplexatam esse etiam romanam ecclesiam, testatur *Alcuinus*, seculi VIII scriptor, quando (*) scribit: *Post illa verba, quibus dicitur, in* SOMNO PACIS, *usus fuit antiquorum, sicut & hodie romana agit ecclesia, ut statim recitarentur a diptychis nomina defunctorum.* Vt haec illustrentur, notandum, in canone missae romanae nominum recitationem, de qua sermo est, fieri post consecrationem sacrorum symbolorum, non autem ante illam, ut de graecis qui-

T 3

(*) *de divinis officiis.*

quibusdam ecclesiis supra dictum : commemorationem autem virginis Mariae, & duodecim apostolorum, & totidem martyrum, quorum nomina antea adposuimus, fieri ante consecrationem, ideoque horum nomina non ex diptychis lecta, sed semper in canone missae scripta extitisse, quod de aliis etiam liturgiis Graecorum, quarum nominum commemorationem antea produximus, similiter tenendum. Post consecrationem ergo in romana ecclesia aperiebantur, & sacerdos orabat : *Memento etiam, Domine, eorum nomina, qui nos praecesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Et iam statim, Alcuino verbis citatis teste, e diptychis nomina defunctorum sunt recitata. Ad modo prolatam precum formulam annotavit *Pamelius*, (*) vocem *nomina* habere solum coloniensem codicem, inque aliis omissam videri, postquam sublata sit vetus consuetudo, nomina publice recitandi. Alcuino consentit *Florus* magister in expositione missae, *Visu*, inquiens, *antiquorum fuit, sicut etiam usque hodie romana agit ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est, tabulis, nomina defunctorum, atq; ita post lectionem nominum subiungerentur verba sequentia :* Ipsis Domine, *ipsis videlicet, quorum nomina commemorantur*, & ceteris omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur. Vnde inscribitur haec memoria

[*] *Rituali S. S. Patrum latin. lib. sacrament Gregorii M t. 2. p. 182.*

moria defunctorum in libro Sacramentorum *Super diptycha*: & illam missae partem post consecrationem, τον καιρον των διπτυχων vocat Synodus V. oecumenica. Ex dictis etiam liquet, non in romana ecclesia diptycha a diacono lecta esse ad altare, ut in graeca receptum fuisse percepimus, sed a sacerdote, sacra faciente, & nominum recitationem, & orationem pro illis factam. Quem autem scopum habuit haec nominum e diptychis recitatio? Vel unicum CHRYSOSTOMI exemplum certos nos reddit, publicum tunc testimonium datum fuisse de pietate, orthodoxia, meritisque de ecclesia singularibus, quibus ii defuncti in vita ornati fuissent: quare nullum alium, praeter tales, neque in diptychis annotari, neque ex illis recitari licitum fuit. Hinc concilium emeritense can. 19. decrevit, ut eorum etiam nomina, a quibus ecclesiae essent constructae, vel qui iis quidpiam contulissent, tum viventes inter vivos, tum mortui inter mortuos, suo loco & ordine recitarentur. Egregiam denique rationem huius moris *Dionysius*, areopagita vulgo dictus, profert, (*) *Sacrarum*, inquiens, *tabularum recitatio depraedicat illos, qui sancte vixerunt, & ad studiosae vitae perfectionem constanter pervenerunt, nos quidem ad eorum imitationem, & beatissimum illum statum, quietemque deiformem adhortando ac manuducendo, illos vero ceu viventes celebrando, quippe, ut theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos.*

(*) *loco citato.*

§. IV. Supereſt, ut formulae commemorationum precumque pro defunctis proferantur, intra eucharistiae ſolemnia antiquitus receptae. Illas autem ex variis ligiturgiis producere liceat: quanquam enim huiusmodi liturgiae, nec apoſtolos, nec apoſtolicos viros, aliosque, quibus adſcribuntur, ut hodie ſunt, habeant auctores, variis quippe modis immutatae, priſci tamen moris veſtigia continent, nec doctrinae ſeculi ſaltem IV. & ſeqq. repugnant. Omnium autem antiquiſſima habetur illa, quae ſub *Iacobi* fratris Domini, Hieroſolymorum epiſcopi, nomine extat, quam univerſa eccleſia graeca pro genuina [a] recipit, & antiquiorum quoque teſtimoniis, pro ſe facientibus, non deſtituitur: quare ex illa primum commemorationum ac orationum formulas adponimus, quae ita ſeſe habent: *Commemorationem agamus ſanctiſſimae, immaculatae, glorioſiſſimae, benedictae dominae noſtrae, matris Dei, & ſemper virginis Mariae, ac omnium ſanctorum, & iuſtorum, ut precibus, ac intercesſionibus eorum omnes miſericordiam conſequamur.*

Memento maiorum noſtrorum, patrum, patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, doctorum, ſanctorum, & omnis ſpiritus iuſti, in fide Chriſti tui conſummati; praecipue ſanctiſſimae, immaculatae, ſuper omnes benedictae, glorioſae dominae noſtrae, ſemperque virginis Mariae.

Memento Domine, Deus noſter, ſpirituum, & univerſae

[a] *Bona Rerum liturg. L. 1. c. 8.*

versae carnis, quorum memoriam egimus, & non egimus, orthodoxorum, ac recte de fide sentientium, ab Abel iusto usque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viventium in regno tuo, & deliciis paradisi, in sinu Abrahae, Isaac, & Iacob, sanctorum patrum nostrorum, unde exulat dolor, tristitia & gemitus.

Porro prostat quaedam liturgia sub *Marci* evangelistae nomine, quae Alexandrinorum esse dicitur, at a plerisque inter dubiae fidei scripta refertur. In illa sequens formula precum pro defunctis continetur:

Animabus patrum, & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem, Deus noster, memor maiorum nostrorum, qui a seculo sunt, patrum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, episcoporum, sanctorum, iustorum, omnis spiritus in fide Christi defunctorum, nec non eorum, quorum hodierno die memoriam agimus, & S. patris nostri Marci apostoli, & evangelistae, qui monstravit nobis viam salutis.

Deinde, cum diaconus nomina e sacris tabulis legit, sacerdos apprecatur:

Et horum omnium animabus, dona requiem, dominator, domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona.

In liturgia, quae sub *Basilii* nomine circumfertur, & pro genuina ex parte a *Gullielmo Cave* agnoscitur, inseritur etiam mentio sanctorum, & nominatim virginis, & baptistae; deinde ita orat sacerdos:

Memento dormientium in spe resurrectionis vitae aeternae.

Et in illa, qua Syri utuntur, eiusdem liturgia:

Memento sacerdotum orthodoxorum, tam mortuorum, quam superstitum.

Et paulo post:

Quia tu in vitam, & mortem habes potestatem, dignos facito nos, ut eos commemoremus, qui a seculo placuerunt tibi, patriarchas, prophetas, Ioannem baptistam, Stephanum primum martyrem, sanctamque genitricem, omnesque sanctos; fac nos consortes cum illis in ecclesia primogenitorum tuorum &c. Assidue supplices preces pro illis offerimus tibi. In ipsa eorum commemoratione & intercessione latentes, & per nos ad te accedere, peragereque officium hoc sacerdotale audentes.

Deinde sacerdos orat:

Memento etiam, Domine, eorum, qui decesserunt ex hac vita, & episcoporum orthodoxorum, qui inde usque a Petro & Iacobo apostolis ad hanc usque diem rectum fidei verbum clare sunt professi, Ignatii, Dionysii &c.

Sublata voce:

Memento & eorum, qui usque ad sanguinem pro verbo boni timoris steterunt &c.

Conclusio solennis. Populus: *Amen.*

Sacerdos rursum inclinatus orat:

Memento, Domine, patrum, fratrumque nostrorum, qui abierunt.

Sublata voce orat Deum:

Memento eorum omnium, qui transierunt ex hoc mundo

mundo, recrea eos in tabernaculo tuo; traduc eos per mansiones horridas, & in habitaculis luculentis colloca: erue illos ex densissimis tenebris, tribulatione, & dolore: ne intres cum eis in iudicium &c. Si quid, utpote homines carne vestiti, peccaverint, eis remitte. Memento etiam eorum, quorum memoriam hodie celebramus, ut admittas eos intercessores & conciliatores pro animabus omnium nostrum &c. In liturgia *Chrysostomi*:

Offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fideliter dormientibus, memores patriarcharum prophetarum, apostolorum martyrum & imprimis S. virginis. Deinde suggerente nomina e diptychis diacono, pro defunctis fit oratio, & sacerdos commemorat, quos vult, vivos & defunctos, et his precatur quietem, & remissionem animae in loco lucido. In liturgia, quam habent *Aethiopes*, & cuius tam sententia orationum, quam ordo actionis fere cum Chrysostomi & Basilii liturgiis convenit, ita oratur: *Memento, Domine, omnium dormientium & quiescentium in fide Christi, colloca animas eorum in sinu Abrahae, Isaac & Iacob.* In liturgia *Armeniorum*, graecanicum ritum fere imitantium, primo fit memoria vivorum, dein mortuorum his verbis: *Per hanc etiam oblationem da aeteram pacem omnibus, qui nos praecesserunt in fide Christi, sanctis patribus, patriarchis, apostolis, prophetis.* Diaconus citat porro fideles, ut *rogent Dominum pro animabus, quae requiescant in pace, imprimis episcoporum ibi quiescentium.*

Tum

Tum sequitur haec oratio:

Memento, Domine & miserere, & fac gratiam animabus requiescentibus, pacifica & illumina eas, & associa illas ad sanctos tuos in regno caelorum, easque dignas fac amore tuo.

Vidimus itaque formulas precum pro defunctis eorumque commemorationem in ecclesiis orientalibus. Iam sequuntur illae, quas latina in usu habuit ecclesia. In canone ergo romano haec habentur, huc pertinentia:

Communicantes, & memoriam venerantes inprimis gloriosae semper virginis Mariae genitricis Dei & domini nostri Iesu Christi; sed & beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, & Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmae & Damiani, & omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio, per Christum, dominum nostrum.

Et post consecrationem:

Memento etiam, Domine, eorum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis ut indulgeas, deprecamur per Christum dominum nostrum.

Eadem habet Canon *ambrosianus*, nisi quod plures commemoret martyres, quam romanus, quorum nomina supra iam percepimus. De formulis Mozarabum, seu christianorum in Hispania

nia cum arabibus cira sec. VI mixtorum, unicam proferre liceat, quae in missa dominicae IV adventus extat, & *Post nomina*, inscribitur. Ita autem illa sese habet: Sanctorum tuorum communicantes, Domine, memoriæ, patriarcharum, prophetarumq; tuorum non sumus immemores: *Ipsis enim renunciantibus, adventus tuus claruit mundo. Memoramus etiam apostolos tuos, qui adventum tuum a prophetis, patriarchisque praedicatum oculis suis cernere meruerunt. Facimus quoq; & tuorum martyrum mentionem, qui te dominum redemtorem iam venisse confessi, ad mortem usque sunt certati pro veritate. Fidelium praeterea tuorum, in hac adhuc peregrinatione degentium, nomina recensemus, protestantes, ut eorum vitae cursum, & perfectionem consummes, quos sanctos tuos apud te in coelesti habitaculo cautos, perfectosque iam retines* (*scil. in praedestinatione.*) *Non obliviscimur quoque defunctos naturae nostrae, ac fidei socios: sed precamur te, Dominum amplissimae pietatis, ut eis refrigeria tribuas sempiternae quietis.* Ex antiqua missa *gallicana* non possumus formulas commemorandi defunctos, & pro illis orandi adducere, quoniam illa nondum innotuit.

§. V. Formulis etiam precum pro defunctis auditis, non possum, quin singularem *Augustini* sententiam paucis attingam: lego enim, illum expresse testari, pro martyribus non orare ecclesiam, sed illorum tantum commemorationem cum laude agere, quemadmodum ex Dionysio areopagita etiam percepimus. At

sicut

ſicut Dionyſius tantum loquitur de moribus ſuae ipſius eccleſiae, & de oratione pro defun- ctis intra euchariſtiae ſacra aliis in eccleſiis fa- cta, prorſus tacet; ita ſimiliter Auguſtinus de eccleſiis africanis loquitur; quarum alicui, hipponenſi nempe, epiſcopus erat praefectus. Itaque quanquam ſcribat: (a) *Ideo ad menſam Domini non ſic martyres commemoramus, ut etiam pro iis oremus, quemadmodum alios, qui in pace re- quieſcunt, ſed magis, ut ipſi orent pro nobis, ut eo- rum veſtigiis adhaereamus.* Item: (b) *Marty- res eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur, iniuria enim eſt pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari*; tamen aliis in eccleſiis tale diſcrimen non ſervatum, ex iis, quae hactenus diximus, conſtat, nec non ex *Conſtitutionibus apoſtolicis*, quinti ſaltem ſeculi ſcripto, quam clariſſimum eſt. In canone enim miſſae, qui inſcribitur: *Conſtitutio Iacobi fratris Iohannis Zebedaei*, epiſcopus euchariſtiam cele- brans ita (c) orat: *Adhuc offerimus tibi pro omni- bus ſanctis, qui a ſeculo placuerunt tibi, patriarchis prophetis, iuſtis, apoſtolis, martyribus, confeſſoribus, epiſcopis, presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, laicis, & omnibus, quo- rum tu noſti, nomina.* En heic martyres, omnes- que ſancti V. T. cum reliquis eodem in ordine ſtant, & pro omnibus oratur. Verbum enim *offer-*

(a) *t. 9. tract. 84. in Ioann.* [b] *t. 10. ſerm. 17. de verbis apoſtoli.* [c] *l. 8. cap. 12.*

offerre hoc loco idem esse, ac orare, probatur ex antecedentibus, & consequentibus, ubi semper orationes fiunt, his verbis: *Adhuc oramus te, adhuc poscimus te, adhuc rogamus te*; at ne semper eadem verba recurrerent, verbum *offerre* adhibetur pro orare, unde episcopus etiam ait: *Offerimus quoque tibi pro aëris temperatura, & frugum ubertate.* Talis oratio pro omnibus omnino pie defunctis inde ab Abele iusto usque ad istum diem, quo missa celebrabatur, etiam occurrit in ista, quae *Iacobi* Domini fratris Hierosolomorum episcopi esse dicetur, liturgia, cuius verba antecedenti paragr. sunt pro lata. Consentit *Epiphanius*, quando in censura haereseos Aërii docet, neminem esse tam sanctum ab origine mundi repertum, qui precibus pro se non indigeat, uno Christo excepto, ideoque commemorationes illorum fieri ad altare. *Iustorum*, ait, *pariter & peccatorum mentionem facimus, peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus, iustorum autem & patrum, ac patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, episcoporum, anachoretarum, ac coetus illius universi, ut dominum Iesum Christum singulari quodam honore prosequentes, a caeterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum illius maiestati tribuamus, illud cum animo nostro reputantes, non esse Dominum cum ullis mortalibus adaequandum, quamvis singuli infinita quadam aut etiam ampliore iustitia praediti sint.* Hinc ipse *Augustinus* [a] fateri cogitur, *neminem esse, pro quo*

(a) *t. 8. in ps. 86.* *nullus*

nullus oret, nisi illum, qui pro omnibus interpellet. Non temere autem scribit *Chrysostomus*, (*a*) *haec ab apostolis sancita sunt*, (sed ita sine ullo fundamento sentit ille: unde nec vel unicam rationem suae opinionis adiecit) *ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim, illis multum inde contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, & sacerdotalis plenitudo, ac tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his depreoantes?* Liquet ergo omnino pro omnibus sanctis, etiam martyribus orasse ecclesiam, eorumque animabus illam etiam eo ipso voluisse quandam utilitatem adferre. Cur vero *Augustinus* negavit, preces pro martyribus fieri, quamvis alibi [b] dicat, pro omnibus illas fieri, & sic sibi ipse contradicat? Rem acu tangit celebris ecclesiae nostrae theologus Quenstedius, quando ita [c] iudicat: *Scilicet iam Augustini aetate usus ille invaluit, ut sancti invocarentur: absurdum ergo ipsi videbatur, ut est sane, pro iis nos orare, quos ipsi oramus, sive ut, quorum opem atque auxilium ipsi precibus nostris imploramus, eos Deo precibus nostris commendemus. Atque hinc etiam factum est, ut introducta in ecclesiam sanctorum invocatione, illae pro ipsis orationes paulatim antiquarentur, tandemque penitus abrogarentur.* Hanc rationem esse genuinam atque unicam, inde colligitur, quod ipse ille hipponensis loco iam ante cit-

(*a*) *homil. ad populum 69.* (*b*) *loco iam citato.*
(*c*) *Antiq. bibl. & eccl. de orat. & obl. pro def. p. 510.*

citato diserte pronunciet, *nos potius debere commendari*, i. e. nos commendari martyrum orationibus: quae verba compellationem martyrum, ut orent pro nobis, indicant.

CAP. V.

Oblationes pro defuncto in sacris conventibus ad altare fiebant, ut illius nomen commemoraretur, & supplicatione pro ipso facta, sacrificium corporis & sanguinis Christi pro eodem offerretur.

§. I.

Novus sese iam offert veterum in Christi castris militantium ritus circa sepultos fidei suae socios: munera nempe pro illis superstites offerebant, quoties ipsis placebat, quando sacris in conventibus eucharistia erat celebranda. Qua de re omnium primus testatur *Cyprianus*, qui vixit circa medium seculi III nec tanquam de sui temporis instituto, sed consuetudine ab antecessoribus ad sua tempora propagata. Verba autem illius ita sese habent: (*) *Episcopi antecessores nostri censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit avocare. Et ideo Victor, cum contra formam, nuper in consilio a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum*

V pres-

(*) *epist. 66. ad Furnitanos.*

presbyterum ausus sit actorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur, ut sacerdotum decretum religiose, & necessarie factum, servetur a nobis. Liquet ergo ex his verbis universus oblationum pro defunctis ritus.

§. II. Vt vero illum paulo curatius contemplemur, quales fuerint huiusmodi oblationes, primum est explicandum. Liceat autem pauca de aliis oblationibus in veteri ecclesia receptis praemittere. Nempe inter *Constitutiones apostolicas* (a) & illa habetur: *Omnes primitias provenientes & torculari, area & bobus, atque ovibus sacerdotibus dabis, ut benedicantur reposita in cellariis tuis, & fructus terrae tuae, atque corroboreris frumento, & vino, oleoque, ac augeantur armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Omnem decimam dabis pupillo, ac viduae, pauperi & advenae, omnes primitias panum calidorum, vini e dolio, aut olei, aut mellis, aut fructuum uvae, aut aliorum primitias dabis sacerdotibus, argenti vero & vestimenti, omnisque possessionis orphano ac viduae.* Et alibi (b) constitutio *Matthaei* profertur haec: *Adhuc iniungo, ut omnes primitiae afferantur episcopo, & presbyteris, & diaconis ad eorum alimentum, atque omnes decimae offerantur, ad alendas reliquos clericos & virgines, ac viduas, & paupertate afflictos: primitiae enim sacerdotum sunt, atque iis ministrantium diaconorum.* Hinc *Hieronymus* [c] de se ipso scribit,

(a) l.7.c.29. (b) l.8.c.30. (c) epist.2.

bit, quod quasi levita, & sacerdos ex altari vivat. Sed de iis nobis iam non est sermo; nec de illis, quae a defunctis ecclesiae erant legata, quae respicit Concilium carthaginiense IV cap. 95 & vasensis I canon IV. Erant praeter eas aliae oblationes, quae singulis diebus dominicis fiebant, quarum quaedam ex argento constabant iuxta praeceptum 1. Cor. 16, 2. quod Iustinus martyr indicat, (a) scribens: *Locupletes, & qui volunt, quisque secundum beneplacitum, quod vult, elargitur, & collectum apud antistitem deponitur*: aliae autem erant talium, quae ad sacram coenam pertinebant. Hinc *Cyprianus* divitem quandam matronam increpat, quod nihil contribuerat: [b] *Locuples & dives es, & dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicis, quae in dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio venis, quae partem de sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Et auctor sermonum de tempore, (c) qui Augustinus falso habetur: *Secundum vires vestras eleemosynas pauperibus exhibete, oblationes, quae in altari consecrentur, offerte: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Ex oblatis igitur in sacro conventu aliae in pauperum ecclesiae sustentationem fiebant, ac in gazophylacio, vel ut loquitur *Ter-*

(*a*) *Apolog. 2. Eadem fere habet Tertullianus apologet. c. 39.* (*b*) *de opere & eleemosyna.*
(*c*) *Serm. 215.* (*d*) *loco citato.*

tullianus,(a) in arca apud antiſtitem cuſtodiebantur, alia vero ad altare delata conſecrabantur. Haec vero primario erant, quae ad ſacram coenam requiruntur, ut panis & vinum, deinde oleum ad ſanctam lucernam & thymiama, & denique, cum fruges matureſcerent, ſpicae frumenti, atque baccae uvarum: haec enim tantummodo, nec alia ad altare ſeu ſacram menſam offerre eſſe licita, canon II apoſtolicus, ut vocant, praeſcribit. De more offerendi panem & vinum ad uſum ſacrae coenae, *Irenaeum* (b) qui ſub exitum ſeculi II adhuc floruit, habemus teſtem, & is etiam vult, ut primitiae creaturarum offerantur Deo, non quaſi indigenti, ſed gratias agentes pro donatione eius, & ſanctificantes creaturam. Non vero alium, quam communem uſitatumque, & ſic fermentatum, fideles obtuliſſe, credimus, cum talis tam divitibus, quam pauperibus, eſſet in promtu. Panis quoque integer offerebatur, ex quo in partes conciſo, ſinguli fideles, qui praeſentes erant, partem eucharistiae, praeſertim in Africa, & apud Graecos ſumebant, ad quam conſuetudinem *Cyprianum* alludere, *Pamelius* (c) ſentit, quando quandam divitem matronam increpabat, quod partem de ſacrificio, a paupere oblato ſumeret, ipſa autem nihil afferret. Ne autem obſoleſceret hic offerendi mos, decrevit a. 589. Concilium *matiſconenſe* II c. 4. hoc modo:

Re-

(a) *loco citato.* (b) *lib. 4. adv haereſes.*
(c) *in notis ad citatum Cypriani locum.*

Residentes nos in sacro concilio, cognovimus, quosdam christianos, relicto fratrum coetu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse, ita ut nullus eorum legitimae obscundationis parere velit officio deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio, ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris iuste offerentibus promereantur esse consortes. Postea Concilium *trullanum* uvam vetuit offerri can. 28, propter abusum; qui in diversis ecclesiis irrepserat, quod eam ministri in incruento sacrificio coniungentes simul cum eucharistia populo distribuerent. Ideo decrevit, ut sacerdos solam oblationem populo porrigeret, & uvam tanquam primitias seorsim benediceret, petentibusque tribueret ad fructuum datoris gratiarum actionem. Idem sancivit canone 57, quod altare mel & lac offerre non oporteat. Concilium vero carthaginiense, celebratum a. 397, ut habetur in codice ecclesiae africanae, illa omnia clarius proponit can. 37. his verbis: *Ut in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum, aqua mixtum. Primitiae vero, seu lac & mel, quod uno die solemnissimo in infantem mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a sacramento dominici corporis, & sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis.*

Notetur, quod dicatur, vinum *aqua* mixtum esse offerendum: ita enim iam sec. II. factum fuisse, *Iustinus*, (a) & *Irenaeus* (b) testantur, quod ex latere Christi sanguis & aqua profluxerit:

§. II. At quaeritur, an offerentes ad altare decesserint, & in eo munera sua posuerint? Ad quam quidem quaestionem ut distincte respondeatur, notamus, altaria seculis fere tribus prioribus non fuisse in usu, (c) sed loco illorum mensam esse positam, in qua sacra celebrarentur. Ad mensam autem illam omnes aditum habebant, quotquot communicabant, siquidem apostolorum tempore, & proxime subsequentibus seculis ad mensam accumbentes eucharistiam sumere consuevere. Cum vero basilicae atque in iis altaria erigerentur, cancellis illa circumcincta fuere, ut omnes prohibitu ad illa accedere non amplius possent. Attamen Imperatoribus christianis aditus ad altare, cum offerre vellent, tam in graeca quam romana ecclesia fuit permissum: immo & intra concellos seu intra chorum cancellis septum permanebant, ac inter sacra ibi sedebant. *Ambrosius* autem, videns aliquando, THEODOSIUM Imperatorem, donis oblatis, intra cancellos pro more stantem, interrogavit eum, quid exigeret? Tum quidem ille respondit, se exspectare divinorum mysteriorum perceptionem: & vero episcopus iste per archidiaconum significavit Imperatori, ad haec loca solis sacerdotibus aditum

(a) *apol. 2. p. 97.* (b) *l. 2. haeresi 39. p. 101.*
(c) *ut infra probatur.*

aditum patere, reliquis omnibus esse inaccessa: iussitque, ut statim exiret, & cum reliquis laicis consisteret, addita hac ratione: *Purpura enim Reges, non sacerdotes efficit* [a] In graeca autem ecclesia relinquebatur Imperatori sua pristina libertas, (b) hinc reversus Constantinopolin, ne invitatus quidem manere intra cancellos voluit. Hanc enim *optimam constitutionem Theodosius ille Imperator approbavit, & successores ipsius ipsius suos usurrabirarunt; at nos eam ex eo usque tempore conservatam cernimus* quae sunt ipsa *Sozomeni* verba. Restituit tandem licentiam standi intra cancellos altaris Imperatori suo synodus Quinisexta, Constantinopoli sub Constantino Pogonato, circa A. D. 686 habita, cujus canon 69. hic est: *Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi, ab eo tamen nequaquam prohibita potestate atque autoritate Imperatoris, quando voluerit dona offerre creatori, ex antiquissima traditione.* Liquet ergo neque in occidentali, neque orientali ecclesia laicos ad altare liberum accessum, dum offerent, habuisse. Quod insuper de orientali ex Constitutionibus apostolicis apparet, indicantibus, diaconos per ecclesiam obambulare, & e manibus fidelium munera suscipientes, episcopo ad altare deferre. Ex liturgia *Basilii* saltem patet, laicos offerre volentes, ad altare non acces-

V 4 sisse

(a) *Haec refert Theodoret. l. 5. cap. 17. Sozom. hist. eccles. l. 7. c. 24.*

(b) *Leo Allat. dissert. de templis recent. graec.*

fisse, de reliquis nescio, an per totum orientem obtinuerint. Nimirum oblationes a populo susceptae offeruntur ab oblationariis patriarchae & clero in sacrario: patriarcha adolet super eas incensum, & orat. Cantores deinde canunt aliquot versus psalmi, & post reliquas lectiones preces & cantiones, munera e sacrario deportantur, & deponuntur in altari a presbyteris. In liturgia *Chrysostomi* similiter diaconos reperimus discos cum panibus sanctis deferre ad sanctum altare, & reliquos portare calices. Ex secunda missae descriptione, quam *ordo romanus* continet, & quae patribus occidentalibus tribuitur, liquet; & quidem ex his verbis. *Pontifex, dum cantatur offertorium, a presbytero & archidiacono ad locum, ubi oblationes a fidelibus laicis sive viris sive feminis offeruntur; easdem accepturus ducatur.* Et in tertia, quae propria romanae ecclesiae est: *Pontifex descendit ad Senatorium & suscipit oblationes Principum*, & infra: *Pontifex antequam transeat in partem mulierum, descendit ante Confessionem, & suscipit oblatas primicerii defensorum.* Idem confirmat capitulare Caroli M. (a) *Ut per omnes dies dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* At sequentibus temporibus omnes sine discrimine admissi ad altare fuerunt.

§. III. Iam oblationes pro defunctis in specie consideramus, ubi primo nota amicos, aut necessarios defunctorum, nomine illorum, eas

[a] *lib. 5. cap. 219.*

eas attulisse. *Diligentius*, ait Augustinus, (a) de oblatis loquens, *facit haec quisque pro necessariis suis, quod pro illo similiter fiat a suis.* Hinc MONICA mater eius moritura, serio inculcabat filiis suis, ut ad altare Dei sui meminissent, ubicuuque fuerint, [b] quod sine oblationibus fieri non poterat. Catechumeni autem & poenitentes, quia sacrae coenae adesse illis non erat licitum, exibant (c) cum offerendi tempus adesset; tum vero cantabatur ritu romano offertorium seu hymnus, inter offerendum cantari solitus, & offerebantur interim a populo oblationes, quamvis istius offertorii origo non ad priora quinque secula sit referenda, sed Gregorii M. institutum credatur. *Augustinus* quidem meminit (d) hymni ante oblationem, & inter communicandum decantati, non vero inter offerendum. Oblationes finitas, & in altari a diaconis aut presbyteris repositas, excipiebat benedictio illorum ab isto episcopo, qui sacra eucharistiae celebraturus erat, cuius formulae in diversis liturgiis diversae sunt; e. g. in canone romano haec habetur: Te igitur, clementissime pater per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus, ut accepta habeas, & benedicas haec munera, haec sacrificia illibata. Deinde nomina primo vivorũ in ecclesia maxime conspicuorum proferebantur, de reliquis generali facta come-

V 5 mo-

(a) *De cura pro mort. cap. ult.* (b) *l. 9. Confession. c. 12. & 13.* [c] *Const. ap. l. 8. c. 12. & Liturg. Chrys.* (d) *Lib. Retract. 2. c. 11.*

ratione, & pro illis dona haec Deo offerri dicebantur: Inprimis, quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto terrarum orbe una cum beatissimo famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro N. & rege nostro & omnibus orthodoxis, atque catholicae & apostolicae fidei cultoribus. Iam & offerentium nomina recitabantur, & illorum, pro quibus quidam inter eos obtulerant, precibus pro illis adiectis: ita enim porro ait sacerdos, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum,* [Coloniensis codex in margine habet] *& eorum, quorum nomina ad memorandum conscripsimus, ac super sanctum altare tuum scripta adesse videntur,* (quibus verbis ad dipcycha respicitur, quae post consecrationem aperiebantur, ut supra dictum) *& omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est, vel pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo & vero.* Probatur hic romanae ecclesiae ritus etiam ex *Innocentii* sequentibus verbis: (a) *De nominibus recitandis, antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut, cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamvis illi incogni-* *tum*

[a] *ep. 1. qua respondet ad Decentii episcopi consultat.*

tum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quae ante praemittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus. Oblationes itaque in altari Deo commendatas sequebatur nominum recitatio illorum, qui obtulerant, sive illi essent vivi, sive vita functi, per alios dona sua afferentes. Et hoc vocat *Cyprianus*, verbis ante citatis, *nomen* illius *defuncti*, pro quo oblatum fuit, *recitare in sacerdotum prece ad altare:* & illud erat, quod MONICA tantopere desiderabat, scilicet post mortem fieret memoria ipsius ad altare. *Hieronymus* (a) similiter testatur, offerentium nomine recitata fuisse, scribens: *Multos conspicimus, qui opprimunt per potentiam vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur, publiceque diaconus in ecclesia recitet offerentium nomina.* Ex quo apparet, vitio quorundam in ambitionem degenerasse, quod pro Dei cultu institutum erat: quare de eodem abusu queritur ille alibi, [b] *Nunc publice*, inquiens, *recitantur offerentium nomina, & redemtio peccatorum mutatur in laudem.* Diaconi autem fuisse officium recitandi offerentium nomina, ex iam prolatis Hieronymi verbis constat, idque etiam testatur *Isidorus* (c) cum scribit: *Ad diaconum pertinet recitatio nominum & officium precum.* Preces enim cum nominum

[a] *in cap. 18. Ezech.* (b) *l. 2. in Ierem. c. 11.*
(c) *epist. ad Ludifred. episc. cordubens.*

minum recitatione fuere coniunctae, ut & ex verbis *Cypriani* supra citatis patet hisce: *nec deprecatio pro eo in ecclesia frequentetur*: liturgia *Basilii*, ubi postquam pro pie defunctis in genere oratum erat, sequuntur orationes pro ecclesia catholica, quo iis, qui munera illa obtulerant, & pro quibus obtulerant. Notandum autem, illud factum esse iuxta hanc liturgiam post consecrationem sacrorum symbolorum panis & vini aqua mixti, cum ante de ecclesia Romana percepimus, quod statim post benedictionem oblatorum in altari positorum facta fuerit nominum recitatio. His reliquisque peractis sumebant sacram eucharistiam, quotquot aderant fideles, & quae residua manebant de oblatis, *eulogiae* dicta, quia consecrata erant, cedebant in agapas, usum pauperum & aliorum, [a] imo etiam a presbyteris ad aliarum ecclesiarum praepositos mittebantur, ad indicandam communionem fidei. [b] Testimoniis patrum hoc de more, infra citatorum, accedunt *Constitutiones apostolicae*, in quibus talis Matthaei constitutio profertur: (c) *Eulogias, quae in mysticis oblationibus supersunt, diaconi ex voluntate episcopi aut presbyterorum distribuant clero: episcopo partes quatuor, presbytero partes tres, diacono vero partes duas, ceteris vero subdiaconis, vel lectoribus, vel cantoribus, vel diaconissis partem unam. Id enim pulcrum & coram Deo acceptum*

(a) *Iustinus apol.2.p.97.* (b) *Euseb.H.E.l.5.c.24. Irenaeus epist.ad Victor.p.513.* [c] *l.8.c.31.*

acceptum est, unumquemque secundum suam dignitatem honori: nam ecclesia non confusionis sed ordinis est schola.

§. IV. Finis & scopus huiusmodi oblationum pro defunctis partim ex iis, quae antecedenti capite de fine commemorationis nominum & precum intra eucharistiae solemnia, diximus, patet, partim ex seqq. patebit. Cypriani videlicet aevo offerendi pro defunctis morem iam obtinuisse, vidimus: at quoniam tam antecessores illius, quam ipse, noluere, ut pro eo offerretur, qui moriturus clericum tutorem constituisset, certo inde colligitur, tum temporis non magnum animarum corpore solutarum iuvamen habitum fuisse, si pro iis offerretur ad altare: nam quomodo alias Patres illi salva conscientia privare potuissent quempiam tanto fructu, qui non Dei, sed hominum statuta tantum transgressus erat, & cum praeterea omnis ecclesiae disciplina non ad perdendum tendat, sed ad salvandum, iuvandumque animas? Multo minus iidem Patres oblationibus & precibus pro defunctis animas eorum ex purgatorio liberare pro scopo habuisse credendum, nisi illos inhumani rigoris vellemus accusare erga eos, qui in vera fide obdormiverant, humani quamvis instituti cuiusdam laesores. Absit autem de piis prudentibusque viris talia absurde vel cogitare, unde prorsus aliter hac de re iudicandum, facile colligitur. De prima autem illius origine loquimur, nec de illis opinionibus,

quae

quae postea accesserunt: antiquius autem testimonium, quam ex Cypriano, qui circa A. D. 250 adhuc floruit, proferri non potest. Cum vero ille antecessorum suorum temporibus eundem ritum iam obtinuisse indicat, ad seculi III circiter initium referri potest, non vero ulterius, quia de eo alias non tacuissent *Iustinus* & *Irenaeus*, seculi II scriptores, praecipue, cum prior ille in apologia II omnes eucharistiae celebratae caerimonias acurrate descripsit sed ne ullo quidem verbulo mentione de oblationibus pro defunctis facta. Ita ergo sentio, humanum affectum erga defunctos & hanc, de qua iam sermo est, caerimoniam induxisse, eum in finem, ut memoriam eorum pie, & cum honore repeterent, sibique ipsi inde solatium acquirerent. Pie autem & cum honore memoria defuncti agebatur, quando oblationes pro eo ad altare fiebant, nomen eius publice recitabatur, perpetua requies, & propitius iudex ei optabatur, & reliqui fideles ex oblatis pro eo communicabant, eoque ipso iudicabant, pie defunctum cum ipsis in communione fidei stetisse, & adhuc stare per Christi sacrificium, in cruce oblatum, & iam commemoratum, dispensatumque. Exinde autem superstites maximo afficiebantur solatio; certi enim redditi, carissimum suum, quisquis esset, in communione ecclesiae, & altaris decessisse, spes eorum de salute eius firmabatur, eumque esse, & vivere apud dominum certius credere poterant. Ita de

ob-

oblatione & oratione pro defunctis ad altare iudicant ipse *Epiphanius*, & *Augustinus*. Ille contra Aërium scribit (a): *Quid enim potest utilius, quid admirabilius esse, quam quod superstites, qui in praesenti vita sunt, in ea fide & sententia sint, ut credant, eos, qui hinc migrant, vivere, & non prorsus interiisse, sed esse & vivere apud dominum.* Hic vero (b) ita profitetur: *Vt amici defunctorum, considerantes humanae vitae imbecillitatem, certam sibi consolationem propositam haberent, eos, qui in Christo obdormiunt, licet multis & magnis infirmitatibus circumdati fuerint; non tamen ideo regno Dei excludi, aut in aeternam damnationem abiici, sed propter victimam filium Dei, cuius in eucharistia, dum viverent, participes facti essent, in aeternam beatitudinem recipi, ideo voluerunt commemorationem defunctorum* (haec autem oblationes pro iis factas excipiebat) *in ipsa actione eucharistiae fieri.*

§. V. Non autem diffitendum, sec. IV non tantum vulgus, sed & quosdam ecclesiae doctores magna ex oblationibus animabus promisisse iuvamina. Seculo III quidam iam credebant, animas posse refrigerium nancisci, ut ex Tertulliano saepius indicatum; sed nihil aliud per illud intelligebant, quam requiei incrementum, & novum gradum beatitudinis: ipse enim Tertullianus credidit, animas non in purgatorio, sed in quiete esse, quamvis extra coelum.

(a) *Haeresi aëriana.* (b) *de Civit. dei. l. 20. c. 9.*

coelum, seu istum locum, in quo post extremum iudicium cum corpore unitae degent:(a) quare non potest aliud quid per refrigerium intelligere, quam id quod diximus, minime vero aliquod in purgatorio solamen, aut levamen. At sec. IV plures privatorum sententiae accedebant, iuxta quas de oblationibus & orationibus pro mortuis iudicarunt. Illi, qui Origenis sententiam foverunt de purgatione per ignem omnium omnino iustorum, quam iniustorum non quidem potuerunt ex oblationibus pro animabus defunctorum sibi levationem, mitigationem, aut liberationem promittere, quia Origenes statuit, necesse esse, ut unusquisque peccata sua non orationibus aut oblationibus pro ipso factis, sed poenis expiet, cruciatus exsolvat & flammis ea expurget, eaque expiatione perfecta, tum demum istum purgatum luci & regno Dei restitui. *Hoc enim est Origenis purgatorium ex platonicis principiis de exurendis maculis peccati & ex apocryphis fabulis, quae in Clemente alexandrino titulum* traditionum *habent, citra & contra scripturas conflatum*, ut accurate satis iudicat (b) *Martinus Chemnitius*. In latinis vero ecclesiis illud plurimis arrisit, & tandem purgatorium fingendi ansam dedit: cum enim nimis crassum illud videretur, quod omnes omnium etiam iustorum animae adhuc post obitum poenas exolvere, iisque purgari a peccati reliquiis debe-

[a] *contra Marcion. l. 4. & de anima.*
(b) *Exam. Conc. trid. P. III. de purgat. c. 4. p. 531.*

berent, sententia Origenis relicta aliquid tantum de purgatione post hanc vitam in latinis ecclesiis haesit, ita ut quorundam esset opinio, non quidem valde bonos, sed haut valde malos debere purgatorii poenas sustinere, donec satisfecissent pro peccatis, saltem infirmitatis. *Augustinus* prae reliquis ad hanc sententiam inclinavit, quamvis semper incertus manserit, an purgatorium detur, nec ne, veluti *Chemnitius* in Examine doctrinae pontificiae de purgatorio satis demonstravit. Sed privatis privatorum sententiis relictis, ad scopum revertimur, qui est, ut videamus, quem ob finem veteres oblationes pro defunctis attulerint. Ecclesia itaque sec. IV ad istam prolapsa est sententiam, ut magnam animabus defunctorum utilitatem promitteret, ut ante iam attigimus. Illam autem alii constituebant in eo, quod peccatorum etiam mortalium venia iis possit obtineri, alii putabant, non valde malos exinde posse remissionem peccatorum infirmitatis consequi, inter quos ipse *Augustinus*, & mater eius *Monica* referri debent: haec enim sub animae exitum nihil a suis desideravit, nisi ut ad altare ipsius memoriam facerent, unde dispensaretur victima sancta, qua deletum chirgographum, quod nobis contrarium erat. Hic autem [a] expresse scribit, sacrificium altaris vel quarumcunq; eleemosynarum pro non valde malis propitiationes esse. *Epiphanius*, inclinat etiam ad Augustini sententiam, cum enim con-

X tra

[a] *ad Dulcit. quaest. 2.*

tra Aërium disputat, tertiam causam orationum pro mortuis reddit hanc: *Prodest, quae pro defunctis fit oratio, licet*]α ολα των αιτιαματων *seu totam culpam non tollat; sed quoniam, dum adhuc in mundo sumus, saepe & sponte & non sponte erramus, ut id, quod perfectius est significetur. Nam & iustorum & peccatorum commemorationem facimus: pro peccatoribus quidem misericordiam Dei deprecantes, pro iustis vero, patriarchis, prophetis, apostolis, martyribus &c. ut Christum ab hominum ordine discernamus per honorem, quem ipsi exhibemus, atque cultum ei reddamus.* Denique alii istam utilitatem animarum quaerebant, ut propitium iudicem aliquando invenirent; in qua sententia *Chrysostomus* (a) fuit, quando quaerit: *Cur post mortem iterum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium iudicem inveniat.* Haec de fine & scopo oblationum pro defunctis dixisse sufficiat.

§. VI. Non autem omnium oblationes fuerunt receptae in veteri ecclesia. Qua de re ut ordine agamus, hunc Concilii *eliberitani* canonem ut generalem regulam praemittimus: *Episcopus ab eo, qui non communicat, munera accipere non debet.* Primo autem non communicabant catechumeni; ergo quotquot illorum in catechumenatu mortui erant, hoc honore & solatio digni non habebantur. Hinc *Augustinus* (b) scribit: *Noli credere, nec dicere, nec docere, sacri-*

[a] *homil. 23. in Matth.* (b) *l. 7. de Anima l. 3. c. 12. Conf. l. 1. c. 9. & 11.*

sacrificium christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exeunt, offerendum, si vis esse catholicus. Et *Chrysostomus*, (a) ubi de precibus, quae ad altare pro fidelibus fiant, loquitur, addit: *Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt: catechumeni vero nec hac digni consolatione censentur, sed omni tali suffragio sunt privati praeter unum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis praestare refrigerationis.* At obiici iam dictis posset, ipsum AMBROSIUM promisisse in oratione, quam in Valentiniani Imperatoris obitu habuit, se *omnibus* ipsum *oblationibus* frequentaturum, atque matrem eius similiter ad id efficiendum esse adhortatum, cum tamen Imperator in catechumenatu, seu baptismi gratia non potitus, e vita migrasset. Cui obiectioni sic occurrendum arbitror, Ambrosium respexisse defunctum Imperatorem, tanquam baptizatum, quique desiderium impensum, & plenam voluntatem habuerit baptismi potiundi, & omnia contulerit studia, ut baptizaretur. (b) Deinde ad illius oblationes in sec. III reiiciebantur, qui moriturus clericum ad tutelam, vel curam nominaret, uti supra ex *Cypriano* [c] indicatum. Concilium carthaginense IV can. 39. *oblationes dissidentium fratrum, nec in sacrario, nec in gazophylacio recipi* sancivit. Et can. 94: *Eorum, qui pauperes opprimunt, dona a sacerdotibus sunt refutanda.* Ilerdense can. 13: *Catholicus, qui filios*

 suos

(a) *homil. 69. ad populum.* [b] *Albasp. observ. l. 1. c. 10. sub fin.* (q) *epist. 66. ad Furnitanos.*

suos inhaeresi baptizandos obtulerit, oblatio eius in ecclesia nullatenus recipiatur. Antisiodorense can. 17: *Qui se propria voluntate in aquam iactaverit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore praecipitaverit, aut ferro percusserit, aut quavis alia occasione voluntariae morti se tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.* Quod etiam Concilium bracarense I a. C. 571 congregatum, can. 34. constituit. Illos itaque omnes ecclesia communione sua haud voluit dignari, ideoque nec oblationes illorum recipere ad altare, nec nomina eorundem ibi recitare. Denique lapsi, & in poenitentiae cursu ante, quam ipsis potuit subveniri, mortui, indigni quondam habiti sunt, quorum annuae oblationes ad altare deferrentur: hi enim ante excessum non communicaverant; ergo munera pro iis oblata accipere non erat licitū, secundum canonem synodi elliberitanae citatum. Quanquam vero hic disciplinae rigor sec. III usq; ad IV in ecclesia omnino viguit, tamen postea in Concilio *carthaginiensi* IV cui & AUGUSTINUS subscripsit, can. 79 constitutum fuit, ut, si qui poenitentes, attente leges poenitentiae exequentes, casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non potuerit, memoria eorum oblationibus & orationib' commendaretur. Idem placuit patribus Concilii *vasensis* I in Gallia sec. V celebrati can. 2. *Horum, qui poenitentia accepta, in bono vitae cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione, inopinato nonnunquam transitu, in agris, aut in itineribus praeveniuntur,*

untur, oblatio recipienda, & eorum funera ac deinceps memoria ecclesiastico affectu prosequenda: quia nefas est, eorum commemorationes excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysteriis indicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset. Videatur etiam *antisiodorensis* Concilii canon 17. & *epaunensis* ultimus, *toletani* II. caput 12. & *aurelianensis* II. cap. 4. Quibus & canon 12 synodi *arelatensis* II. omnino iungendus est, quippe qui non de morituris, sed de iam mortuis agit, & oblationes pro illis recipi inposterum debere praescribit; ita enim verba illius sonant: *De his, qui in poenitentia positi vitam excesserunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit poenitentiam, oblatio illius recipiatur. B. Hildebrandus* (a) modum, quo poenitens defunctus communioni fidelium restitutus fuit, ita describit: *Ex his pro defuncto ad altare oblatis sacra eucharistia confici solebat, unde omnes fideles praesentes communicabant, ut ostenderent, se cum defuncto adhuc fide & spiritu communicare.* In romana vero ecclesia antiquus rigor circa defunctos poenitentes permansisse videtur, si tamen ab aliis quoque observata sunt, quae scripsit Leo magnus (b) ad Rusticum: *Horum causa Dei*

[a] *Discuss. haeres. Aërii § 28.*
(b) *epist. 92. ad Rusticum, narbon. episcopum.*

judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Quae verba omnia *Alcuinus*, qui sec. VIII vixit, libro de divinis officiis (a) repetens, ut suo quoque aevo servarentur desideravit.

[a] *cap. de illis, qui in extremis sunt.*



LIBER SEXTUS DE CULTU DEFUNCTORUM ET RELIQUIARUM CIVILI ATQUE RELIGIOSO.

CAPUT I.

Numi in Magnatum vita functorum memoriam cusi.

§. I.

AD cultum defunctorum civilem primum referimus, quod in honorem memoriamq; Magnatum numi fuerint cusi. Sic post obitum *Constantini* M. numos cusos fuisse, ex *Eusebii* [a] relatione novimus. Forma autem in illis impressa, eodem explicante, haec fuit: altera videlicet parte obvoluto capite repraesentabatur Imperator, altera vero parte

[a] *H. E. de Vita Constant. l. 4. c. 73.*

parte quadrigis, instar aurigae, insidens, porrecta illi coelitus dextera formabatur. Non vero operto capite idcirco effigiatus est, ut more gentilium isto signo animi demissionem deberet testari, qua ad superos esset transeundum: Romani enim, deos adeuntes, velato capite illos venerabantur, humillimum animum suum sic profitentes, *Plutarcho* (a) referente; sed quia solemne erat christianis, funebri linteo, ut supra commonstratum fuit, corpora involvere, quod sine dubio ita compositum fuit, ut & caput potuerit eo obvelari, quamvis illi interdum etiam sudario, pro more iudaico caput obvoluerint, velut Lazari exemplum docet. Erat quoque alias veli appositio apud gentiles hieroglyphicum noctis, ac vitae humanae termini, ipsaque quadriga, summa acta velocitate, totius vitae hominis, per quatuor anni tempora, significabat curriculum, prout in antiquis sepulcris talia expressa (b) cernuntur. Hoc sensu significavit ista effigies Constantinum vita functum, verum nequaquam ad tartara descendentem, sed extenta manu coelitus subvectum ad superos. In nullius alterius Imperatoris numismatibus tale quid fuisse repertum, *Herodianus* [c] testatur: unde colligimus, a christianis potius, quam a gentilibus Imperatorem post mortem in numis sic effigiatum fuisse. Mos autem ille in magnatum memoriam, honoremque numos cudendi, hodienum durat.

(a) *In Quaest. cent. rom. q. 10.* (b) *Baron. annal, a. 337. n. 19.* (c) *l. 4.*

CAP. II.

Mortuos, eosque sanctitate, & dignitate conspicuos, illorumque memorabilia fata effigiarunt prisci christiani. Imagines in templis posuerunt, & denique illas coluere genu flexo: unde controversiae exortae sunt acerrimae.

§. I.

DEprehendimus in antiqua ecclesia, praeter effigies in numis, alias defunctorum imagines, in parietibus, lapidibusque exsculptas, aut alibi depictas, immo ipsum *Christum*, servatorem nostrum, variis modis effigiatum fuisse. Apud *Tertullianum* legimus, *parabolam boni pastoris, in quibusdam vitreis calicibus* iam tum temporis expressam fuisse, (a) quamvis non sit certum, an ipsissima imago seu effigies Christi, in iis visa fuerit. *Eusebius* meminit effigierum Christi & mulieris illius cananaeae, quae sanguinis profluvio quondam laborabat, ex aere conflatarum: deinde & Petri, Pauli, ipsiusque Christi imaginum, in tabulis pictarum. Ita autem ille [b] enarrat: *Etenim mulierem illam, sanguinis profluvio laborantem, quam ex sacris evangeliis discimus a servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate (Caesarea Philippi) oriundam fuisse ferunt, domumque eius*

(a) *de Pudicitia cap. 7. & 10.* [b] *l. 7. H. E. cap. 18.*

eius ibidem conspici, & collati in eam a servatore nostro beneficii illustria extare monumenta. Quippe iuxta ianuam domus illius aenea mulieris effigies stare dicitur, columnae lapideae imposita, genibus flexis, protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis: ad cuius pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta, quae ad fimbriam usq; aeneae diploidis assurgens depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est. Hanc statuam Iesu Christi speciem referre aiebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo urbem illam ingressi, ipsam conspeximus. Nec vero mirandum est, gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos haec praestitisse, cum & apostolorum, Petri ac Pauli, Christique ipsius pictas imagines, ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus: quippe prisci illi, absque ullo discrimine cunctos de se bene meritos, gentili quadam consuetudine, tanquam servatores, colere huiusmodi honoribus consueverant. Statuam autem illam haemorrhoicae, & effigiem Christi, heic non attendimus, quod illas a gentilibus erectas fuisse, Eusebius arbitratur; sed huc tantum pertinet, quod ille addit, se Petri, & Pauli, & ipsius Christi imagines in picturis colorum varietate expressas & conservatas aspexisse. Eodem etiam spectat, quod *Augustinus* (a) memorat, ethnicos finxisse, Christum ad Petrum & Paulum quaedam scri-

(a) *de consensu evangel. l. 1. cap. 10.*

psisse: addit autem, gentes occasionem tale quid fingendi exindesumsisse, quod pluribus locis simul Petrum, & Paulum cum Christo pictos vidissent. *Theodorus* lector sub Collectaneorum initium refert, *Eudociam Theodosii iunioris uxorem Hierosolymis ad Pulcheriam misisse imaginem matris Christi, quam Lucas apostolus depinxerit.* At non potuit probare Theodorus, nisi ex fama, Lucam auctorem istius imaginis fuisse: quis autem nescit, famam saepe fallere? Multas, praeter iam dictas defunctorum imagines, ex antiquis christianorum coemeteriis producit *Aringus* in Roma subterranea, & notandum, sec. IV coepisse frequentiorem imaginum inter christianos usum. Si *Damasceno* [a] est credendum, Theophilus alexandrinus episcopus non potuit prius mori, quam B. CHRYSOSTOMI, quem tam atrociter persecutus erat, effigiem viderat, atque illi debitam reverentiam exhibuerat. *Nicephorus* (b) de MELETIO, antiocheno episcopo exeunte sec. IV scribit: *Tantum viri huius desiderium in animis hominum omnium relictum esse ferunt, ut illius formam, & effigiem in parietibus, & tabulis depingi, & in annulis exsculpi curaverint.*

§. II. Apud *Gregorium* nyssenum (c) vero, qui inclinante sec. IV vixit, reperiuntur exempla picturarum in *ipsis templis*, cum antea tantum privata inter κειμήλια haberentur; de templo

[a] *qui ex libro diaconi Isidori de Imag. l. 3. p. 784. haec profert.* (b) *Hist. eccles. l. 12. cap. 14.*
[c] *Orat. in Theodorum.*

templo enim Theodori martyris sepulcro superstructo ille enarrat, quod pictor in imaginibus expresserit res martyris praeclare gestas, labores, cruciatus, immanes tyrannorum aspectus, impetus, ardentem illam, & flammas evomentem fornacem, beatissimum athletae finem, Christique certamini praesidentis humanae formae effigiem. *Paulinus*, ex monacho Nolae in Italia inchoante sec. V episcopus, multam navavit operam templis picturis exornandis, quas ex V. & N. T. desumsit, (a) & quidem sub hoc praetextu, ut populus in natalibus martyrum & confessorum ad ea confluens, inque iis epulans, spectandis illis occupatus, temperantius convivium haberet. Severus Sulpitius aliquando petiit ab isto versus, quibus duas basilicas, nolanam, & fundanam exornarat: transmisit ergo ille Severo versus [b] *sub imagine Martini*. *Prudentius* seculi V. scriptor, de passione Cassiani martyris agens, narrat, se vidisse picturam martyrii ipsius, cum ita canit:

Erexi ad coelum faciem, stetit obvia contra
fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
ruptam minutis praeferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
confossa parvis membra figebant stylis.
Aedituus consultus ait: quod prospicis, hospes,
non est inanis, aut anilis fabula.

Histo-

(*a*) *Natali Felicis 9. & 10.* (*b*) *epist. 12.* *Perist. hym. 9, p. 314.*

Historiam pictura refert, quae tradita libris,
veram vetusti temporis monstrat fidem &c.

Idem de beato HIPPOLYTO (a) scribit:

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
effigians tracti membra cruenta viri.

§ III. Tametsi vero imagines in antiqua ecclesia usum atque locum habuerint, tamen initio ille non alius fuit, nisi historicus, & commemorativus, ut nempe martyrum passiones, atq; certamina, victoriam, & triumphum, repraesentarent, aliique excitarentur ad virtutes illorum imitandas, *Solet enim*, inquit saepius laudatus nyssenus, [b] *pictura tacens in parietibus loqui, maximeque prodesse.* Apud *Cyrillum* (c) Iulianus christianis hoc obiicit: *Vos ancilia, quae Iupiter demisit, non adoratis, nec colitis, & interim lignum crucis adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingentes.* Cyrillus vero respondens non concedit, aut fatetur, signum crucis a christianis coli, & adorari, sed historicum imaginum usum eleganter sic describit: *Haec omnia* (nempe beneficia, quae Christus per crucem nobis praestitit) *recordari facit salutare lignum, & suadet, ut cogitemus, quod unus pro omnibus mortuus est, ut viventes non sibimet ipsi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et propterea, ut dixi, preciosi ligni crucem facimus in memoriam omnis boni & virtutis.*

[a] *hym. 11. p. 431.* (b) *loco citato.* (c) *lib. 6.*

tutis. Nec *Basilius* [a] historicum picturarum usum damnat, sed eum tanquam utilem admittit. Ita enim ipse pictores advocat ad magnas res gestas martyris *Barlaam* depingendas: *Exsurgite nunc, o praeclari athleticorum gestorum pictores: mutilam Ducis imaginem vestro illustrate artificio & obscurius a me depictum coronatum athletam vestrae industriae coloribus conspicuum reddite.* Et alibi; *Nam bellorum tropaea, atque victorias, & historici scriptores & pictores demonstrant: illi quidem oratione rem exornantes, hi vero in tabulis depingentes, multos ad virtutem, & civilitatem excitarunt, siquidem quae historia oratione exprimit, haec tacens pictura per imitationem ostendit.* *Gregorius M.* (b) de usu imaginum historico peculiarem promittit utilitatem illis, qui legere non possunt, cum ad Serenum episcopum massiliensem sequentia scribit: *Pervenit ad nos, quod fraternitas vestra, quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem imagines confregit, atque proiecit. Et quidem zelum vos habuisse, ne quid manu factum adorari posset, laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse, iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiae colligerent, & populus in picturae adoratione minime peccaret.* Eandem

[a] *orat. de Barlaam martyre.* (b) *orat. in 40. martyres.*

dem sententiam prolixius repetit, & explicat alia ad eundem Serenum [a] epistola. Ad quae verba *Mart. Chemnitius* necessariam hanc adiicit notam: (b) *Historicum quidem imaginum usum non male describit Gregorius, nisi quod hoc considerandum est, ne existimetur, doctis proponendam esse vocem sacrae scripturae, idiotis vero, loco auditus verbi, statuas esse proponendas: apostoli enim barbaris etiam nationibus evangelium annunciarunt, non per statuas, sed viva evangelii voce. Et quicquid de instructione & commonefactione per picturas dicatur, nullo modo pictura verbo Dei scripto, praedicato, lecto, audito, & cogitato comparanda, omnium vero minime praeferenda est.*

§. IV. Et hactenus quidem de vero imaginum & picturarum usu in prisca ecclesia dictum: at nunc considerandum, quomodo sensim facta fuerit inclinatio ad religiosum cultum, & invocationem illarum. Praemittimus autem proposito nostro, quae omnium hispanarum ecclesiarum antistites de imaginibus in templis statuerunt, & quidem ante, quam illae coli inciperent. Videlicet in Concilio *eliberitano*, sub initium sec. IV sancitum fuit canone 37. *picturas in ecclesia prorsus esse non debere, neque* [alii codices habent, *ne, quod colitur, depingatur*] *quod colatur, aut adoretur, in parietibus depingi debere.* Prudenter enim iudicabant isti patres, melius esse praevenire, quam praeveniri, adeoque maturo tempore obicem ponere maluerunt cultui

[a] *lib. 9. epist. 9.* (b) *Exa. C. Tr. de imag. 691.*

tui imaginum, quem certo alias subsecuturum esse facile praevidebant. Gentilium enim exemplum illos reddebat cautos, praecipue, quod tum temporis christiani ex gentilibus conversi, difficulter veteres mores relinquerent, ita ut plures essent nomine, quam re christiani. E re ecclesiae fuisset, si omnes posteri egregium istud hispanorum episcoporum exemplum secuti, templa ab imaginibus, picturisque pura servassent: sed vix ullum, nisi unicum reperimus *Epiphanium*, qui imagines atque picturas in ecclesiis tolerare noluerit. Constat, quod cum in Palaestina, in vico Anablatha invenerit velum, pendens in foribus ecclesiae, & habens imaginē quasi Christi, vel sancti cuiusdam, illud sciderit, & abstulerit. Pendebat nempe illud velum in foribus ipsius eius tabulati, quod *βημα* seu aditum sacerdotum separabat a *ναω*, seu reliqua templi parte, quae fores, quia clathris & cancellis intercolumniis erant perviae, velo seu aulaeo obducebantur, mysteriis, dum peragerentur, occultandis. *Cum hoc*, ait, (a) *vidissem, in ecclesia Christi, contra auctoritatem scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi velum illud, & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent. Illi vero contra murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, iustum erat, ut aliud daret velum. Quod cum audissem, pollicitus sum, me daturum.*

(a) *in epist. ad Ioann. patriarch. hierosolym. t. 2. opp. Epiphan. quam Hieronymus in lat. ling. transtulit, eamq. commendat. t. II. p. m. 165.*

daturam. Nunc autem misi, quod potui reperire, & precor, ut iubeas presbyteros eius loci suscipere velum, quod a nobis missum est; & deinceps praecipere, in ecclesia Christi eiusmodi vela, quae contra religionem nostram veniunt, non appendi: decet enim honestatem tuam, hanc magis habere sollicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quae indigna est ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt. Alii autem patres tacebant, donec imaginum usus in cultum & adorationem apud simpliciores, more gentilium, degeneraret. Tum *Augustinus* tandem coepit christianos commonefacere, ne imagines adorarent, [a] *Nolite*, inquiens, *consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt &c. Novi multos esse sepulcrorum, & picturarum adoratores.* Et alibi: *Non religioni esse oportet cultus hominum demortuorum, qui nec tales quaerunt honores: honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Inprimis ad rem praesentem facit luculentus sermo *Augustini* in psalmum 113, ubi de simulacris gentium, quae os habent, & non loquuntur, tractat, & pluribus ostendit, quam inane effugium esset seu gentilium, seu hos praepostero zelo imitantium, *non hoc visibile a se coli, non simulacrum, sed signum, non effigiem, sed coli rem, cuius effigiem, signum, simulacrum intuerentur.* Hinc in praxin superstitiosam indignatio, *Augustini*, erectis in Deum solum sine effigie animis christianorum. Sub finem seculi VI incidit factum SERENI, massiliensis

(*a*) *de Moribus eccles. cathol. c. 34.*

ensis episcopi, iam ante prolatum, unde constat, coepisse christianorum ibi habitantium quosdam (a) imagines adorare, quamobrem ille iusto zelo affectus, imagines confregit, & ita penitus sustulit, exemplum Hiskiae regis [b] secutus, qui aeneum serpentem, propter cultum illi exhibitum, confringebat, contundebatque, quo facto laudem meruit immortalem. Iste itaque episcopus iconoclastarum fuit. Quem cum Epiphanio iam praeiverat Sereno Xenaias ille apud [c] Theophanem, sub finem seculi V Zenone imperante, Hierapoleos in Syria episcopus, quippe qui docuit, imagines non recipiendas, sed abolendas esse. Postea seculo VII & initio VIII non solae sanctorum imagines in templis, vel oratoriis, vel porticibus sacris collocatae, ornatus, recordationis, aut imitationis ergo; sed & illorum Imperatorum, Principum, episcoporum, patrum, vel confessuum, qui in synodis generalibus haereses profligarant. Sic Phociae & Leontiae augustorum imagines [d] iussit Gregorius M. reponi in oratorio S. Caesarii, intra palatium seu ecclesiam in viae appiae divortio a latina, quae multis acclamationibus, nec sine suffitu, ac cereis excipiebantur, gentilium more, quas hi λαυρᾶτα, vel *laureata* (e) nuncuparunt. De imaginibus Constantini, Theodosii, Iustiniani & Theodosii rem certam

Y esse

(*a*) *Vide Gregorii epist. L. 7. epist. 110. L. 9. ep. 9.*
(*b*) 2. *Reg.* 18, 4. (*c*) *Chronogr. ad Ann. 16. Zenon.*
(*d*) *Bar. ad a. 603. n. 11.* (*e*) *Spanh. hist. Imag. Sect. 1. §. 1.*

esse, iamque alias observatam ex byzantinis, refert *Frid. Spanhemius* loco infra citando. In synodo VI sub sec. VII finem habita, ablatae sunt de picturis ecclesiae illorum effigies patriarcharum, per quos [a] error monotheleticus exortus erat, CYRI, SERGII, PAULI, PYRRHI, PETRI. *Agobardus* sub initia seculi IX scripsit librum [b] de imaginibus, in quo de recepto imaginum cultu queritur, dicens: *Habuerunt namque & antiqui sanctorum imagines vel pictas, vel sculptas, sed causa historiae, ad recordandum, non ad colendum, ut v. g. gesta synodalia, ubi pingebantur catholici, veritate fulti, & victores; haeretici autem pravi dogmatis, mendaciis detectis convicti, & expulsi, ob recordationem firmitatis catholicae fidei, iuxta morem bellorum tum externorum tum civilium, ad memoriam rei gestae, sicut & in multis locis videmus. Sed nullus antiquorum catholicorum unquam eas colendas vel adorandas fore existimavit. Nunc autem error invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatriae, vel Anthropomorphitarum haeresi propinquum, aut simile sit, adorare figmenta &c.* Atque ex ea ratione depictae fuerunt in sacra porticu constantinopolitana imagines patrum, uti priorum synodorum, ita VI synodi, contra monotheletas convocatae. Bardanes autem Imperator, fautor monotheletarum, picturam istam huius VI concilii e basilica abradi iussit, reliquasque synodorum universalium, impulsu Iohannis constantino-

(a) *Anastas. in vita Agathon. papae.*
[b] *ex edit. Steph. Baluzii cap. 32.*

nopolitani patriarchae, atque earum imaginum loco reposuit illas HONORII, & SERGII monothelerarum, eorumq; qui cum iis eiecti fuerant, si veteribus quidem Actis in tom. 6. Conciliorum tuta fides est habenda. Hinc nata fuit indignatio Constantini pontificis, non modo restituentis in basilica Petri, habita Romae synodo, votaream, (vel pancaream, ut alii substituunt, scil. omnem vultum repraesentantes) sex continentem universales synodos, ut habet *Anastasius*, sed etiam diris devoventis Imperatorem Bardanem, haereseos praetextu, decernentisque, ne imago eius, ut assueverat, in templum (a) inferretur. Nec contentus pontifex, erexisse in basilica imaginem, quae universales synodos exprimeret, addidit decretum aliud, quo omnes, qui sanctis imaginibus venerationem, constitutam ab ecclesia, denegarent, [b] damnantur. Mox in oriente detractam a Bardane tabulam restituit *Theodosius*, Isauri antecessor, ut *Ado*, *Petrus* diaconus, aliique testantur. Ex facto autem illo Bardanis, & Constantini pontificis, non dissensiones tantum, sed horribilia, & quidem cruenta certamina orta sunt, quorum integram historiam persequi non est nostri instituti: eam vero dedit celeberrimus *Spanhemius* libro citato.

§. V. Paucis notamus, missa de monothelismo controversia, illam de imaginibus, earumque veneratione seu cultu religioso paulo post

 magno

(a) *Ita Sigonius.* (b) *ap. eundem.*

magno fervore agitatam fuisse, progressumque habuisse sub Leone III Isauro, qui Imperator factus a. 716. & *iconomachus* vel *iconoclasta* fuit dictus. Alii in oriente defenderunt, nullas omnino in templis imagines collocandas, multo minus deferendam illis *προσκυνησιν* seu adorationem prostrato corpore, quippe Saracenis vicinis tanto scandalo existentem: alii autem qui Constantino romano papae adhaerebant, imaginibus multiplicandis, colendisque omni studio incumbentes, suam praxin defendebant. Successit quoque ex Constantini in Bardanem Philippicum anathemate aliud malum: nempe occasio exinde dabatur, rebellandi in Imperatorem, res novas molientem, & haereseos crimine damnatum. Deinde auxit dissidia factum Gregorii II P. R. Constantini successoris in Leonem Isaurum Imperatorem, quippe qui exemplo antecessoris motus, anathematis fulmen in Leonem vibravit, propter imaginum reiectionem, sicut Bardanes Philippicus propter monothelismum, cui favebat, a Constantino P. R. anathemate percussus erat. Totius autem controversiae nervus non tam is erat, quod *Leo Isaurus* omnem usum imaginum simpliciter reiiceret, quam potius, quod cum imaginum usu historico iungerent quidam in oriente, & romanenses omnes, illarum adorationem & venerationem. *Damascenus* enim diserte de adversariis suis scribit: *Exprobrant nobis, προσκυνεσι.*

κυνῶσι, καὶ τιμῶσι, seu quod adoremus, & veneremur Christi, Mariae, & reliquorum sanctorum imagines. Constantinus etiam Gregorius II, & sequentes romani pontifices in suis synodis & epistolis, contra graecos Imperatores decreverunt, imagines veneratione cultus, & adorationis prosequendas. Quare in graecis synodis adversarii iconolatrae dicti sunt, & ipse Leo Isaurus adorationem imaginum dixit idololatriam, *Zonara* teste, & ut illam tolleret, omnes statuas ex templis congestas concremavit, picturisque abrasis, parietes dealbavit. Leoni autem patri succedens *Constantinus* filius, romanae synodo opposuit aliam circa A. D. 755. in qua non tantum adorationem imaginum, sed ipsas simpliciter imagines damnarunt, ut quas nullo modo, & in nullum usum, etiam extra casum cultus & adorationis vel facere vel habere liceat. Durabant huius concilii constantinopolitani decreta in Graecia usque ad *Irenen* Imperatricem: haec enim spe retinendi vel recuperandi in occidente imperii, quaesivit reconciliationem cum romanis pontificibus, & anno imperii sui sexto convocavit synodum Constantinopolin, quae vero per tumultum impedita, anno sequenti instaurata fuit, & quidem Nicaeae, unde *nicaenum* Concilium II audit, in quo imagines reductae fuerunt tam ad usum historicum, quam ad cultum, omnibus adulatione, aut vi oppressis, qui contradicere auderent. Factum hoc fuit circa A. D. 788. *Carolus M.*

eo, quod gestum erat, audito, valde indignabatur, & convocavit Francof. ad Moenum concilium uti ob controversiam adoptianam, ita & propter causam imaginum. Praeses erat Carolus cum assessoribus 300. fere episcopis ex toto occidente, & decernebatur non tantum damnatio sententiae Adoptianorum; sed & imaginum adoratio reiiciebatur, ipsaque synodus nicaena II, quae illam definiverat. In oriente etiam post Irenen, pessimam mulierem ab imperio deiectam, sub Leone armenio, aliisque Imperatoribus, iconomachis faventibus, iconomachi caput rursus extulere, donec a. 843. iterum iconodulia seu imaginum cultus, ope Theodorae, ex matre iconodula superstitiosissima nata, triumphare coepit. Constat enim naturalis quaedam sexus propensio ad superstitionem, & ad ea, quae sensus afficiunt. Attamen, ut expressis verbis *Cedrenus* (a) refert, restitit initio huic Instituto, aliorum argumentis opponens mariti in imaginum cultu proscribendo circumspectionem, qui nihil fecisset ἀπερισκέπτως, sed summa cum accuratione, iuxta leges, & S. scripturas, commota quoque religione iuramenti, quo fuisset Theophilo obstricta, & extremis sui coniugis vocibus. Tum vero Manuel, dux legionum, magister & Δομέστικος seu procurator, comes, praefectus ordinum militarium, ad minas, ut terreret feminam, confugit. Interminatus nempe illi est subitaneam subversionem, qua & vita & imperio excideret; unde per-

(a) p. 534. 535.

perterritam eam fuisse, *Cedrenus* & *Curopalates* testantur. Eiusmodi ergo fraudibus atque minis introducta rursum fuit iconodulia. Eodem enim adhuc anno 842 Constantinopoli concilium fuit indictum, in quo confirmata est *nicaena* synodus, haeresis inconoclastarum damnata, & sacrae imagines ad eam venerationem, quae olim eis debebatur, [a] reductae. Et ab his temporibus iconodulia in Graecia permansit ex iusto Dei iudicio: variae enim postea de aliis rebus oriebantur controversiae, quae impedimento erant, quo minus nova cura de veteri susciperetur. Praeterea iconolatrae rerum quaquaversum potiebantur: hinc quisque iconomachus meticulosus erat, atque neminem sibi infensum reddere volebat. Vnde ipse Photius episcopus, vir alioqui haut superstitiosus, cum permultos sibi iam infensos haberet, tandem ex metu a. 859. ad Nicolaum P. R. scribens, iconomachos damnavit, quodq; nicaenam pseudo synodum, tanquam septimam, in libro *de synodis* laudaverit. Synod9 ad versus Photium decennio post coacta Constantinopoli a. 869, valde occupata fuit in anathematis vibrandis in omnes iconomachos, inde ab Isauricis temporibus, synodusque VII confirmata. Nihilominus observatur non unum Graecorum a Latinis circa imaginum cultum discrimen. Primo enim Graeci non ferunt (b) in ecclesiis sculpta simulacra, statuasve, seu sculptas, seu fusas,

(a) *Ita libell. synod.* (b) *Mimatens. Ration. l. 1. c. 3. §. 2*

cuiuscunque materiae, utpote prohibita lege Mosis & ad gentium idololatriam pertinentia, solis admissis (a) imaginibus pictis, quae ex coloribus, vel ex tessellis, aut si quae alia conveniens materia. Secundo in confesso est, neque synodum nicaenam II, neque subsequentes in Graecia ullas, probasse imagines Dei invisibilis & incomprehensibilis, aut S. Trinitatis. (b) Tertio, quocunque *ασπασμω* imagines alias venerentur Graeci, solam *προσκυνησιν*, quae cum genuflexione fit, adscribunt imaginibus [c] Christi, interdum & *της Θεοτοκȣ*. Quarto honorem etiam imaginibus exhibendum, non alium esse volunt, quam qui exhibetur vasis sacris, libris evangeliorum, vestimentis, aedificiis Deo sacratis, quo saepius videntur respicere argumenta nicaenorum [d] patrum, quanquam rudiores in praxi saepe a doctrina aberrent, & inprimis Russi, quos imagines venerari ut deos, eosque sic etiam nuncupare, *Olearius* in Itinerario retulit. Prudentiores autem Graeci ut plurimum labris osculantur imagines, nec aliud voluisse nicaenos patres, dicunt.

(a) *Act. nic. t. 8. col. 555.* [b] *Maimburg. ex actis nicaenis. Dallaeus l. 4. de imagin. ad fin.*
[c] *Edvvinus Sandis de statu eccles. orient. c. 42.*
(d) *Spanhem. lib. cit. sect. 6. & 7.*

CAP. III.

Sacella, oratoria, templa super aut iuxta sepulcra martyrum praecipue sunt extructa.

In

§. I.

IN actis Fabiani sub Decio martyrium passi haec leguntur (a): *Hic multas fabricas per coemeteria fieri praecepit.* Postquam enim ille sub imperio Maximini ordinatus erat, & persecutio ista brevissima praeterierat, pacato tempore commotus, aedificia quaedam minora super coemeteriis erigi curavit, in quibus sacra eo commodius celebrari possent. POLYCARPI sepulcro prope Smyrnam sacellum superstructum fuit, quod hodienum videtur: nam ad conservationem ac emendationem illius, viatores in terreum vasculum, quot volunt nummos iniicere solent, quod eum in finem semper ibi est [b] positum. *Petrus* cognomine *venerabilis* qui Romae fuit a. 1145 & 1150, confirmat, se tum frequenter suis oculis vidisse in cryptis antiqua (c) oratoria. Vnde apparet, in ipsis coemeteriis subter terram, exigua quaedam aedificia olim exstructa fuisse, & quidem temporibus persecutionum id factum, sec. nempe II aut III, non est, quod dubitemus. Tum enim saepissime conventus in coemeteriis habere coacti fuere christiani, de quo veterum in coemeteriis conveniendi more multis agit (d) *Onuphrius Panvinius*, & testimonia infra citata (e) testantur.

§. II. Successu temporis, & pace sub Constantino affulgente, magna atque ampla

Y 5 oratoria

[a] *Apud Damasum.* (b) *Th. Smith de VII. Asiae ecclesiis p. 164. Cave Antiqu. PP. P. 1. p. 275.*
(c) *apud Baron. t. 12. annal.* (d) *de coemeteriis c* 11.
(e) *Tertullian. ad Scap. c. 3. Eus. H. E. l. 7. c. 11. l. 9. c. 2.*

oratoria seu templa sepulcris martyrum imposita fuere. Non equidem hoc volo, nullum templum erectum fuisse alibi, nisi supra aut iuxta sepulcra sanctorum; aliud enim vel sola illa, quae Constantinopoli a Constantino exstructa fuere, [a] ostendunt, quippe ubi nondum erant martyrum reliquiae positae; sed haut raro ita factum esse sentio, idque sequentibus confirmatur exemplis. *Carthaginienses* duas ecclesias in memoriam CYPRIANI aedificarunt, alteram in isto, ubi martyrium passus erat, loco, alteram [b] in loco ipsius sepulturae. THEODORI martyris sepulcro maius aedificium, ornatissimumque, splendidi instar templi, superaedificatum fuisse, *Gregorius* [c] nyssenus memoriae prodidit. Ipse *Constantinus* M. iuxta Servatoris nostri monumentum, quod Hierosolymis exstat, οἶκον εὐκτήριον seu domum orationis ingentis amplitudinis, atque incomparabilis pulcritudinis extruendum curavit, tanquam salutiferae (d) resurrectionis testimonium. An vero idem sepulcra PETRI & PAULI basilicis seu templis circumdederit, ex Eusebio non constat; quanquam is fatetur, cum omnibus in provinciis praecipuas quasque urbes oratoriorum magnificentia illustrasse, unde & Romae ab ipso quaedam fabricata fuisse, non dubitandum. Super

[a] *de vita Constant. l. 4. cap. 40.*
[b] *Victor uticens. de persecut. Vandal. l. 1.*
(c) *orat. in laud. eius.* (d) *Eus. de vita Constant. l. 3, cap. 29. & 31. & 33. & 40.*

per sepulcris autem Petri & Pauli ea tum extructa fuisse, romanenses ex actis *Silvestri* & M. S. vaticano *Caeciliae*, dein ex antiquo sermone de basilicae lateranensis dedicatione, nec non ex M. S. quod in eiusdē basilicae archivio servetur, probare contendunt; unde ex illis *Aringus* (a) sequentia de Petri basilica proferre non dubitat: *Verum praecipua inter templa, quae pius Imperator condidit, vaticanum in primis extitit, quod super ipsum principis apostolorum sepulcrum, nec non reconditas ibidem sanctorum in ordine pontificum, ac martyrum reliquias mira operis celebritate excitavit. Dignissimus enim Imperator die octavo post suscepta baptismatis aquae sacramenta supplex ad b. Petri confessionem accedens, ibidem imperiali deposito diademate regia exutus chlamyde, humi provolutus, ubertimis undique perfusis lacrymis, Deum altissimum exoravit, persolutisque humiliter votis fabricae protinus incohandae omnium primus manus admovit, siquidem sceptri vice, quod paulo ante deposuerat, ligone ad eruendam, humum sumto, in sanctorum duodecim apostolorum honorem duodenos terrae cophinos sua manu e fundamentis egessit, quos devotionis gratia non iam Imperatorem, sed vilem baiulum agens, suis inde humeris asportare, ceteris in hoc Principibus gloriosiori hanc erubuit.* Hactenus *Aringus*. Dubito autem valde de veritate saltem quorundam eorum, quae iam is enarravit. Primo enim, si illud in Petri sepulcro extructum templum omnium fuit praestantissimum, quomodo credendum, Eu-

[a] *Roma Subt. L. 2. c. 6.*

Eusebium id silentio voluisse praeterire, cum alia minoris praestantiae recensuit? Deinde, aut *Eusebius* falsa retulit, aut romanensium istorum scriptorum auctores mendacii sunt accusandi: posterius facilius credendum, quod de auctoritate illorum scriptorum non satis constat, adeoque pari cum Eusebio auctoritate non pollent. Ita autem *Eusebius*, scriptor Constantino coaevus: (a) *Constantinus, extrema sibi imminere sentiens, ad suburbana Nicomediae digressus, convocatis episcopis sacrum baptismum desideravit, quem statim accepit. Statim autem post baptismum in lecto recubuit, candidis ac regiis vestibus, lucis instar radiantibus amictus. Deinde tribuni illius, atq; duces accessere, dolorem de infirmitate ipsius contestantes, longioremq; ipsi vitam apprecantes.* Paulo post addit, eum ibidem, nempe Nicomediae, spiritum exhalasse? Quodsi ergo *Nicomediae* obiit Imperator, & quidem cum iam aliquot dies ibi infirmus in lecto decubuisset, quomodo octo ante obitum dies potuit Romae fuisse, & ibi ista, quae ferunt, peregisse? Quam ob causam illi, qui Constantino extructionem basilicarum Petri & Pauli tribuunt, statuant necesse est, illum non octo, sed plures ante obitum dies illas aedificari iussisse, cum Romae, ubi tum eum adfuisse volunt, praesens fuerit: aut prorsus sententiam suam derelinquere, & romanorum pontificum alicui extructionem dictorum templorum adscribere debent: multa enim hos ipsos

(a) *De V.C. l.4.c.61.62.63.64.*

ipsos templa erexisse, & illa ethnicorum in usum christianorum dedicasse, atque vetustate collapsa instaurasse, ex *Platina* de Vitis pontificum satis constat. Nolumus enim prorsus negare, oratoria in sepulcris Petri & Pauli iam sec. IV erecta fuisse; siquidem *Optatus* milevitanus non obscure id videtur indicare, quando (a) scribit: *Ad Petri memoriam non accedit, quasi schismaticus, contra apostolum faciens, qui ait: Memoriis sanctorum communicantes. Ecce praesentes sunt ibi duorum memoriae apostolorum, dicite, si has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi sanctorum memorias esse constat?* Vbi per *memorias* ille non sola apostolorum sepulcra, sed aedes super illis in memoriam illorum aedificatas intelligere videtur. Clarius *Hieronymus* de existentia basilicarum apostolorum Petri & Pauli loquitur, his contra Vigilantium verbis utens: *Male facit ergo romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, & favilla nescio quae iaceat linteamine convoluta.* Et paulo ante: *Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum basilicas ingredimur.* Quam clarissimum autem *Prudentius* testimonium de illis edit, earumque constructionem ipsi Con-

(a) *lib. 2. contra Parmenianum.*

Constantino M. attribuere non dubitat, ita canens de Petro & Paulo. (a)

Dividit ossa duum Tybris, sacer ex utraque ripa,
inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
canens oliva, murmurans fluento;
Parte alia titulum Pauli via servat ostiensis,
qua stringit amnis caespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, Princeps bonus has sacravit arces,
lusitque magnis ambitum talentis.
Bratteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
lux esset intus, ceu iubar sub ortu.
Subdidit & parias fulvis laquearibus columnas,
distingvit illic quas quaternus ordo.

Haec de basilicis Petri & Pauli dixisse, sufficiat. Porro huc pertinet, quod legitur apud *Gregorium M.* (b) de quadam ecclesia super sepulcro martyrum PROCESSI & MARTINIANI, iam Gothorum tempore aedificata. *Ado* in Martyrologio (c) memorat, Marcum pontificem a. 336. romanum, in coemeterio BALBINAE via ardeatina ecclesiam extruxisse. *Hieronymus* (d) meminit, sepulcrum quondam MICHEAE prophetae nunc ecclesiam existere. Ex his ergo & testimoniis & exemplis, mos sepulcris sanctorum imponendi basilicas constat. *Basilicas*, inquam, nam

(a) *Hymn. 12. Perist. de pass. Pet. & Paul. p. 441. & seq.*
[b] *Homil. 32. in cap. 16. Matth.*
[c] *Nonis Octobr. & Anastas. in Marci gestis.*
[d] *Ad Eustach. in epitaph. Paulae t. 1. p. 175.*

nam ita apud (a) *Eusebium*, *Hieronymum* (b) & sequentium seculorum scriptores saepe audiunt ista christianorum templa, quam denominationem *Amalarius* (c) ex Isidoro sic explicat: *Basilicae prius vocabantur regum habitacula, unde & nomen habent; nunc autem divina templa ideo basilicae nominantur, quia ibi regi omnium Deo sacrificia, & cultus offeruntur.* Dicebantur eadem quoque [d] *martyria*, non tantum idcirco, quod martyrum cineribus imposita erant, sed & quod in eorum memoriam erant aedificata: quam posteriorem rationem ipse reddit *Eusebius*, cum templa Constantinopoli a Constantino extructa, martyria appellasset. Ipsius autem Servatoris monumento extructa basilica, ab *Eusebio* (e) vocatur *martyrium*, & *magnum martyrium* a *Sozomeno*, (f) quod ea iuxta istũ locum erecta erat, in quo sanctissimum sanctissimi corpus tres dies, & totidem noctes quieverat. Ceterum non super martyrum tantum, sed & confessorum tumulos erecta quandoque templa fuisse, ex *Theodoreto*, & *Sozomeno* constat: ille enim (g) loculo Zebinae monachi maximum templum inaedificatum scribit, hic de Nilamnone monacho agens, (h) dicit, *Templum super eius sepulcrum indigenae construxerunt.*

§. III.

(a) *De V.C. lib. 3. cap. 31.* [b] *Contra Vigilantium.*
(c) *lib. 3. de eccles. offic. c. 2. Strabo de reb. eccles. c. 6.*
(d) *Euseb. de V. C. l. 3. c. 48.* [e] *lib. 4. c. 47.*
(f) *H. E. l. 2. c. 26.* [g] *In histor. relig. c. 24.*
(h) *H. E. lib. 8. c. 19.*

§. III. Praeterea, quae de templis martyrum sepulcris impositis diximus, sciendum, eadem quoque de martyrum nominibus nuncupata fuisse, nec tantum illa, de quibus sermo fuit, sed & quae locis martyrum corporibus vacuis sunt extructa. Sic e. g. Romae audiebant quaedam basilicae *Petri*, & *Pauli*, & alia dicebatur ecclesia *Laurentii*, quam Damasus exornasse (a) fertur. DIONYSII alexandrini, qui obiit a. 265 memoria, Alexandriae conservabatur per ecclesiam, nomen illius (b) gestantem. *Constantinus* M. Constantinopoli sacris extructis oratoriis martyrum memoriam (c) honorasse dicitur: id vero sine impositione nominum horum & illorum martyrum fieri non potuit; quamvis nulla sub istis martyrum corpora recondita essent. Mediolani erat sec. IV ecclesia S. FAUSTAE, [d] Carthagine ecclesia (e) S. CYPRIANI. Sec. V Antiochiae aedes [f] S. IGNATII, Chalcedone templum martyris EUPHEMIAE [g] erat. Et quid in re hodieque manifesta pluribus opus est, argumentis? Id ergo potius curamus, ut nobis innotescat finis, atque ratio, cur prisci christiani sepulcris martyrum templa extruxerint, aut nomina eorum illis imposuerint.

§. IV. Generalis itaque causa fuit haec, ut

[a] *in vita Damasi.* (b) *Epiph. haeresi 69.*
(c) *Euseb. de V. C. l. 4. c. 48.* [c] *de V. C. l. 4. c. 48.*
(d) *Vid. vita Ambrosii.* [e] *in vita eius.*
(f) *Evagrius H. E. l. 1. c. 16.* (g) *Idem lib. 2. c. 3.*

ut martyrum memoriam prae reliquis mortalibus honorarent, ut *Eusebius* (a) loqui amat; non vero, ut in honorem, aut cultum martyrum cedere, seu martyribus consecrata esse deberent. Removet enim hanc persuasionem, tanquam falsissimam, *Augustinus*, [b] quando pronunciat: *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei.* Et [c] alibi: *Nos martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* Quod ab initio extructionis templorum a Constantino probe observatum fuisse, *Eusebius* (d) docet, inquiens: *Et templa uni omnium Deo, atq; universarum rerum domino dedicanda, consecrandaque curavit; unde etiam Dominici vocabulo honorata sunt: non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita, dum κυριακα sunt appellata.* Ita & *Gregorius* Nazianzenus (e) de patre suo scribit: *Hoc templum Deo extruxit* [in cultum,] *& nobis* (in usum.) *Augustinus* (f) ingens idololatriae peccatum existimat, si templa ulli creaturae erigantur: *Nonne*, inquit *si templum alicui sancto, angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizare-*

[a] *de V. C. l. 4. c. 48.* [b] *de civit. dei lib. 22. cap. 27. vid. Vita Ambrosii.* (c) *lib. 22. c. 10.* (d) *Orat. de laud. eius c. 17.* (e) *Orat. 19. in patris obitu p. 313.* [f] *t. 6. contr. Maximin. l. 1. f. 149.*

tizaremur a veritate Christi, & ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni tantum debetur Deo. Sozomenus quidem nonnullas sec. V basilicas *in honorem martyrum* constructas refert, *ut* IOHANNIS baptistae [a] a Theodosio, & THYRSI martyris (b) a Caesario; sed posteriori loco addit, *Deo* aedificavit, & quamvis priori loco dicat, *in honorem Iohannis*, tamen antea (c) de eadem hac basilia dixerat, quod *in honorem Dei* aedificata sit. Latius itaque hanc phrasin sumit Sozomenus, non, ut idem sit, ac in cultum martyrum, sed in honorem memoriae illorum ecclesias aedificatas esse. *Evagrius* liberius incipit loqui, ita, ut hac phrasi utatur, *martyri erigere templum*, quando [d] refert: *Zenonem*, a. 478 *imperio restitutum, amplissimum templum opibus ac venustate eximium, protomartyri Theclae in urbe Isauriae Seleucia dedicasse, multisque donariis exornasse, postquam illam martyrem vidisset in somniis, & restitutio imperii ab illa sibi promissa esset.* Sed quid mirum, hunc scriptorem ita loqui? utpote qui vixit Sec. VI, quo nonnulli sanctis aedificare ecclesias iam inceperant, prorsus contra veterem consuetudinem, quae non nisi soli Deo extruebat templa, uti paulo ante fuit commonstratum. Attamen crediderim, Imperatorem iam dictum pro more seculi V, in quo vivebat, non nisi in memoriam Theclae illud templum extruxisse, nam

(a) *H.E.l.7.c.24*
[b] *l.9.c.2.* (c.) *l.7.c.21.* (d) *H.E.l.3.c.8.*

nam citata Evagrii verba hunc etiam sensum sine coactione admittunt. Specialior huius veterum placiti ratio fuit, ut testarentur, se cum defunctis martyribus eandem fidem usque ad mortem tueri velle, & ut ad hanc fidei constantiam eo magis excitarentur. Quoties enim in illis martyrum templis sacri conventus habebantur, prisci fideles martyrum Deum, & dominum Iesum Christum invocabant, sepulcra autem martyrum, oculis fidelium obvia eos monebant de constantia istorum, quorum corpora ibi quiescebant, in confessione fidei, ut ad virtutum eorundem aemulationem instigarentur. Ita enim *Chrysostomus* sentit: (a) *Post sermonis facultatem, ipsa certe sanctorum sepulcra proximum locum obtinent, ad animos hominum in ipsos sanctos intuentium ad virtutum earundem aemulationem excitandos.* Ceterum mos fuit, ut ingressuri templa, in apostolorum & martyrum memoriam extructa, ante ingressum, ad limina procumberent, atque postes deoscularentur. *Prudentius* enim ita (b) canit:

Ipsa, & senatus lumina,
quondam Luperci, & Flamines,
apostolorum & martyrum
exosculantur limina,

Et *Fortunatus* episcopus pictaviensis sec. VI de basilica, quae Ravennate extabat, ita pronunciat:

Rursus Apollinaris preciosa limina lambe
fusus humi supplex &c.

Z 2 CAP.

(a) *lib. de Babyla contra gentiles.* (b) *Peristeph. hym. 2. de pass. Laurentii p. 222. & seq.*

CAP. IV.

Altaria iuxta aut supra sepulcra sunt extructa.

§. I.

Gentiles solebant aras supra sepulcra extruere, ut super illis victimas diis offerrent, quod ut quotannis fieret, quidam paulo ante obitum suis (a) iniunxere. Christiani gentiles imitati quidem sunt in aris ad sepulcra erigendis, verum in usum precum & sacrae coenae illas posuere. Non autem deprehendi, tribus prioribus seculis illud in usu fuisse; etenim ipsi gentiles tum temporis obiecerunt christianis altarium defectum, ut *Celsus* epicureus (b); *Caecilius* apud Minucium Felicem (c), & ipse [d] *Iulianus*. Nec vero ideo patres falso accusarunt gentiles, sed concesserunt illis talem obiectionem, veluti ex responsione, quam Octavius (e) dat Caecilio, patet, hac nempe: *Putatis, nos occultare quod colimus, si delubra, & aras non habemus?*

§. II. Ista itaque antiquorum altarium rudera, quae profert [f] *Aringus*, ad tria prio-

(a) *Kirchm. de F. R. lib. 4. cap. 2. Pompon. Mela lib. 1. de Africa min. Valerius maxi. l. 1. c. 6. Salust. de bello iugurth. Seneca epist. 66.*

[b] *Orig. lib. 8. contra Celsum. t. 2. p. 794. edit basil.*

[c] *p. 8.* (d) *Apud Cyrill. alex. l. 9. contra Iulian.*

[e] *Ap. Minuc. Felic. p. 26.*

(f) *R. S. l. 2. c. 22. n. 8.*

priora secula non referenda esse, necessario sequitur. Refert enim ille, a Bosio in portuensis viae coemeteriorum aliquo reperta esse rudera perantiqui cuiusdam altaris, ut ex sequentibus illius verbis (a) clarius patebit: *Ad extremam descensus in coemeterium, in interiori parte situm, partem, perexiguum reperitur sacellum, arcuato desuper fornice, altitudinis palmorum sex, totidemque latitudinis, profunditatis vero palmorum circiter trium, ubi sacrum altare extat, & super ipsum in parietinis gemmata crux coloribus expressa exhibetur, ex qua pictae pariter hinc inde pulcherrimae geminant rosae: in externa autem parte supra sacelli arcum, quod protenditur, picta itidem in pariete S. Iohannis baptistae, Christum baptizantis in Iordane, historia exprimitur.* Alibi (b) refert: *In coemeterio a Bosio via appia reperto, arcuata monumenta, e marmoribus affabre compacta, & sacelli ad instar seu altaris expolita videre est, quae ad sacra peragenda mysteria, supra ipsamet beatorum martyrum corpora extructa olim fuisse, antiquissima, ac laudabilis ecclesiae consuetudo, quae illis potissimum temporibus viguit, facile intuentibus suadere videtur.* Alibi (c): *Porro in eorundem monumentorum in catacumbis ambitu marmorea quaedam hinc inde sedilia porriguntur, in quorum media parte pontificalis, ac memorea sedes vetustissima extat, in qua summi, ac sanctissimi olim pontifices (uti veneranda piorum hominum traditio fert) considebant, dum funesta illa persecutionum tempe-*

(a) *l. 2. c. 12. n. 8.* (b) *l. 3. c. 22. n. 7.* (c) *l. 3. cap. 12. n. 4. 5.*

ra ingruerent, in reliquo autem sedilium ambitu sacerdotes, qui pontifici adstabant, ac romanum insuper clerum, tunc potissimum temporis, cum sacrae ibidem synaxes peragerentur, sedisse, pie utique ex ipsius loci prospectu existimandum est. Marmoreum e regione ipsius pontificiae sedis altare quoddam, & quidem vetustatem redolens, adhuc cernitur, super quo haud ab alio, praeter romanum pontificem, missae sacrificium celebrari consuevisse, ex accepta item inolitaque apud posteros traditione accepimus. Hactenus Aringus, qui nec ipse audet certo venditare antiquitatem illorum altarium ad tria priora secula referendam esse.

§. III. Loco altarium autem veteres primis ecclesiae Christi temporibus mensis usi sunt ligneis, in quibus sacramentum eucharistiae dispensabatur, exemplo Christi & apostolorum, utpote, qui in privatis domibus, & sic in mensis ordinariis panem fregere; ad quem mensarum usum apostolus (a) respiciens ait: *Non potestis mensae domini particeps fieri, & mensae daemoniorum.* Consentit *Baronius* [b], quando easdem tunc fuisse mensas sacras, quae comunes erant, adserit. Nec conditio priorum temporum lapidea seu fixa altaria admittebat, cum christiani modo in aedibus privatis, modo locis vacuis, sylvis, navibus, & in coemeteriis subterraneis (c) cogerentur sacra celebrare, mensas autem poterant secum ferre, quocunque volebant. Quapropter

(a) 1. *Cor.* X. 21. [b] *Annal. ad A.* 34. *n.* 284.
(c) *Euseb. H. E. l.* 7. *c.* 22.

propter & post apostolorum tempora, locus a veteribus, in quo sacra eucharistia administrari consuevit, saepe dicitur *mensa*, (non tamen quandocunque vox haec occurrit, semper mensa lignea, nunquam fixum altare lapideum intelligendum] & quidem ad differentiam, *coelestis* (a), *divina* (b), *mystica* (c), *regia* [d], *sacra* (e), *terribilis* (f), & tandem *altare* (g), non quod arbitrarentur, mensam illam vere esse altare, sed quia in ea exhiberetur sanctissimum Christi corpus in commemorationem eiusdem in ara crucis semel oblati. Seculo adhuc IV. mensarum usus in conventuum locis obtinuit, teste *Athanasio* [h] his verbis: *Subsellia, thronum, mensam, utpote quae lignea erat, combusserunt*; ethnici nempe & Ariani. Adde *Augustinum*. (i)

§. IV. Quamvis autem sec. IV in multis ecclesiis consuetudo veterum servaretur, tamen in quibusdam, & celebrioribus forsan, de lapide altaria sunt constructa; quod *Gregorius* (k) nyssenus huius seculi scriptor his indicat verbis:

Z 4 *Nam*

(a) *In liturgia Iacobi.* [b] *a patribus nicaenis.* (c) *apud Chrysost. hom. 6. ad popul.* (d) *ibidem.* (e) *ap. Nazianz. Homil. in I. Cor. 11.* (f) *ibidem.* (g) *Tertull. de oratione cap. 14. & lib. ad uxorem cap. 7. Cyprian. epist. 66. Optatus Milevitanus. l. 6. contra Parmen.* (h) *t. 1. epist. ad solitar. vitam agentes.* [i] *Augustinus tract. 26. in Iohan. & epist. 50. ad Bonifacium*; *item lib. 3. contra Crescentium cap. 43.*

(k) *Orat. in baptismum Christi.*

Nam & altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est, natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur. Et Chrysostomus: (a) *Hoc altare natura quidem lapideum est, sanctum autem efficitur, quando, & quoniam corpus Christi recipit.* Plerique scriptores dicunt a SILVESTRO sec. IV pontifice romano fuisse constitutum, ut altaria lapidea essent, sed *huius*, ut *Bona* [b] notat, *decreti nulla mentio apud antiquos reperitur.* Concilium autem *epaunense* anno 509 habitum statuit cap. 26, ut *altaria, nisi sint lapidea, infusione chrismatis non sacrentur.*

§. IV. Vt autem nunc ad scopum redeamus, altaria martyrum, aut sanctorum reliquiis superimponere sec. IV & seqq. coeperunt christiani. Nam cum sub Constantino M. frui esset licitum, ubique pro arbitrio Christo erigere non tantum templa, sed & altaria, in iis praecipue locis voluerunt illa erigere, in quibus sacra martyrum pignora sepulta iacebant, quoniam ista loca videbantur iis ceteris religiosiora, & ad sacra in illis peragenda, precesque fundendas aptiora: hunc autem in finem illa erigebantur, ut eucharistiam in illis celebrarent, aut saltem preces funderent. De Felice I P. R. & hoc sec. IV florente sic scribit *Anastasius*: *Hic constituit supra sepulcra, aut memorias martyrum missas celebrari*: ergo & mensae super illis ponendae, aut altaria erant erigenda. *Prudentius*, lo-

co,

(a) *Homil. 20. in 2. ep. ad Corinth.* (b) *Rer. liturg. l. 1. c. 20.*

co, in quo repositum fuit S. martyris Hippolyti corpus, descripto, ita canit (a):

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
propter ubi adposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
custos fida sui martyris adposita,
servat ad aeterni spem iudicis ossa sepulcro,
pascit item sanctis tybricolas dapibus.

Plura loca ex eodem auctore hunc morem confirmantia in Annot. citantur. Concinit Prudentio *Paulinus* [b], qui vixit inchoante sec. V:

Spectant de superis altaria tota fenestris,
sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem;
namque & apostolici cineres sub coelite mensa
depositi, placitum Christo spirantis odorem
pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

Constantinus M. basilica Romae in parte illa coemeterii, quae Petri corpus continebat, constructa, vetus ipsius sepulcrum aere cyprio circumdari, & omni ex parte muniri iussisse, *desuper* autem *altare lapideum* erexisse dicitur, cui ciborium quoddam argento & auro, gemmisque fulgentibus ornatum superaddiderit, & donaria quam plurima (c) obtulerit. *Hieronymus* adversus Vigilantium: *Male ergo facit romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli*

Z 5

(a] *Perist. hym. 11. vers. 170. Conf. hym. 3. v. 210. p. 244. hym. 4. v. 190. p. 260. hym. 5. v. 515. p. 293.*

(b) *Natali 9. S. Felicis.* (c) *Aringus l. 2. c. 6. n. 3. ex actis Silvestri.*

Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. *Augustinus* [a] ait: *In memoriis martyrum constituimus altaria.* Per memorias autem martyrum hoc loco nihil aliud, quam illorum sepulcra intelligit. Post Ambrosii obitum anno secundo, h. e. a. 399. in concilio carthaginiensi III, alias V, can. 14. sancitur, *ut omne altare subvertatur, sub quo neque corpus, neque reliquiae martyrum iaceant.* Verum patres huius synodi non de omnibus omnino altaribus loquuntur, sed tantum de illis, quae passim per agros tumulis martyrum imposita inscribebantur, nec tamen veri alicuius martyris reliquias [b] sub se continebant. Vsus autem altarium huiusmodi, quamvis initio in precibus, & eucharistiae participatione consisteret, tamen postmodum, cum ubique iam templa essent constructa, in concilio *braccarensi* a. 572 patribus placuit ita sancire: *Non oportet clericos ignaros & praesumtores super monumenta in campum mysteria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia aut in basilica, ubi martyrum reliquiae sunt depositae, ibi pro defunctis oblationes offerri.* *Caspar Barthius* huius consuetudinis hanc (b) praebet rationem: *Altare illud, in quo sacris mysteriis fruebantur, martyrum reliquiis superaedificare in more habebant, ut, quod superne consecraretur divino sacramento infra sanctorum ossibus fieret venerabile.* Sed

(a) l. 20. contra Faustum Man. c. 21. Sozom. l. 5. 8. (b) Vid. his can. 26. de consecrat. distinct. 1. (c) Advers. lib. 44. c. 11.

Sed audiamus hac de re incertum quidem auctorem, at antiquum, cuius sermo in festo Innocentum inter *Augustini* opera reperitur, & sequentia (a) continet, quae huc spectant: *Convenienter, & quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut, qui propter mortem eius mortui fuerant, sub sacramenti eius mysterio requiescant. Non immerito, inquam, consortio quodam occisis tumulus illic constituitur, ubi occisionis dominicae membra ponuntur; ut, quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. Ambrosius* (b) scribit, locum sub altari deberi martyribus, ut qui Christi, cuius corpus & sanguis in altari, redemti sint passione. Ceterum ista altaria non martyribus, sed soli Deo martyrum, quamvis in memoriam martyrum, constituebantur, eodem hipponensi episcopo [c] testante.

§. VI. Occasione hac de loco isto apocalyptico, ubi animarum sub altari requiescentium mentio fit [d], pauca sunt dicenda. Ansam enim praecipue hic locus dedit patribus, non tantum altaria tumulis martyrum imponendi, sed & corpora illorum effodiendi, & sub altari recondendi. Ita enim incertus ille auctor (e) ad hunc apocalypseos exclamat: *Videte, quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud*

(a) *t. 10. serm. 4. in festo Innocentum f. 250.* (b) *t. 6. contra Faustum l. 21. c. 21.* (c) *epist. 85. lib. 10.*
[d] *Apoc. 6, 9. & 10. loco iam citato*

apud Deum locum sub altario meruerunt. Dicit enim sancta scriptura: *Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium Iesu, quod habebant.* Nihil autem isto in loco habetur de martyribus sub altari sepeliendis, sed figurata haec est locutio pro stilo auctoris huius libri, & sicut ille phrases plerumque a rebus V. T. desumit, ita & iam victimis respondent martyres, & sicut illarum sanguis sub aut iuxta aut prope altare, quae omnia denotat particula *vro* fusus fuit, ita & martyres sub Christo, seu cum illo per fidem uniti, mactati fuere. Christus enim epist. ad Hebr. 13, 10. *altare nostrum* expresse dicitur.

CAP. V.

Cerei claro die ad sepulcra accendebantur.

§ I.

AD pie defunctorum, & martyrum praecipue cultum porro & hic veterum ritus spectat, quod feminae cereos ad illorum tumulos claro quoque die accendere consueverint. Morem hunc in Hispania iam sub seculi IV initium obtinuisse, ex canone 34 concilii *eliberitani*, isti opposito, patescit; ita enim ille sese habet: *Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi: inquietandi enim defunctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.* Celebris Annalium scriptor (1) *Baronius* ad hunc canonem ita est commentatus: *Inquieta-*

(1) *Annal. a. 34, n. 302.*

quietare animas defunctorum, nihil esse aliud, quam carminibus magicis, aliisque superstitionibus adhibitis eas advocare, satis expressum habetur in libro Regum ex persona Samuelis, sic dicentis: Quare inquietasti me, ut suscitarer? *Consuevisse quidem & gentiles ad sepulcra defunctorum faces accendere,* Suetonius *tradit. Sollicitari quoque solitas ab ipsis animas defunctorum,* Plinius *plane significat, cum de communi illo loquendi usu pristino haec ait: Cur ad mentionem defunctorum testamur, memoriam eorum a nobis non sollicitari? Id quidem non alia de causa, nisi ob frequentem usum advocandi, ac, ut aiebant, sollicitandi, seu inquietandi animas defunctorum, loquendi consuetudine receptum erat. Abstulit ergo S. Synodus superstitiosam facum accensionem, ad sollicitandas animas defunctorum.* Hactenus Baronius. At vero non tantum superstitiosam facum accensionem, ut vult ille, sed prorsus, atque in totum ipsam facum accensionem prohibitam fuisse, diserta citati canonis verba ostendunt: nam Patres istius concilii, probe videntes, superstitiosam facum accensionem iuxta sepulcra non facile tolli posse, nisi ipsa earum accensio in totum tolleretur, posterius rectissime, & prudentissime sanxerunt.

§. II. In aliis autem ecclesiis feminae ex bona intentione quidem, at non in totum probanda, morem istum servarunt, ita, ut in ipsis basilicis ante tumulos martyrum (a) cereos accenderent. Hinc in ecclesiis ad martyrum sepulcra

[a] *Hieron. ad Riparium adv. Vigilant. t. 2. p. 118.*

pulcra cum claro die accenderentur, *Vigilantius* barcinonensis ecclesiae in Hispania presbyter, illos christianos acriter reprehendere, eumque ritum a gentilibus (a) acceptum, in faciem illis dicere non est veritus. Verba eius sunt (b) haec: *Prope ritum gentilium videmus, sub praetextu religionis introductum, in ecclesiis sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. Magnum honorem praebent huiusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos; quos agnus qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suae illustrat.* Respondet *quidem* (c) *Hieronymus: Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne coeci tecum dormiamus in tenebris.* Attamen mox addit: *Quodsi aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum feminarum,* (de quibus vere possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam) *hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam & apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioque mentis eius recipitur: & quicunque accedunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente apostolo: Vnusquisque suo sensu abundet.* Deinde meminit, etiam absque martyrum reliquiis per totas orientis ecclesias

(a) *Athenaeus lib. 3. Sueton. in Augusto 98.*
[b] *ap. Hieron. t. 2. p. 121.* (c) *p. 123.*

clesias, quando legendum sit evangelinm, accendi luminaria, iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Sic *Hieronymus* excusat quidem istud mulierum factum, sed quod apostolica haec verba, *Quisque de sua sententia sit certus*, quae ille ita pronunciat, *Unusquisque suo sensu abundet*, huc trahit, in eo non satis caute agit: nam si haec verba secundum sensum Hieronymi essent intelligenda, nonne libertatem concederent, tot, quot placerent, ritus introducendi, ut ita infinitus illorum esset numerus? Fides autem christiana, quo simplicior, eo est purior: quamvis non prorsus, quibusdam caeremoniis carere possit, propter hominum imbecillitatem. Quare & Paulus permittit ecclesiae, nonnullos ritus constituere, sed non alios, nisi qui ad bonum ordinem, & aedificationem faciunt. An vero ille, luminaria ad tumulos accendere, duo ista postulata prae se ferat, non equidem video; nec universum *eliberitanum* concilium, ut antea dictum, agnovit, sed superstitionem exinde facile sese insinuare metuit. Profecto istud principium, *Unusquisque suo sensu abundet*, genuina origo atque fons unicus omnium purae doctrinae evangelicae commaculationum in antiqua ecclesia extitit.

CAP. VI.

Preces primum ad sepulcra sanctorum factae. Peregrinationes ad illa institutae. Rationes horum rituum.

§. I.

IAm feculo III, obtinuit mos, ut fideles in coemeteriis vigilias ducerent, orandi caufa. Cum vero fub orationis praetextu faepe fcelera committerentur, concilium *eliberitanum* vigilias iftas abrogatum ivit, canone 35. prohibens, *ne feminae in coemeteria pervigilent, eo quod faepe fub obtentu orationis, fcelera latenter committant.* Sec. IV invaluit, preces apud martyrum monumenta facere, *Eufebio* (a) tefte: *Solemus ad monumenta eorum accedere, & preces apud ea facere.* Ambrofii aevo, cuius mors in A. D. 397 incidit, NABORIS & FELICIS martyrum fepulcrum exinde erat celeberrimum, quod fideles fapiffime illud (b) frequentarent. Ipfe quoque Ambrofius una cum Paulino, aliisq; ad CELSUM martyrem faepe eo perrexit orandi caufa. *Hieronymus* praedicat devotionem Conftantiae, quod confueverit pervigiles in fepulcro HILARIONIS eremitae noctes ducere, & quafi cum praefente ad adiuvandas orationes fuas (c) fermocinari. *Severus Sulpicius;* qui inchoante fec. V claruit, narrat (d), quod aliquando ad offa alicuius latronis, quae martyris effe putaverant, preces fuerint peractae. Enimvero, *erat locus coeno-bio*

[a] *In praeparat. evang. p. 318. cod. parif. a. 1544.*
(b) *In vita Ambrofii, a Paulino defcripta.*
[c] *In vita Hilarionis.*
(d) *In vita Martini c. 9.*

bio S. Martini contiguus, in quo ab antecessoribus episcopis altare erat positum, & qui magna hominum frequentia precum causa visitari solebat, quod communis erat fama, ossa alicuius martyris eo in loco esse recondita. Sed haec res S. Martino suspecta visa est, quod nec de nomine martyris ibidem sepulti, nec de tempore martyrii eius constaret. Paucis itaq; fratribus secum sumtis, super tumulum constitit, precibus ad Deum fusis, ut, quis esset defunctus, & cuius meriti, sibi revelaretur. Apparuit sordida umbra dictitans, se, ad cuius sepulcrum inges preces fierent, latronem propter scelera occisum fuisse, & errore vulgi precibus coli: quibus auditis, S. Martinus altare, ad quod orare hactenus turba consueverat, evertit, nec postea quenquam eo in loco orare permisit. Sic autem Deus illos pudore suffudit, ut ab ista superstitione revocaret. Arae hic fit mentio, ad eius tumulum positae: unde rursus liquet iste ritus, de quo supra diximus. Porro *Victor* uticensis (a) refert, *quandam matrem Maioricum filium in sua domo maluisse sepelire, ut, quoties super sepulcrum eius preces funderet, alienam se a filio nunquam esse consideret. Gregorius M.* (b) memorat, Gothorum tempore matronam quandem valde religiosam, ad ecclesiam martyrum PROCESSI & MARTINIANI saepe venisse, & quidem ad orandum: erant autem ibi corpora istorum sepulta. *Gregorius* turonensis [c] varia precum ad sepulcra habitarum exempla re-

Aa censet.

(*a*) *De persecut. Vandal. l. 3.* (*b*) *Homil. 32. in cap. 16. Matth.* (*c*) *de gloria confess. c. 21.*

censet. Ipse etiam ad tumulū MEMMII episcopi catalaunensis se pro febricitante orasse, meminit (a) Augustinus (b) ait: *Videtis, imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Chrysostomi, haec sunt: *Roma, urbium est regalissima: relictis omnibus ad sepulcra piscatoris, & pellionis currunt Reges, & praesides, & milites.* Adhortati quoque sunt ecclesiae antistites populum, ut ad martyrum sepulcra adorarent. Ita *Chrysostomus* sermone in IUVENTINUM & MAXIMUM martyres: *Saepe, ait, eos invisamus, tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam consequamur: nam quaecunque volueritis, apud Regem coelorum impetrare possunt. Proinde magna fide, promtitudineque huc veniamus; quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum praemiis, inde varios thesauros undiquaque colligamus.* Basilius (c) de XL martyribus: *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: qui rursus laetatur, horoet. Cum his martyribus ergo nostras effundamus preces.*

§. II. Nec tantum vicini, sed & exteri ex remotis locis venere ad sanctorum monumenta, illorum inspectione fidem suam confirmandi, & orandi causa. *Paulinus* (d) nolanus episcopus, initio seculi V clarus, *turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas* scribit, *ad corpus S. FELICIS.* Et *Prudentius* (e) Ex-

(a) *c.66.* (b) *epist.42.* (c) *t.1.p.401.*
[d] *Natali III S. Felicis.* (e) *Perist. hym. 1. de Emeterio & Chelidonio calagurritanis martyribus.*

Externi, nec non & omnibus huc colonus advenit;
fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,
hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Chrysostomus comparans sepulcra martyrum cum sepulcris Regum, ita (a) loquitur: *Itaque ut regias quidem aulas videat, nullus unquam* (martyr) *peregrinatus fuerit: multi vero Reges, plerumque huius spectaculi gratia peregrinati sunt: futuri namque iudicii vestigia & signa sanctorum aedes exhibent, ubi daemones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.* Inter omnia autem monumenta maxime frequentabantur Servatoris nostri, quod Hierosolymis extabat, & Petri atque Pauli, quae Romae: hierosolymitana, & romana peregrinatio omnium merito celeberrimae habentur. Non quidem sentio, solum Servatoris sepulcrum, aliaque sanctorum monumenta priscos christianos Hierosolymam pellexisse, ut apud ea Deum adorarent; nam omnia loca sancta, quae tam Hierosolymis, quam circum Hierosolyma erant, propter notatu dignas res, ibi gestas, in sacris litteris celebria, peregrinantes etiam spectare volebant, ut in historiae sacrae veritate confirmarentur: hoc autem est, quod volo, peregrinantes Hierosolymae apud sepulcrum Christi, aut alius sancti viri pro arbitrio preces peregisse. Vt taceam, quosdam simul, ob sacras Christi reliquias videndas, & quasdam ex illis particulas asportandas, iter istud instituisse. Erant autem Hiero-

Aa 2 solymam

(a) *Hom. 66. ad popul. antioch.*

ſolymam peregrinantes duplicis generis : alii nolebant domum reverti, ſed Hieroſolymis, ſeu potius Bethlehemi, aut in vicinia reſiduos vitae dies tranſigere, putantes, maiori ſe devotione ibi poſſe vivere, utpote quae ſanctorum locorum vicinia & crebra eorum contemplatione non tantum promoveri, ſed nec a moribus quoque ſeculi impediri poſſet, ſiquidem Bethlehemi, & circa illud omnia erant tranquilla, & quieta, nec tantus populi confluxus, ut aliis in urbibus populoſis. Ad huiusmodi peregrinatores non niſi monachos refero, & moniales, aut iam tales exiſtentes, aut mox fieri cupientes. Exemplum habetur PAULAE, feminae ex nobili ſtirpe prognatae, quae, marito defuncto, Romam, liberos, atque domum reliquit, Hieroſolymamque navigavit, unam tantum filiam Euſtochium ſecum ducens. Totum eius iter memoriae prodidit *Hieronymus*; cumque in illo ſaepe laudatiſſima matrona ſacris in monumentis narretur Dominum adoraſſe, magnumque religionis ſtudium prae ſe tuliſſe, ab inſtituto noſtro non erit alienum, nec forſan lectori ingratum, ſi illud heic ipſis B. Hieronymi verbis deſcripſerimus. Ita autem illa ſeſe (a) habent: „ Delata ad Inſulam Pontiam, Flaviae Domicillae nobilitavit exilium, videnſque cellulas, in „ quibus illa longum martyrium duxerat, ſumtis fidei alis, Hieroſolymam, & ſancta loca videre cupiebat. In littore Sareptae, Heliae eſt „ ingreſ-

(a) *In epitaph. Paulae ad Euſtoch. t. 1.*

ingressa turriculam, NB. in qua, adorato domi- „
no salvatore, per arenas Tyri, in quibus genua „
Paulus fixit, pervenit ad Coth, &c. Tandem „
Hierosolymam, prostrataque ante crucem, „
quasi pendentem dominum cerneret, adora- „
bat. Ingressa sepulcrum, resurrectionis oscu- „
labatur lapidem, quem ab ostio monumenti „
amoverat angelus: & ipsum corporis locum, „
in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens deside- „
ratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi „
lacrymarum, quantum gemituum, quid dolo- „
ris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, te- „
stis est ipse Dominus, quem rogabat: Vnde „
egrediens ascendit Sion, quae in arcem vel „
speculam vertitur. Ostendebatur illi columna „
ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore „
Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagella- „
tus. Monstrabatur locus, ubi supra 120 creden- „
tium animas Spiritus sanctus descendisset. „
Perrexit ad Bethlehem, & in dextera parte i- „
tineris stetit ad sepulcrum Rachel. Atque inde „
Bethlehemum ingressa, & in specum salva- „
toris introiens, postquam vidit sacrum virginis „
diversorium, & stabulum, me audiente iura- „
bat, cernere se oculis fidei infantem pannis „
involutum, vagientem in praesepi Dominum: „
magos adorantes, stellam fulgentem desuper, „
matrem virginem, nutritium sedulum, pasto- „
res nocte venientes, parvulos interfectos, „
Herodem saevientem, Ioseph & Mariam fugi- „
entes in Aegyptum, mixtisque gaudio lacry- „
mis

„mis,loquebatur: Salve Bethlehem domus pa-
„nis, in qua natus est ille panis, qui de coelo
„descendit &c. Et ego misera atque peccatrix
„digna sum iudicata,deosculari praesepe, in quo
„dominus parvulus vagiit? orare in spelunca,
„in qua virgo dominum fudit infantem? Haec
„requies mea, quia domini mei patria est: hic
„habitabo, quoniam salvator elegit eam &c.
„Zoaram translata, recordabatur speluncae
„Loth, & versa in lacrymas virgines socias ad-
„monebat, cavendum esse vinum, in quo est lu-
„xuria, cuius opus Moabitae sunt & Ammoni-
„tae. Rerversa Hierosolymam, ingressa sepul-
„crum Lazari, Mariae & Marthae vidit hospiti-
„um, & Bethphage &c. Sepulcra quoque in
„monte Ephraim Iesu filii Nave, & Eleazari filii
„Aaron sacerdotis e regione venerata est.
„TransivitSichem,atque inde divertens vidit ia
„patriarcharum sepulcra, & Samariam, ubi siti
„sunt Helisaeus & Abdias prophetae, & Ioan-
„nes baptista; ubi multis intremuit consterna-
„ta mirabilibus: namque cernebat, variis dae-
„mones rugire cruciatibus, & ante sepulcra
„sanctorum ululare homines more luporum,
„vocibus latrare canum, fremere leonum, sibila-
„re serpentum, mugire taurorum; alios rotare
„caput, & post tergum terram vertice tangere,
„suspensisque pede feminis, vestes defluere in
„faciem. Miserebatur omnium, & per singu-
„los effusis lacrymis, Christi clementiam de-
„precabatur, & quaecunque reliqua erant loca
„in

in Palaestina notatu digna, incredibili fide„ pervagata est. Transiit illa deinceps ad Ae-„ gyptum, celebria loca & istius regionis per-„ lustrans. Nec multo post Bethlehemum re-„ dux, ibi per triennium angusto mansit hospi-„ tiolo, donec extrueret cellulas, ac monasteria,„ & diversorium peregrinorum iuxta viam con-„ deret. Huc usque iter eius descriptum sit,„ quod multis virginibus & filia comite peragra-„ vit.„ Hactenus Hieronymus de itinere Paulae. Eadem Paula cum filia Eustochio postmodum & MARCELLAM invitavit, Hieronymo iis epistolam dictante, ut Roma relicta ad rura bethlehemitica (a) transiret, imo ipse Hieronymus peculiari ad Marcellam epistola idem fecit. Rationes autem potiores, quae ad agros bethlehemiticos calcandos illam deberent movere, sunt sequentes: 1. Quod Hierosolymis, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam. 2. Quod tot tantosque haec urbs prophetas, & sanctos viros emiserit. 3. Totum mysterium nostrum illius provinciae, urbisque vernaculum esse; in tribus nominibus, Iebus, Salem, & Hierusalem trinitatis eam demonstrare fidem: in ea quoque Salomonem i. e. pacificum natum, & factum esse in pace locum eius, ac in figura Christi, sub etymologia urbis, *Domini dominantium*, *&* *Regis Regum* nomen accepisse. 4. Quod David & tota eius progenies in hac civitate regnavit. 5. Quamvis servator Hierosolymorum ruinam praedixerit, & ipse

[a] *Paulae & Eustoch. ad Marcellam.*

Iosephus narret, illo tempore, quo crucifixus sit Dominus, ex adytis templi virtutum coelestium erupisse voces, *Transmigremus ex his sedibus*; tamen Christum ex caritate super ruinam huius urbis plorasse, nec loci, sed hominum fuisse peccatum. 6. Quantum vero ad locum pertineat, per profectus temporum multo nunc augustiorem esse, quam ante fuerit: Venerati, ait ille,
„ quaedam sunt iudaei sancta sanctorum, quia
„ ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca
„ testamenti, manna, virga Aaron, & altare au-
„ reum. Nonne tibi venerabilius videtur sepul-
„ crum domini? Quod quotiescunque ingre-
„ dimur, toties iacere in sindone cernimus salva-
„ torem, & paululum ibidem commorantes,
„ rursus videmus angelum sedentem ad pedes
„ eius, & ad caput: sudarium convolutum: de
„ cuius sepulcri gloria, multo ante, quam exci-
„ deretur a Ioseph, scimus Esaiae vaticinio pro-
„ phetatum, dicentis, *Et erit requies eius honor*,
„ quod scilicet sepulturae domini locus esset ab
„ omnibus honorandus. Quamvis ergo Hierusalem in apocalypseos libro Sodoma & Aegyptus vocetur, ubi & dominus crucifixus, eandem tamen urbem dici in isto libro *civitatem sanctam*, nec non in Matthaei evangelio. 7. psalmistam praecipere, ut adoremus in loco, ubi steterunt pedes eius. 8. Si benedicta loca putentur, in quibus Petrus & Paulus servi sanguinem effudere pro Christo, cur Domini & Dei non esset gloriosa confessio? Et si martyrum

ubique

ubique ſepulcra venerentur fideles, monumentum, in quo dominus conditus, multo minus eſſe negligandum. 9. Innumerabiles fere ab aſcenſu domini usque in hunc diem Hieroſolymam veniſſe, epiſcopos, martyre, eruditiſſimosque viros, putantes, minus ſe habere religionis, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum evangelium de patibulo coruſcaverat. 10. In hac terra continentiam, humilitatem, pacem & concordiam, prae reliquis provinciis dominari. In veſte nullam eſſe diſcretionem, nullam admirationem: ieiunia quoque neminem ſublevare, nec deferri inediae, nec moderatam ſaturitatem condemnari: neminem iudicare alterum, neminem alterum lacerare; procul eſſe luxuriam, procul voluptatem; tot in ipſa urbe orationum loca, ut ad ea peragranda dies ſufficere non poſſit. 11. Ibi eſſe villulam Chriſti & Mariae, ſpeluncam Salvatoris, & illud praeſepe, in quo infantulus vagiit: ibi eſſe latas porticus, aurata laquearia: ibi inſtar palatii opibus privatorum extructas baſilicas. 12. Hunc locum ſanctiorem eſſe tarpeia rupe (ſeu Roma,) quae de coelo ſaepius fulminata oſtendat, quod domino diſpliceret. In Apocalypſi de muliere purpurata, & ſcripta in eius fronte blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis dici: *Exite de illa populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, ut de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſalvate unusquisque animam ſuam.* 13. Eſſe quidem ibi, nempe Romae,

sanctam ecclesiam, tropaea apostolorum, & martyrum, esse Christi veram confessionem, & ab apostolo praedicatam fidem, & gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum christianum; sed ipsam ambitionem, potentiam, magnitudinem urbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, audire & proloqui, & tantam frequentiam hominum videri, a proposito monachorum aliena esse: in christi vero villula tota rusticitatem, & extra psalmos silentium esse, quocunq; te verteris, aratorem stivam tenentem *alleluia* decantare, sudantem messorem psalmis se avocare, & curva attondentem vitem falce vinitorem aliquid Davidicum canere: hunc pastorum sibilum, haec arma culturae; solum, quod cupiant, sese videre. Tandem concludit: *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat, speluncam salvatoris intrare? In sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum, & in Oliveti monte cum ascendente domino, voto & animo sublevari? Videre exire Lazarum fasciis colligatum, & fluenta Iordanis ad lavacrum domini puriora? Inde ad pastorum caulas pergere in david orare mausoleo? Amos prophetam etiam nunc buccina pastorali in sua conspicere rupe clangentem? Ad Abraham, Isaac, & Iacob, trium quoque illustrium feminarum, vel tabernacula properare, vel memorias? Videre fontem, in quo a Philippo eunuchus est tinctus? Samariam pergere & Ioannis baptistae, Helisaei quoque & Abdiae pariter cineres adorare? Ingredi speluncas,*

in

in quibus persecutionis & famis tempore, prophetarum agmina sunt nutrita? Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis eius florem videbimus Galileae? Haut procul inde cernitur Cana, in qua aquae in vinum versae sunt. Pergemus ad Itabirium, & tabernacula salvatoris, non, ut Petrus quondam voluit, cum Moyse & Helia, sed cum Patre cernemus & spiritu sancto. Inde ad mare veniemus Genezareth, & de quinque piscibus, & septem panibus videbimus in deserto quinque & quatuor hominum millia saturata. Apparebit oppidum Naim, in cuius portis viduae filius suscitatus est. Videbitur & Hermonim, & torrens Endor, in quo superatur Sisara. Capharnaum quoque signorum Domini familiaris, & omnis pariter Galilaea cernetur. Et tunc comitante Christo, cum per Silo & Bethel, & cetera loca, in quibus ecclesiae quasi quaedam victoriarum domini sunt erecta vexilla, ad nostram speluncam redierimus, canemus iugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus, & vulnerata e iaculo salvatoris in commune dicemus: Inveni, quem quaesivit anima mea: tenebo eum, & non dimittam illum. Tantum de primo genere peregrinationis hierosolymitanae.

§. III. Alia autem erat illa, quae fiebat, cum intentione redeundi in patriam. De qua iam circa annum 200 aliquod habetur apud *Eusebium* [a] exemplum. Narrat enim ille, *Alexandrum episcopum ex Cappadocia Hyerosolyma profectum fuisse* εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, *orationis, & locorum historiae causa:* ubi quidem *Euse-*

(a) *H. E. lib. 6. c. 11.*

Eusebius dicit, eum orandi causa Hierosolymam profectum, sed videtur ille *Heideggero* (a) de hoc itinere sic sentire ex more sui seculi, quo peregrinationes istae in terram sanctam orationis gratia usitatae fuerint. Quicquid sit, habuit ille etiam pro scopo, ut certior redderetur de historia evangelica, atque sic in fide confirmaretur, veluti ex verbis *Eusebii* patet. Neo sane reliquias sanctorum, sed Christum ibi adoravit; cultus enim reliquiarum tum temporis plane adhuc incognitus erat. Sub Constantino autem M. terrae sanctae loca frequentius invisi coeperunt. Ipsa mater Constantini, Helena, provecta licet aetate, tamen iuvenili animo properavit, ut terram veneratione dignam perlustraret: postquam vero servatoris nostri vestigia debito cultu venerata erat, *Adoremus*, inquit, *in loco, ubi steterunt pedes eius*, ut psalmo 131 praedictum, & duo statim templa Deo dedicavit, alterum in spelunca, ubi natus est, alterum *eo in monte, ex quo in coelum ascenderat Dominus. Haec fecit Imperatrix, cum illa debitum piae dispositionis opus Deo omnium Regi persolvere decrevisset, & pro filio suo tanto Rege, ac pro filiis eius Caesaribus, Deo carissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse* [b] *statuisset.* Postmodum cupiditas quidem visendi magnifica ista templa, ab Helena, nec non ab ipso Constantino extructa, multos in terram sanctam pelliciebat: attamen

(a) *Dissertat. de peregrinat. religiosis* §. 5.
(b) *Euseb. de V. C. lib. 3. c. 42.*

attamen praecipuus ſcopus manebat, Dominum in iſtis locis, ubi natus, educatus, paſſus, ſepultus erat, adorare, ſeque in hiſtoriae ſacrae veritate confirmare; quamvis non poſſit negari, illa loca reliquis ſanctiora a multis habita, adeoque & illos aliis ſanctiores iudicatos fuiſſe, qui iſta inviſerant. Hinc, uti Hieronymus (a) teſtatur, toto ex orbe Hieroſolymam concurrebant cuiuſcunque generis hominis: *Longum eſt*, ait ille, *nunc ab aſcenſu domini usque ad praeſentem diem per ſingulas aetates currere, qui epiſcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes, minus ſe religionis, minus habere ſcientiae, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, in quibus primum evangelium de patibulo coruſcaverat.* Quibus ex verbis patet, ſentire quidem Hieronymum, ſeu potius Paulam & Euſtochium, peregrinationem Hieroſolyma verſus inde ab aſcenſu domini usq; in praeſens tempus duraſſe, & ex hac hypotheſi natam eſſe opinionem, eos minus religionis, & virtutum habere, qui illis in locis Chriſtum non adoraverint: verum quis non videt, verba illa nil aliud eſſe, niſi rhetoricam exaggerationem peregrinationis hieroſolymitanae, & feminas iſtas, liberius aliquanto ſcripſiſſe ad Marcellam, ut illi eo magis perſuaderent iter ad rura bethlehemitica ſuſcipiendum? Non enim apud ſec. III patres

(a) *In Paulae & Euſtoch. epiſt. ad Marcellam.*

patres de peregrinatione huiusmodi vel verbulum legitur. Et quomodo *Hieronymus*, aut alius quis, de maiorum mente & impulsu potuit indicare, ex quo hoc & illud fecerint? Hieronymi quidem aevo, ex tali opinione ista fiebat peregrinatio, velut & Theodosii iunioris uxor se voto Hierosolymam eundi obligaverat, si filiam suam in matrimonio vidisset: quod etiam deinceps fecit, & ecclesias omnes, tam quae Hierosolymis, quam quae in aliis orientis urbibus sitae erant, variis ornamentis (a) decoravit. Verum puriora erant tria priora secula subsequentibus, nec ab his ad illa valet consequentia. Quid? quod ipse *Hieronymus* improbet, atque refutet illam suo aevo a multis receptam sententiam, quasi plus religionis & sanctitatis haberent, qui Hierosolymis viverent & habitarent. Cum enim Paulinus monachus illum idcirco *sanctum beatumque* praedicasset, quod Hierosolymis degeret, [b] respondit: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quae occidit prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus laetificat; quae in monte sita, celari non potest, quam matrem sanctorum apostolus clamitat, in qua se municipatum cum iustis laetatur habere. Neque vero hoc dicens, memet ipsum inconstantiae redarguo, damnoque, quod facio, ut frustra videar ad exemplum Abraham, & meos, & patriam reliquisse, sed non audeo, Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coar-*

(a) *Socrat. H. E. lib. 7. c. 27.* (b) *Epist. ad Paul. t. 1.*

conrctare parvo terrae loco, quem non capit coelum. Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Gazarim adorant patrem, quia Deus spiritus est, & adoratores eius in spiritu & veritate adorare oportet. Spiritus spirat, ubi vult; Domini est terra, & plenitudo eius. Salvator ad discipulos loquens, cum esset in templo, Surgite, inquit, abeamus hinc. Et ad Iudaeos: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Crucis igitur, & resurrectionis loca prosunt his, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Ceterum qui dicunt, templum Domini, templum Domini, audiant ab apostolo: Vos estis templum Domini, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Et de Hierosolymis, & de Britannia aequaliter patet aula coelestis: regnum enim dei intra vos est. Antonius, & cuncta Aegypti, & Mesopotamiae, Ponti, Cappadociae & Armeniae examina monachorum, non viderunt Hierosolymam, & patet illis absque hac urbe paradisi ianua. Beatus Hilarion, cum palaestinus esset, & in Palaestina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter vicinitatem, nec rursus dominum claudere videretur. Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulacrum Iovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis

bis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostrum, & augustissimum orbis locum, de quo psalmista canit, Veritas de terra orta est, lucus inumbrabat Thamuz, id est, Adonidis, & in specu, ubi quando Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Quorsum inquies haec tam longo repetita principio? Videlicet ne quicquam fidei tuae deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimes, quod huius loci habitaculo fruimur; sed sive hic, sive alibi, aequalem te pro operibus tuis apud dominum nostrum habere mercedem. Revera ut simpliciter motus mentis meae fatear, considerans & propositum tuum, & ardorem, quo seculo renunciasti, differentias in locis arbitror, si urbibus & frequentia urbium derelicta, in agello habites, & Christum quaeras in solitudine, & ores solus in monte cum Iesu, sanctorumque tantum locorum vicinitatibus perfruaris, id est, ut & urbe careas, & propositum monachi non amittas. Quod loquor, non de episcopis, non de presbyteris, non de clericis loquor, quorum aliud est officium: sed de monacho, & monacho quondam apud seculum nobili: qui idcirco pretium possessionum suarum ad pedes apostolorum posuit, docens, pecuniam esse calcandam, ut humiliter & secrete victitans, semper contemnat, quod semel contempsit. Si crucis & resurrectionis loca non essent in urbe celeberrima, in qua curia, in qua aula militum, in qua scorta, mimi, scurrae, & omnia sunt, quae solent in ceteris urbibus; vel si monachorum turbis solummodo frequentaretur, expetendum revera huiuscemodi cunctis monachis esset

ha-

habitaculum. Nunc vero summae stultitiae est, renunciare seculo, dimittere patriam, urbes deserere, monachum profiteri, & inter maiores populos peregre vivere, quam eras victurus in patria. Hactenus Hieronymus. Vnde liquet, non tantum monacho Paulino eum dissuasisse peregrinationem hierosolymitanam, sed & neminem idcirco meliorem reputasse, quod Hierosolymam profectus sit, ibique adorationem fecerit. Nec tantum Hieronymus, sed & alii viri pii, contra erroneam istiusmodi persuasionem sunt locuti. *Antonius*, referente Athanasio, seu alio in eius vita, subnascentem superstitionem his verbis taxavit: *Nobis nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna coelorum.* Ita & [a] *Augustinus: Noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi venis: ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando. Sed quoniam etiam tali in itinere abundant fluctus & tempestates tentationum, in crucifixum crede, ut fide tua possis lignum ascendere.* Idem (b) aut alius quispiam: *Dominus non dixit, Vade in orientem, & quaere iustitiam: naviga usque ad occidentem ut accipias indulgentiam; sed, dimitte inimicis, nihil a te extra te quaere.* Quid *Chrysostomus* de religiosis peregrinationibus senserit, haec verba [c] docent: *Via solutionis seu remissionis peccatorum non laboribus indiget, nec pecuniarum expensa, seu ulla alia re, sed simpliciter tantum bono*

[a] *Serm. 1. de verbis apost. Petri ad Christ.*
(b) *Serm. 3. de martyr.* (c) *Hom. 1. in ep. ad Philem.*

proposito. Non opus est, in longinqua peregrinando transire, nec ad remotissimas ire nationes, non pericula, non labores tolerare, sed velle tantummodo. Et homilia (a) alia disertis negat verbis, ad promerendum Deum quicquam valere, si quis peregrinationes ad terras longe dissitas instituerit. Meminit etiam (b) alibi. Inter omnes autem patres *Gregorius* nyssenus praecipuus est receptarum superstitiosarumque peregrinationum impugnator, velut eius epistola de iis, qui adeunt Hierosolyma, satis commonstrat. Digna est illa, quae legatur; quare & eam de verbo ad verbum huc adponere volui ex Petri *Molinei* versione:

Gregorii nysseni episcopi Epistola de iis, qui adeunt Hierosolyma.

„Quandoquidem me rogasti, amice, per epistolam, de omnibus tibi ordine respondendum „existimavi. Equidem eos, qui se semel con„secraverunt sublimi vivendi rationi, pretium „operae facere existimo, si semper evangelii „voces respiciant. Ac quemadmodum qui rem „subiectam ad amussim exigunt, iuxta amussis „rectam lineam, quae prae manibus tortuosa, „ad rectitudinem revocant: ita convenire arbitror, quadam veluti recta linea & indeflexa „(evangelica nimirum disciplina) his applicata, „iuxta illam ad deum dirigi. Quum itaque „aliqui eorum, qui solitariam & in seducto vi„tam elegerunt, in parte pietatis ponant visere loca

[a] *hom. 3. ad populum antioch.* (*b*) *hom. 5. ad eund.*

loca Hierosolymorum, in quibus vestigia con-,, versationis dominicae conspiciuntur; operae ,, pretium fuerit ad regulam respicere, &, si haec ,, suadet praeceptorum manuductio, opus exe-,, qui, ut iussum à domino: sin vero est extra ,, domini praecepta, haud scio quid hoc sit rei, ,, aliquid non mandatum velle agere, atque ita ,, ipsum sibi legem esse honesti. Certe quando ,, dominus invitat benedictos ad hereditatem ,, regni coelorum, profectionem Hierosolyma ,, inter recta facta non retulit: ac quum qui sint ,, beati pronunciat, hoc studium non comple-,, xus est. Consideret vero prudens, cur in eo, ,, quod neque beatum efficit, neque ad regnum ,, aptum, opera collocetur: immo, si res esset ,, utilis factu, ne sic quidem a perfectis honeste ,, observaretur. At quum res probe ac sedulo, ,, perspecta, spiritualem noxam affricet accura- ,, tum vitae genus insistentibus, non est ista tan- ,, to digna studio; immo est vitanda summopere, ,, ne, qui vitam eligit deo addictam, ab ulla re no-,, xia configatur. Quid ergo in his est noxium? ,, Graves quidem & sancti mores sunt propositi ,, omnibus tum viris, tum mulieribus: at pecu- ,, liaris est vitae actae ex studio sapientiae hone-,, stas. Ea autem in separato, & solitario vitae ,, instituto recte servatur, quippe cuius ingeni- ,, um est a permistione abhorrens & inconfu- ,, sum: quum nec mulieres inter viros, nec viri ,, inter mulieres ad tuenda honestatis officia ,, contendant. Sed itineris necessitas accura-,,

„tam horum observationem in promiscuam
„negligentiam vertit: impossibile enim mu-
„lieri tantum iter peccurrere, nisi habeat comi-
„tem custodem, & quum ob imbecillitatem se-
„xus imponitur iumento, & quum inde depo-
„nitur, & quum in difficilioribus locis appre-
„henditur: utrumlibet enim supposuerimus,
„sive notum aliquem habet, qui hoc servitium
„impleat, sive mercede conductum habet, qui
„hoc ministerium exhibeat; utrovis modo se
„res habet, non effugit res ista reprehensionem:
„nam sive se peregrino, sive se suo committit,
„non servat legem temperantiae. Quum ve-
„ro per orientis regiones pandochia & diver-
„soria & urbes quam plurimae licentiam mali &
„promiscuam libertatem habeant, qui fieri po-
„test, ut transeunti per fumum oculi non mor-
„deantur eius acrimonia, ubi polluitur audi-
„tus, polluitur oculus, polluitur animus per
„oculos, & auris foeda admittens? an pos-
„sibile est, loca infecta sic transire, ut non affi-
„ciaris? Qua autem in re superior erit, qui
„ad ea loca venerit? quasi vero ad haec usque
„tempora Dominus illis in locis corpore ver-
„setur, a nobis vero recedat, aut quasi abunda-
„ret Hierosolymis Spiritus s. ad nos vero transi-
„ire non posset. Atqui si ex his, quae appa-
„rent, certa capi possunt argumenta divinae
„praesentiae, merito quis existimaverit, Deum
„magis in gente Cappadocum, quam extra
„commorari: quam multa enim sunt apud
cos

eos altaria, per quae nomen Domini honora-„
tur! Non temere quisquam reliquo fere orbe,„
tot enumeraverit altaria. Ad haec si largior,„
esset in hierosolymitanis locis gratia, pecca-„
tum inter homines ibi agentes non esset fa-„
miliare. Nunc vero nullum non impuritatis,„
genus apud eos perpetratur; nequitiae, adul-„
teria, furta, idololatriae, veneficia, invidia, cae-„
des: & maxime quidem hoc malum ibi fami-„
liare est, usque adeo, ut nusquam tanta sit ad„
caedem proclivitas, quanta illis in locis, homi-„
nibus ferarum more currentibus ad sangui-„
nem popularium, frigidi lucri ergo. Ubi igi-„
tur talia fiunt, quo argumento ibi ampliorem„
quam alibi gratiam esse contendas? Nec„
me fugit, quid contra haec, quae dixi, multi„
oggerant. Cur non, inquiunt, hanc tute le-„
gem indixisti tibi? nam si ibi fuisse nihil ad-„
fert utilitatis ei, qui ad Dei cultum peregrina-„
tionem suscepit, quam ob rem tam longi iti-„
neris laborem sustinuisti? Audiant ergo meam„
super his defensionem. Mihi ob necessitatem,„
in qua vita mea constituta est ab eo, qui vitam„
nostram dispensat, accidit venire usque ad lo-„
ca sacrae synodi ad emendationem arabica-„
rum ecclesiarum convocatae: ac quoniam„
hiesolymitanae regioni Arabia est contermi-„
mina, eo veni ex promissione, & communi-„
caturus consilium cum praesidibus sacrarum„
ecclesiar. hierosolymitanarum, quia turbatae„
erant eorum res, & arbitro egebant: tum pi-„

 en-

„entiſſimo Imperatore nobis praebente viae fa-
„cilitatem dato publico vehiculo, liberi era-
„mus a neceſſitate ea patiendi incommoda,
„quae in aliis animadvertimus: vehiculum
„enim nobis erat vice monaſterii & eccleſiae,
„toto itinere cunctis concinentibus, & ieiu-
„nantibus Domino. Noſtrum ergo exemplum
„neminem offendat, ſed potius ſuaſio noſtra fi-
„dem inveniat, quia de his conſilium damus,
„quae ipſi oculis uſurpavimus: nos enim &
„antequam eo loci veniſſemus, & porro Chri-
„ſtum eſſe Deum verum confeſſi ſumus, nec
„imminuta eſt noſtra fides, nec ex eo aucta:
„& iam ſciebamus aſſumptionem humanae na-
„turae per virginem ante aſpectam Bethlehem;
„& credidimus reſurrectionem ex mortuis an-
„te viſum monimentum; & aſcenſionem in
„coelos veram eſſe confeſſi ſumus, etiam non
„viſo olearum monte. Hic nobis unus itineris
„fructus, cognoviſſe ex collatione noſtra ex-
„ternis eſſe longe ſanctiora. Quapropter ti-
„mentes Dominum, eum, in quibus agitis, locis
„laudate: loci enim mutatione ad Deum non
„acceditur, ſed ubi locorum fueris, ad te veniet
„Dominus, ſi modo tale inveniatur animae tuae
„diverſorium, ut poſſit in te habitare Domi-
„nus, & inambulare; ſin vero interiorem homi-
„nem habueris, plenum improbis cogitationi-
„bus, etiamſi fueris ſuper Golgotha, etiamſi ſu-
„per monte olearum, etiamſi ſub monimento
„reſurrectionis, tantum abes a Chriſti in ani-
„mum

mum tuum receptione, quantum qui neque,, fidei principia agnoscunt. Suade igitur, dilecte,, fratribus peregrinari a corpore ad Dominum,,, non vero a Cappadocia in Palaestinam. Quod,, si quis Domini vocem opponat praecipientem,, discipulis non abscedere Hierosolymis, hoc,, dictum sic intelligat: Quandoquidem sancti,, spiritus gratia & distributio nondum advene-,, rat apostolis, iussit eos Dominus una manere,,, donec induerentur virtute ex alto. Certe si,, quod ab initio erat, duraret ad haec tempora,, spiritu sancto dispensante in specie ignis sin-,, gula dona, oporteret omnes ibi esse, ubi fieret,, donorum distributio: si vero spiritus, quo vult,, spirat, omnino, qui hic crediderunt, fiunt par-,, ticipes divini muneris secundum analogiam,, fidei, non secundum profectionem Hiero-,, solyma.

Haec itaque est epistola Gregorii, notatu dignissima, cuius γνησιότητα seu integritatem arguunt tum scribendi character, qui redolet phrasin Gregorii, & verba cum ceteris consona, tum quod profectionis suae in Arabiam meminit in epistola ad Olympium, tum antiqui codices, quorum testes sunt Aloysius *Lipomannus*, *Zehnerus*, nec non *regia* bibliotheca, quicquid etiam unicus *Bellarminus*, ingens peregrinationum fautor, obiiciat: reliqui enim pontificii scriptores cum Baronio illam pro genuina agnoscunt. Attamen hi, ut illam a se declinent, aiunt, Gregorium non damnare peregrinationes

 a quo-

a quolibet susceptas, sed ab anachoretis tantum, h. e. solitariam vitam agentibus; monachis puta et monialibus. Verum hoc est merum effugium: *Petrus* enim *Molineus* firmis argumentis clarissime probavit, Gregorium dissuasisse peregrinationes cuiusvis sortis hominibus. Primo enim S pater negat, sibi quidquam profuisse peregrinationem istam. At ipse monachus non fuit: ergo etiam ex eius mente iis non prosunt, qui monachi non sunt. Secundo provocat ad regulam, nempe præceptum divinum: hoc enim cum nuspiam extet, collegit, peregrinantem ipsum sibi legem esse honesti. Hoc autem non respectu monachorum tantum, sed omnium omnino hominum, verum est, utpote qui omnes facere sibi possunt & debent legem honesti, dum nuspiam præceptum de hoc & illo faciendo aut omittendo exstet. Tertio addit Christum invitantem ad regnum coelorum, & beatitudines enumerantem, non meminisse peregrinationum; unde illas non esse necessarias concludit. Quis non videt, hoc argumentum omnes homines stringere? Quarto peregrinationum varia pericula & damna exaggerat: quod sane ad quosvis peregrinannantes spectat. Quinto negat, largiorem Hierosolymis esse Spiritus S. gratiam, quam alibi; negat, ad deum locali mutatione accedi: asserit, adesse unicuique gratiam Dei pro mensura fidei. Haec non solis monachis, sed omnibus vetis christianis dicta esse, extra dubium est.

§ IV.

§. IV. Peregrinationem hierosolymitanam excipit romana ad limina Petri & Pauli; cui secundum locum damus, quoniam illa non tantum tempore, sed & celebritate hierosolymitana est inferior. Solent pontificii scriptores, pro antiquitate illius probanda, desiderium *Chrysostomi* sanctorum Petri & Pauli sepulcra visendi ex his eius verbis (a) elicere: *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem corporis illius, stigmata Christi gestantis, pulverem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est? Vellem videre sepulcrum, quo recondita sunt arma illa iustitiae, arma lucis, membra nunc viventia, tum vero, cum in hac vita essent, mortua: quae mundo fuerunt crucifixa membra Christi, quae Christum induerunt, quae templum Spiritus sancti, sanctaque fuerunt aedificatio, quae ligata erant spiritu, confixa timore Dei, habentia stigmata Christi &c.* Et quod alibi exaggerat catenas Petri his [b] verbis: *Nihil est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & merito viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem, & horrent daemones, reverentur autem angeli.* Verum enim vero si Chrysostomus his verbis suum desiderium ad sepulcra Petri & Pauli proficiscendi testatur an liquido exinde sequitur, morem tunc fuisse peregrinandi ad sepulcra illorum, religionis causa? *Augustinus* (c) cla-

(*a*) *Homil. 32 in epist. ad Rom.* [*b*] *Hom. 8 in ep. ad Ephes.* (*c*) *In Psalm. 88.*

clarius hanc indicat peregrinationem, dicens: *Olim Principes seculi ad urbem Romam venerunt, non ad templum Imperatoris, sed ad memoriam piscatoris. Palladius* in Historia lausiaca (a) memorat, PHILOTOMUM presbyterum bis voti causa peregrinatum Hierosolymam, & itidem ex voto peregrinatum *Romam ad limina apostolorum, & Alexandriam ad reliquias S. Marci. Beda* (b) scribit, CEEDUALLAM peregrinationem *ad limina apostolorum* suscepisse, cupientem ibi baptismum suscipere, & mox a baptismo ex hac vita migrare. Idem (c) refert, Regem COENREDUM, relicto regno peregrinationem *ad apostolorum limina* fecisse, & apud eadem in ieiuniis & precibus usque ad vitae finem permansisse. Concilium *cabilonense*, sub Carolo M. anno 813. canone 45. tradit, *eorum devotionem omnibus probari debere, qui poenitentiae causa ad limina apostolorum, vel alia sancta loca peregrinantur. Nicolaus*, pontifex romanus anno 858 factus, ad Michaëlem scribit, multa millia hominum ex omnibus terrae finibus confluere solere ad limina apostolorum religionis causa. At viri cordati medio quoque aevo non defuerunt, qui ab ista superstitiosa romana peregrinatione christianos abstraherent. In ipso Concilio *cabilonensi*, canone ante citato, probatur quidem ex animo devoto suscepta peregrinatio, at simul reprehenduntur illi, qui Romam aut Turonum sub orationis praetextu peragrantes, putant, frequentatione horum loco-

[a] *cap. 113* [b] *Lib. 5. histor. cap. 6.* (c) *cap. 20.*

locorum se a peccatis purgari, & impune peccare posse. *Claudius*, natione hispanus, ecclesiae taurinensis praesul, scripsit anno 828 Apologeticum & Rescriptum adversus Theodemirum abbatem de cultu imaginum & sanctorum, in quo libro etiam agitur de peregrinationibus religionis causa Romam susceptis, ubi Theodemirum inter alia sic (a) alloquitur: *Te ipsum primum interrogare volo: si poenitentiam agere, Romam pergere nosti, cur tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & poenitentiae causa in monasterio recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi servire fecisti?* Et paulo [b] inferius: *Propter verba evangelica*, Tu es Petrus, *non intellecta, imperitum hominum genus pro acquirenda vita aeterna, postposita omni spirituali intelligentia, volunt pergere Romam.* Certe ex hoc testimonio, aliisque videmus, maximo in abusu seculo IX peregrinationem romanam fuisse, & ex supra citato *cabilonensis* Concilii canone patet, multos tunc poenitentiae causa Romam migrasse. Solennior denique coepit peregrinatio romana fieri anno 1300, cum Bonifacius VIII emissa bulla christianos invitaret Romam ad basilicam Petri & Pauli, promissa obsequentibus non solum *plena*, & pleniore, sed & *plenissima omnium peccatorum remissione*: & haec peregrinatio *Iubilaeum* postmodum appellata fuit. Cum vero exoptatissima illa argenti auri-

rique

(a) *teste Iona Aurelianensi lib. 3. de cultu imag. qui extat t. 5. Orthodoxographiae.* (b) *p. 1577.*

rique copia Romam locupletasset, Clemens VI non poterat exspectare novi seculi initium, sed iubilaeum 50 annis anticipavit, idque anno 1350 celebravit, praetexens, iudaici instituti fuisse, quinquagesimo quoque anno iubilaeum celebrare. Sed nec ista sanctio diu duravit: nam, ut videtur, lucri cupidine incitatus Vrbanus VI iubilaeum seu peregrinationem Romam versus, ad annum trigesimum tertium reducere est ausus, quod totidem anni fuerint Christi, iubilaeum praedicantis. Verum cum ille morte praeventus, praedae, quam inhiabat, particeps fieri non posset, Bonifacius IX illa est gavisus, quippe qui tantam habebat auri famem, ut ad eam explendam gratias & indulgentias faceret inauditas, & S. *Brigida* de hoc Papa iudicarit, eum decem praecepta mutasse in unicum illud: *Da pecuniam.* Non contentus autem Bonifacius huius iubilaei quaestibus proventibusq; post paucos annos, nimirum anno 1400 alterum iubilaeum instituit. Denique ad quintum & vicesimum nundinas has restrinxit *Sixtus* IV atque intra hanc temporis determinationem res stetit, postea, & hodienum stat. Hactenus de romana peregrinatione, quae ex pia quidem intentione originem traxit, nempe, ut sepulcra apostolorum intuentes, & apud illa orantes, eo magis ad Deum celebrandum pro omnibus gratiae donis, quibus apostolos, & reliquos sanctos, per eosque universum mundum cumulavit, sese excitarent, atque ad constantiam illo-

rum

rum in fide usque ad sanguinem reliquasque virtutes aemulandas eo efficacius inflammarentur; fuit etiam aeque, ac hierosolymitana, spontanea, nec poenitentiae causa cuiquam imposita, aut peculiare meritum exinde promissum: at posteris temporibus opinio ei accessit satisfactionis & remissionis peccatorum, fixa illi tempora constituta, & sic variis modis inde a prima sua origine immutata ac depravata.

§. V. Sic autem ad sepulcra confugientes orandi causa, illis sese solebant advolvere. *Prudentius* (a) felices illos praedicat, qui ad sepulcrum S. LAURENTII talia possint praestare, quando canit:

O ter, quaterque, & septies
Beatus urbis incola,
Qui te (o Laurenti) *ac tuorum comminus* [*prope*]
Sedem celebrat ossium, (i.e. sepulcrum)
Cui propter (i.e. prope) *advolvi licet,*
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.

Et ipse *Prudentius* suum hac in re exemplum commemorat, ubi agit de CASSIANO martyre, ita (b) canens:

Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans, mecum reputo mea vulnera, &
omnes
Vitae labores, ac dolorum acumina &c.

Et

[*a*] *Peri steph. hym. 2. v. 530. p. 224.* (*b*) *Hym. 9. v. 5 p. 314.*

Et paulo poſt: [a]

Pareo, complector tumulum, lacrymas quoq; fundo:
Altar tepeſcit ore, ſaxum pectore.
Tunc arcana mei percenſeo cuncta laboris:
Tunc quod petebam, quod timebam, murmuro.

Alios etiam adhortatur, ut idem faciant his (b) verbis:

Nos pio fletu date perluamus
Marmorum ſulcos, quibus eſt operta
Spes, ut abſolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generoſa ſanctis
Civitas mecum tumulis: deinde
Mox reſurgentes animas & artus
Tota ſequeris.

Non autem legimus in patrum ſeculi IV ſcriptis, vota ſanctis facta apud eorum ſepulcra: ſed hic abuſus quibusdam ſec. V demum placuit, teſte *Prudentio*, ubi de martyribus calaguritanis agit. Ita enim ille (c) ſcribit:

Inlitas cruore ſancto nunc harenas incolae
Confrequentant, obſecrantes voce, votis, munere.

Paulinus in Natali I S. Felicis:

Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota &c.

Gregorius turonenſis meminit (d) voti, quod nomine Clodovei regis S. Martino fecerunt miniſtri eius: *Domino*, ait, *gratias agentes, & vota*

[a] *v.* 100. [b] *Peri ſteph. hym.* 4. *in hon. ſanct.* 18. *martyrum caeſaraugust. p.* 260. [c] *Hym.* 1. *Peri ſteph. p.* 167. (d) *l.* 2. *hiſt. Francor. cap.* 37.

vota beato confessori promittentes, laeti nunciaverunt Regi. *Theodoritus* (a) de curandis affectionibus Graecorum, qui libri anno 427 scripti sunt contra Iulianum Imperatorem, *Pie*, inquit, *fideliterque precatos, ea maxime consequi, quae desiderant, testantur illa, quae votorum Dei dona persolvunt: nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento, aurove confecta.* Ex quibus verbis colligo, vota sanctis facta, pro obiecto habuisse dona, que illis dare promiserunt, si preces exaudirentur. Hinc *Prudentium* ante audivimus dicentem, christianos ad martyres confluere votis, munere. Quale exemplum antecedenti paragrapho III in Theodosii iunioris uxore Eudocia habuimus. Hac ratione basilicae martyrum mirum in modum ornabantur, nec clerici damnum inde capiebant.

§. VI. Quamvis autem sub huius apud sepulcra martyrum orandi consuetudinis originem non nisi verus Deus adoraretur, nec ad ipsos sanctos preces fierent; immo & in illius progressu pii quidam viri, ad Deum solum preces dirigere serio monuerint, tamen crescente reliquiarum veneratione, preces quoque ad sanctos ipsos factae sunt. Prius *Hieronymus* contra Vigilantium, & *Augustinus* (b) contra Faustum affirmant: cum enim illi christianis obiicerent, quod *idola vertissent in martyres, quos votis similibus colerent*, & quod non tantum ho- no-

[a] *lib. 8. ubi de martyribus agit.*
[b] *lib. 20. cap. 21. t. 6.*

norarent, sed & adorarent sanctorum reliquias, calumniae hoc imputat Hieronymus, & ita (a) profitetur: *Nos non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur & in praesenti seculo, & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturae potius, quam creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cuius sunt martyres, adoremus.* Quid? quod ipse Iulianus, ubi christianos vituperat, quod *ad antiquum illum mortuum, multos recens mortuos addiderint, omniaque monumenta impleverint, quanquam illis nunquam dictum sit, advolvi sepulcris, eaque amplecti debere*, fatetur, eos (b) *Deum invocare* apud illa monumenta. Antiquiores autem christiani, e.g. smyrnensis ecclesia apud memoriam Polycarpi, nunquam hunc adorare voluisse, sed debito tantum honore prosequi, ex illius confessione notatu dignissima, supra (c) iam citata, quam certissimum est. Rationes autem, quibus impulsi, apud sanctorum sepulcra preces peragerent & smyrnensis ecclesia, & posteri usque ad sec. IV, immo prudentiores per quatuor priora secula, erant sequentes: Prima, ut memoriam eorum, qui ante certaverant, eo penitius repeterent, & ita sese eo efficacius excitarent ad simile certamen ineundum, atque ad

(a) *ad Riparium adv. Vigil. t. 2. p. 118.* (b) *Cyrill. alex. contra Iulian. l. 10. obiect. 3.*

[c] *l. 2, cap. 1.*

ad reliquas eorum virtutes [a] imitandas. Secunda, ut honorarent beatas animas. Hinc *Eusebius* [b] ait: *Vnde & moris nobis est, apud sepulcra precationes facere, & beatas sanctorum animas honorare:* idemq; huiusmodi sanctorum honorem ex Platonis dogmatibus deducit. Tertia, quod crederent, sanctos vita functos pro viventibus apud Deum intercedere. Haec autem opinio apud [c] *Origenem*, qui vixit usque ad annum circiter 250, primum reperitur, isque eam vult probare ex Maccabaeorum libris, in quibus scriptum: *Hic est Ieremias propheta Dei, qui semper orat pro populo.* Deinde scribit, se ex ore cuiusdam de senioribus magistris id audivisse. Non tamen hanc sententiam nisi pro privata agnovit, inquiens: *Iam vero, si etiam extra* [d] *corpus positi sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis, ad similitudinem angelogelorum, qui salutis nostrae ministeria procurant, habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulae committenda mysteria.* Ex Origenis schola prodiit POTAMIAENA, quae tunc, cum ad martyrium duceretur, Basilidem ethnicum propter sibi exhibita humanitatis officia, iussit bono animo esse, se enim post discessum

(*a*) *H.E.l.4.c.15.Chrys.serm.in Inventin.& Maxim. mart.sub fin. Plura loca huc pertinentia supr. sunt citata.* [*b*] *de praepar.evang.p.388.edit. graecae paris.a.1544.Cyrill.contra Iulian.l.10.*
(*c*) *Hom.in Cantica, & in Iosuae.c.13.in Numer.c.31.*
(*d*) *In epist.ad Rom. lib.2.*

pro eo deprecaturam Dominum suum. Addit *Eusebius*, [a] Basilidem, non multo post conversum narrasse, Potamiaenam triduo post martyrium noctu sibi astitisse, & corona capiti suo imposita dixisse, *se pro ipso Dominum deprecatam, & petita impetrasse*. Et sic fabulis jam coeperunt sententiam, de qua nobis sermo est, stabilire: ipse enim Eusebius illud non pro certo habet, sed *haec quidem ita sese* [ἐχέτω] *habeant*, adiicit. Eandem de intercessione sanctorum pro viventibus sententiam fovit CYPRIANUS, qui non multo post medium seculi III. vixit, ut ex his eius verbis (b) patet: *Si quis nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio*. Sec. IV. incerta haec de sanctarum animarum pro nobis oratione sententia, communis fere & universalis facta est. Sic *Eusebius* (c) defunctorum animas virtutem quandam habere, qua vel post mortem rebus humanis auxilientur, sentit. *Hilarius* (d) de custodiis, & praesidiis apostolorum, patriarcharum, vel potius, ut ait, angelorum disputat. *Basilium*, *Gregorium nyssenum* & *nazianzenum* idem credidisse, ex supra citatis de orationibus eorum funebribus innotescit. Chrysostomus dehortatus quidem est suos auditores, *peccatores indignos esse, qui ad Deum acce-*

(a) *H. E. lib. 6. c. 5.* [b] *ad Cornelium epist. Conf. lib. 2. de Habitu virginum.* (c) *de Praeparat. evangel. lib. 12.* (d) *in psalm. 124.*

accederent, ideoque opus esse intercessionibus & patrociniis sanctorum, & illos contra adhortatus est, ut sine ministro, sine intercessore ad Deum bono animo accederent, attamen credidit, sanctos in altera vita nostri curam gerere. Prius indicat vel unicus hic locus [a] de muliere cananaea: *Miserere mei. Dic mihi mulier, quomodo ausa es, cum sis peccatrix, & iniqua, accedere ad Christum? Ego, inquit, novi quid agam. Vide prudentiam mulieris: non rogat Iacobum, non obsecrat Iohannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit ad apostolorum chorum, non quaesivit mediatorem, sed pro omnibus illis poenitentiam accepit comitem, quae advocati locum implevit, & sic ad summum fontem perrexit. Propterea, inquit, descendit, propterea carnem assumsit, & homo factus est, ut ego ei audeam loqui.* Ibidem: *Ad deum non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicit: Miserere mei, Deus.* Posterius autem ex sequentibus [b] liquet: *Si Paulus, cum hic esset, usque adeo dilexit homines, multo magis illic ferventiorem amorem ostendet.* Et (c) alibi: *Illi* (martyres,) *quaecunque voluerint, apud Regem coelorum impetrare possunt.* Porro *Ambrosius* eandem opinionem in orationibus, quas habuit, funebribus prae se tulit, ut vel ex illis, quae antecedenti capite citavimus, verbis constat. De *Augustino* idem sentiendum, ut verba eius, *quod nos oporteat orationibus martyrum commendari*, ante citata (d) volunt. *Hiero-*

(*a*) *Hom.13. in Matth.* (*b*) *Homil.22. ad Rom.*
(*c*) *In Iuventium ac Maximum.*
[*d*] *Conf. lib.2. quaest. supr. Exodum c.108.*

ronymus contra Vigilantium, ingenti fervore id ipsum dogma tuetur: hic enim sentiebat, *nos, dum vivimus, mutuo pro nobis orare posse, postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudiendam esse orationem, praesertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint.* Respondet *Hieronymus*: *Si apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt? Paulus apostolus ducentas ac sexaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, & postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausurus est: & pro his, qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt, mutire non poterit? meliorque erit Vigilantius canis vivens, quam ille leo mortuus? Recte hoc de ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique sancti non appellantur mortui, sed dormientes: Tu vigilans dormis, & dormiens scribis, & proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdrae à te, & similibus tui legitur, ubi scriptum est, quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari, quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est, in manus sumere, quod ecclesia non recepit?* Ecce, quam infirmae sint *Hieronymi* probationes pro oratione sanctarum animarum pro nobis: ubi enim extra scripturam quicquam in rebus fidei traditur,

tur, ibi non possunt verae & solidae probationes locum obtinere, sed committitur petitio principii, id est, consequentiae formantur, de quibus manet in quaestione, an iustae & legitimae sint. Male ergo aguntomnes ii, qui tales nihilominus aliis obtrudere volunt. Ex iam dictis autem doctrina sec. IV fere omnium patrum de intercessione sanctorum defunctorum in aperto est posita, eaque non modo ad sequentia secula traducta, sed & multis superstitionibus maculata fuit. Intercessores enim huiusmodi *patronos* appellarunt, *tutores, mediatores, opitulatores*, ut sequenti capite ostendetur. Hac ergo de intercessione sanctorum veritate praesupposita, putabant, martyrum animas una cum ipsis tum Deum comprecari, cum apud illorum tumulos preces fierent, atque ita citius se exaudiri. Hinc *Hieronymus* de Constantia, sanctissima femina, memorat, quod illa in HILARIONIS sepulcro saepe quasi cum praesente NB. *ad adiuvandas orationes suas* sit sermocinata. Et *Basilius* sermone de XL martyribus, invitato ad sepulcrum illorum populo, ait: *Cum his ergo martyribus nostras effundamus preces.* *Chrysostomus* sermone in IUVENTINUM, & MAXIMUM: *Quaecunque voluerint, apud Regem coelorum impetrare possunt; proinde magna fidei promtitudine huc veniamus.* Accedebant quarto miracula, quae apud sepulcra martyrum sec. IV incipiebant fieri, quae omnes seculi IV ecclesiae patres comprobant, & defendunt. *Chrysostomus* (a) dicit: *Sanctorum aedes*

 signa

(*a*) *Hom. 66. ad popul antioch.*

signa exhibent, ubi daemones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur. *Hieronymus* [a] de monumento, in quo Dominus conditus est, pronunciat: *Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo & angelis eius, qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, contremiscunt, rugiunt, & se dolent crucifixisse, quem timeant.* De peculiari miraculo, propter Babylam martyrem a Deo facto, *Chrysostomus* [b] plurima habet, atque illis gentiles vult convincere de veritate evangelii. *Socrates* (c) etiam, & *Sozomenus* (d), illius veritatem agnoscunt. Nempe *cum loculus S. Babylae Daphnen esset translatus, ex adversa templi Apollinis, daemon more solito oracula reddere desiit. Cum enim Iulianus animo volveret expeditionem in Persas, ad omnia oracula, quae in imperio romano erant, fidelissimos suorum misit: ipse vero Pythium Daphneum oravit, ut futura sibi aperire vellet, sed conticuit, tandemque responso dato, vaticiniis suis obstare dixit vicinos mortuos. Cum autem multa essent Daphnae sepulta cadavera, Imperator vero conicient, solum martyrem Babylam obstare, arcam illius transferri iussit.* *Hieronymus* (e) apud sanctas reliquias Andreae, Lucae & Timothei, Constantinopolim translatas, daemones rugire, ait. Nec ipse Vigilantius negabat, signa atque virtutes

(a) *Paula & Eustoch. ad Marcellam ap. Hieron. t. 1.*
(b) *Lib. contra gentiles de Babyla* [c] *H. E. lib. 3. c. 18.* (d) *Lib. 5 cap. 19. Theodorit. lib. 3. c.* 10.
(e) *Advers. Vigilant.*

tuces in basilicis martyrum fieri, sed tantum illa fidelibus prodesse. Hinc *Hieronymus* adversus eum ita scribit: *Esto, signa sint infidelium, sed responde, quomodo in villissimo pulvere & favilla, nescio qua, tanta sit signorum, virtutumq; provincia? Ambrosius* de miraculis apud corpora PROTHASII & GERVASII martyrum factis, in suis Operibus passim loquitur; quod & *Augustinus* [a] testatur, cum scribit: *Nam & nos novimus, Mediolani apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter daemones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum iurciurando deciperet, compulsum fuisse, confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere.* Idem de reliquiis S. Stephani miracula (b) praedicat. *Basilius* M. similiter (c) narrat, terram b. IULITTAE martyris adventu benedictam, ex propriis lateribus naturam aquae generosissimam emisisse. Ista ergo miracula, aliaque plura, quae apud sepulcra, non quidem omnium, sed (d] quorundam martyrum fiebant, priscos christianos seci IV ad sepulcra alliciebant, quando in externis calamitatibus versabantur, putantes, Deum per martyres & ipsos a malo liberaturum esse, precibus exauditis. Existimabant etiam multi, martyrum corporibus insitam esse quandam vim divinam, quae apud sepulcra eorum sese exereret. Hinc variis morbis vexatos ad illa deportabant; at *Augustinus* [e] aliter sensit, soli Deo istam vim

(a] *Epist. 137.* [b] *de civit. dei l. 22. c. 8.* [c) *Serm. in mart. Iulittam.* (d) *Epist. 137.* [e] *de Cura pro mortuis.*

adſcribens, qui ad fidem orthodoxã confirmandam, iuxta monumenta martyrum, talia ederet, ad illorum innocentiam mundo monſtrandam, atque fidem, qua paſſi erant, celebrandam: Ex iſtis ergo quatuor rationibus ſepulcra ſanctorum prae aliis locis elegerunt orandi cauſa: qua in praxi confirmabantur, ſi forte preces eorum eſſent exauditae. Progreſſum vero huius conſuetudinis non parum adiuvabat iſta opinio, quod animae martyrum ſuis ſepulcris praeſentes eſſent, & preces audirent; qui quamvis craſſus eſſet error, & gentili communis, tamen viris quoque eruditis arriſit. Cum enim illi ſeſe opponeret Vigilantius, dicens, *vel in ſinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei animas apoſtolorum, & martyrum conſidere, nec poſſe ſuis tumulis, &, ubi vellent, adeſſe praeſentes*, admodum ſarcaſtice reſpondit ei *Hieronymus*, ſcribens: „Senatoriae videlicet dignitatis ſunt, & non inter homicidas teterrimo „carcere, ſed in libera, honeſtaque cuſtodia in „fortunarum inſulis, & in campis elyſiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu apoſtolis „vincula iniicies, ut usque ad diem iudicii teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, „de quibus ſcriptum eſt: Sequuntur agnum, „quocunque vadit? Si agnus ubique, ergo & „hi, qui cum agno ſunt, ubique eſſe credendi „ſunt. Et cum diabolus & daemones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia ubique „praeſentes ſint, martyres poſt effuſionem ſan-

„guinis

„guinis ſui arca operientur incluſi, & inde ex„ire non poterunt? Verum tales abſurdas conſequentias nectere, tanto viro prorſus fuit indignum; quare & a *Chryſoſtomo* (a) & *Auguſtino* (b) refutatus eſt. Et quidem *Auguſtinus* de iſta Hieronymi aliorumque ſententia ex inſtituto (c) diſputat, ac illorum, praecipuo fundamento indicato, refutationem ſubiungit. Nempe ſcribit: „Feruntur, mortui nonnulli, vel in „ſomnis, vel alio quocunque modo apparuiſſe „viventibus, atque ubi eorum corpora iacerent „inhumata neſcientibus, locisque monſtratis „admonuiſſe, ut ſibi ſepultura, quae defuerat, „praeberetur.„ Quae non quidem vult pro falſis venditare: attamen reſpondet, 1. non ideo putandum, mortuos iſta ſentire. Addit: „Nam & viventes apparent ſaepe viventibus „dormientibus, dum ſe ipſi neſciunt apparere, „& ab eis, qui haec ſomniaverint, audiunt, di„centibus, quod eos in ſomnis agentes aliquid „vel loquentes viderint. Angelicis igitur ope„rationibus fieri crediderim, ſive permittatur „deſuper, ſive iubeatur, ut aliquid dicere de ſe„peliendis corporibus ſuis videantur in ſomniis, „cum id penitus neſciant, quorum illa ſunt cor„pora. Id autem aliquando utiliter fit, ſive ad „vivorum qualecunque ſolatium, ad quos per„tinent illi mortui, quorum apparent imagines „ſomniantibus; ſive ut his admonitionibus ge-

(a) *Homil. 29. in Matth.* [b) *de Cura pro mortuis cap. 16.* (c) *loc. cit. c. 10. & ſeqq.*

„neri humano sepulturae commendetur hu„manitas. Aliquando autem fallacibus somniis „hi homines in magnos mittuntur errores. „Similia sunt somniis nonnulla etiam visa vi„gilantium, qui turbatos habent sensus, sicut „frenetici, vel quocunque furentes modo: „nam & ipsi loquuntur secum, quasi vere prae„sentibus, loquantur, & tam absentibus, quam „praesentibus, quorum imagines cernunt, sive „vivorum, sive mortuorum. Huic rei simile est „etiam illud, cum homines altius, quam si dor„mirent, subtrahuntur corporis sensibus, & oc„cupantur talibus visis. Et his enim apparent „imagines vivorum atque mortuorum: Sed „cum fuerint sensibus redditi, quoscunq; mor„tuos vidisse se dixerint, vere cum eis fuisse cre„duntur, cum tamen tantum imagines fuerint.

2. Istorum sententiae opponit sequens argumentum: „Si rebus viventium interessent ani„mae mortuorum, & ipsae nos, quando eas vide„remus, alloquerentur in somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla no„cte desereret, quae terra marique secuta „est, ut mecum viveret. Absit enim, ut facta „sit vita feliciore crudelis, usque adeo, ut quan„do aliquid angit cor meum, me tristem filium „consoletur, quem dilexit unice, quem nun„quam voluit moestum videre.

3. Psalmum c. 26. dicere: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me.* Si ergo dereliquerunt nos pa„tres nostri, qui curis rebusque nostris inter- sunt?

„sunt? Esaiam [c. 63] quoque profiteri: *Abra-
„ham nos nescivit & Israël non cognovit nos.*
„Si tanti patriarchae, quid erga populum ex iis
„procreatum ageretur, ignorarunt, quomodo
„mortui vivorum rebus, atque actibus cogno-
„scendis adiuvandisque miscentur?

4. Quomodo dicimus, eis fuisse consultum,
„qui obierunt, antequam venirent mala: si &
„post mortem sentiunt, quaecunque in vitae
„humanae calamitate contingunt? Iosiae illud
„beneficium est promissum a Deo (2 Reg. 22.)
„2 Paral. 34. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum,
„ubi non vident, quaecunque aguntur, aut e-
„veniunt in ista vita hominibus.

„Obiectio 1. Si nulla est mortuis cura de vivis
„quomodo dives ille rogavit Abrahamum, ut
„mitteret Lazarum &c [Luc. 16.] ℟. Ita illi fuit
„de vivis cura, quamvis quid agerent, omnino
„nesciret, sicut nobis est cura de mortuis, quam-
„vis, quid agant, omnino utique nesciamus.

Obiectio 2. Abraham pater vita functus scie-
bat, quid heic ageretur: nempe Mosem esse,
& prophetas; & divitem illum in deliciis, pau-
perem vero Lazarum in laboribus doloribus-
„que vixisse. ℟. Id eis non vivis, sed mortuis
„Abraham potuit indicare: proinde fatendum,
„nescire quidem mortuos, quid heic agatur,
„postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos mo-
„riendo pergunt. Non quidem omnia, sed
„quae sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista
„meminisse: & quae illos, quibus ista indicant,
„oportet audire. Possunt & ab angelis, qui re-
„bus

„bus, quae aguntur heic, praesto sunt, audi-
„re aliquid mortui, quantum Dominus vult.
„Possunt etiam spiritus mortuorum, ali-
„qua, quae heic aguntur, non solum prae-
„terita vel praesentia; sed & futura spiritu
Dei revelante, cognoscere. *Mitti quoque
ad vivos aliquos ex mortuis*, exemplo Samuelis
1. Sam. 28. & Mosis ac Eliae Matth. 17. probat.
Et hinc obiectionem 4. quomodo martyres
ipsis beneficiis, quae dantur orantibus, indi-
cent, sese interesse rebus humanis, solvi
posse autumat. Addit: Immo & ipsis homi-
„num aspectibus confessorem apparuisse Feli-
„cem, cum a barbaris Nola oppugnaretur, au-
„divimus non incertis rumoribus, sed testibus
„certis. R. Alia sunt, quae naturaliter, alia,
„quae mirabiliter fiunt. Per divinam itaque
„potentiam martyres vivorum rebus intersunt.
„Quanquam ista quaestio vires intelligentiae
„meae vincat, quemadmodum opitulentur
„martyres iis, quos per eos certum est ad-
„iuvari: utrum ipsi per se ipsos adsint uno
„tempore tam diversis locis, sive ubi sunt
„eorum memoriae, sive praeter suas me-
„morias, ubicunque adesse sentiuntur: an
„vero ipsis in loco suis meritis congruo, ab o-
„mni mortalium conversatione remotis, & ta-
„men generaliter orantibus pro indigentia sup-
„plicantium, Deus omnipotens, audiens mar-
„tyrum preces, per angelica ministeria usq; qua-
„que diffusa, praebeat hominibus ista solatia; &

tia;

suorum merita martyrum, ubi vult, quando vult, „ quomodo vult, maximeque per eorum memo- „ rias, quoniam hoc novit expedire nobis ad aedi- „ ficandam fidem Christi, pro cuius illi confessio- „ ne sunt passi, mirabili atque in effabili potestate, „ ac bonitate commendat, „ *Res haec altior est, quam ut à me possit attingi.* Ex his ergo sententia Augustini patet. Nihilominus simplex & erronea haec opinio de praesentia martyrum ad tumulos, mansit in ecclesia. Vnde Prudentius (a) alios invitat ad sepulcrum martyris Cassiani:

Suggere, si quod habes iustum vel amabile votum,
spes si qua tibi est, si quid intus aestuas.
Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,
ratasque reddit, quas videt probabiles.

Quae vero opinio non parum contribuit ad ipsos sanctos compellandos, & preces ad eos dirigendas: sicut enim ex uno absurdo multa fluunt alia, ita & in prisca inde a IV sec. ecclesia unus error alterum excepit. Immo iam ante sec. IV ecclesia virgo esse desiit, tum nempe, postquam apostoli, & ii, qui eos audivere, e vivis excesserant, ut *Eusebius* (b) ex Hegesippo annotavit.

[a] *Hym. 9. Peri steph. p. 310.* (b) *H. E. l. 3. c. 32. & lib. 4. cap. 22.*

CAP. VII.

Preces ad sanctos factae: & singulare patrocinium tam urbium, quam ecclesiae ab iis sibi promiserant.

Tandem

§. I.

Tandem sec. IV preces ad ipsos sanctos fuerunt directae; cui abusui occasionem dedisse morem ad sepulcra eorum orandi, ex antecedentibus patescit. Rationes quidem erant tres illae, quas praecedenti capite adduxi; ita enim colendos esse martyres, miracula per eos facta, intercessionemque atque curam eorum pro salute nostra id postulare arbitrabantur: at potior videtur fuisse illa, quod martyres praesentes esse, & preces nostras audire crederent. Accedebat & illa persuasio, quod sese indignos quidam haberent, qui immediate ad Deum accederent. Obiectum autem precum ad martyres & sanctos erat duplex, vel bona ad corporis in hac vita, vel bona ad animae salutem pertinentia, velut sequentia docebunt. Simpliciores itaque initium fecere preces ad martyres dirigendi, ut eo citius exaudirentur. *Basilius M.* huius rei testis est, de cultu XL martyrum ita referens: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugit, qui rursus laetatur, hos orat: hic, ut a malis liberetur, ille, ut duret in rebus laetis. Hic mulier, orans pro filio, auditur, peregrinanti viro reditum incolumem, aegrotanti vero salutem implorat.* Hos mores populi ille refert, & non videtur eos prorsus approbare, sed potius corrigere, cum addit: *Cum his ergo martyribus nostras effundamus preces*, ad Deum videlicet, ad quem martyres preces suas effundunt. Alii quidem citata verba illa, *ad hos confugit, ad hos orat*, sic legunt,

legunt, *ad hos confugiat, ad hos oret:* verum res in dubio est posita, & nostrae citationi non tantum contextus, sed & additamentum illud, *cum his ergo martyribus nostris &c.* potius favet. Deinde ipsi episcopi, tam graeci quam latini, rhetoricis suis declamationibus & flosculis abusum hunc non parum promoverunt; mirum enim in modū plurimi martyrum intercessionem, patrocinium, tutamen, & auxilium exaggerarunt; immo ipsos illos compellarunt, ut curam gererent, & pro se orarent, & sic ianuam populo aperiere preces ad illos faciendi. Ita *Basilius* de XL MARTYRIBUS declamitat: *Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quaedam turres, contra adversariorum incursum, refugium exhibent. Hi quadraginta sunt unum, & omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc, fratres, gratiam hanc minime deficientem ex Deo obtinemus. Paratum est hoc christianis auxilium, ecclesia videlicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Saepe operam dedistis, saepe laborastis, ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem. Vbi enim sunt duo, vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi vero quadraginta fuerint, quis dubitet, Deum esse praesentem?* Ex *Gregorio* nazianzeno rhetoricas apostrophas ad martyres jam supra vidimus. Addimus illis eiusdem oratoriam defuncti ATHANASII compellationem: *Tu vero e superno propitius nos respice, & populum hunc dirige, nosque in pace fove, in certamine dirige, & cum tamen ipso statue.*

Et

Et S. CYPRIANI: *Tu vero ab alto propitius nos respice, nostrumque sermonem, & vitam dirige, & ovile hoc pasce, ac lupos abige.* *Chrysostomus* sermone in IUVENTINUM & MAXIMUM martyres, eorum patrocinium itidem exaggerat, atque hinc preces saltem apud eorum sepulcra vult fieri, dicens: *Hos non indignum fuerit, &* columnas, *&* scopulos, *&* turres, *&* candelabra, *&* tauros *simul appellare: nam ecclesiam, sicut columnae, sustinent, sicut turres muniunt, & scopuli omnes undarum assultus repulerunt, multam interim ipsi servantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras impietatis discussserunt, & sicut tauri, iugum Christi traxere. Idcirco saepe eos invisamus.* Et in S. IGNATIUM: *Reliquias sanctorum Deus nobis concessit, ut sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quae quotidie nos affligunt.* *Gregorius* autem nyssenus maiori in perorando utitur licentia, cum ita erumpit: *Tu vero quaecunque te ora tenet, huc ad nos veni: nos enim te vocantem vicissim vocamus. Quocirca sive sublimi in aethere moraris, sive coelestem aliquam absidem circumvertis, sive inter angelorum choros constitutus Dominum adoras, istis omnibus parumper intermissis, ad nos, qui te colimus, & honoramus, accede. Multis beneficiis indigemus; tu legationis munere apud communem Regem pro nobis fungere. Quanquam vitam hanc transcendisti, humanas tamen necessitates non ignoras; impetra nobis pacem. Nos quidem, quod hactenus sarti tecti servati sumus, tibi acceptum referimus, sed imposterum etiam securitatem postulamus. Quod si maiori opus sit auxilio,*

xilio, fratrum tuorum martyrum chorum adhibe, una cum omnibus supplica: multorum preces iustorum, nationum & populorum crimina diluant. Petrum admone, Paulum excita, Ioannem advoca, ut ecclesiarum solliciti curam suscipiant. Inter latinos patres *Ambrosius & Hieronymus*, pro stylo illius aevi, rhetoricis apostrophis similiter luserunt; prior enim oratione in SATYRUM habita, fratrem ita compellat: *Para hospitii consortium: ne, quaeso, cupientem tui diu differas, properantem exspecta, festinantem adiuva, & si diutius tibi morari videbor, accerse.* Quae autem ex libro *de Viduis* pro invocatione sanctorum solent afferri, cave, ne S. Ambrosii esse credas: nam istum librum inter dubia eius scripta merito cum aliis criticis posuit celeberrimus [a] Cave. Quod ad *Hieronymum* attinet, is quidem contra Vigilantium defendit, sanctos intercedere pro nobis; at orationem ad martyres ibi non attingit. Rursus autem in oratione funebri defunctam PAULAM compellat, & orationibus illius sese commendat, *Vale*, inquiens, *o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva:* quae rhetorica apostrophe tamen, ab orationibus aliorum ad martyres pro corporali sanitate, & liberatione a periculis, valde differt. Iam, quid *Augustinus* senserit de oratione ad martyres, videamus. Probe igitur notandum, illum eam negare in publicis conventibus sacris, cum (b) ait: *Ad sacri-*

 ficium

(a) *De scriptor. ecclesiast. p. 150.* (b) *De civit. Dei l. 22, c. 10.*

ficium martyres, ficut homines Dei, suo loco & ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Et alibi [a] dicit: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum coli a nobis volunt, quo illuminante laetantur, meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Item (b): *Honoramus memorias martyrum, ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos imitationem talium coronarum atque palmarum,* (c) EODEM INVOCATO IN AUXILIUM, *ex eorum memoriae renovatione adhortemur.* Et cum Faustus christianis obiiceret, *Idola vertistis in martyres, quos votis similibus colitis,* Augustinus respondit: *Colimus martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata, iam in vita feliciori victores sunt. At illo cultu, qui graece λατρεία dicitur, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Vt multa alia loca taceamus, in quibus ille invocationem sanctorum removet. Distinguit autem is inter invocationem sanctorum & talem formulam, qua quis intercessionibus illorum se commendat: unde sentit, nos debere orationibus martyrum (d) commendari. *Iniuria,* ait

(*a*) *de vera religione cap. 55, Conf. epist. 44.*
(*b*) *de civit. Dei l. 8. c. 27.* (*c*) *l. 20. c. 21.*
(*d*) *Serm. 17. de verbis apost.*

ait, *est, pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Vbi autem non auxilii illorum implorationem in rebus adversis, ut e malis, morbis &c. liberrent, peregrinantibus in via custodia sua adsint, consulit, sed tantum, ut nos commendemus ipsorum intercessionibus apud Deum: quam differentiam inter invocationem, & orationem, omnes ante Augustinum patres caute voluisse observari, ex eo colligimus, quod nunquam *invocationis* vocabulo hac in materia utantur, sed *orationis* tantum, aut *commendationis* voce, quemadmodum & vivos pios homines non invocamus, sed oramus, ut pro nobis orent, & sic precibus illorum nos commendamus: unde & Augustinus antea dixit, se atque reliquos veros christianos non alio cultu colere sanctos vita functos, quam quo & in hac vita colantur sancti homines Dei.

§. III. Verum enim vero etsi sec. IV pii quidam & prudentes viri adhuc erant, qui admodum circumspecte, & valde pauca de oratione ad sanctos tradebant, tamen post Augustinum mos iste precandi sanctos vires acquisivit eundo; maxime poëtarum culpa, *utpote qui iam invocationes Musarum, daemonum, & heroum ex poëmatibus veterum, poëtica imitatione & licentia, ad martyres transtulerunt.* Atque ita oratio ad sanctos, „ sine scripturae mandato, promisso, & exemplo, „ primo per superstitiosam plebem inchoata, „ dein ab antistitibus per declamatorias rhetorum figuras publice confirmata, & tandem per, „

„poëtas licentia poëtica sic amplificata, atque ad
„summum excessum perducta est, ut non tantum
„de patrocinio & tutela martyrum multum glo-
„rientur, sed & omnia, quae in scriptura a
„Christo sperare & petere iubemur, a sanctis pe-
„tant & sperent, ut B. *Chemnitii* verbis utar. (a)
Primo autem audiamus latinos quosdam poë-
tas, & inter eos *Prudentium*, qui floruit sec. V,
& hymno in S. LAURENTIUM (b) ita canit:

Quae sit potestas credita,
& muneris quantum datum,
probant Quiritum gaudia
quibus, rogatus, adnuis.
Quod quisque supplex postulat,
fert impetratum prospere:
Poscunt, iocantur [alii legunt licenter] *in-*
& tristis haut ullus redit. *(dicant,*
Ceu praesto semper adsies,
tuosque alumnos urbicos,
Instante complexus sinu
paterno amore nutrias.
Hos inter o Christi decus,
audi poëtam rusticum,
cordis fatentem crimina,
& facta prodentem sua.
Indignus, agnosco & scio,
quem Christus ipse exaudiat,
sed per patronos martyras
potest medelam consequi.

Audi

(a) E.C.T. de *Invocat. sanct.* p. 646. P. III.
[b] *Peri steph. hym.* 2. p. 227.

Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
& servientem corpori,
absolve vinclis seculi.

Idem hymno in S. VINCENTIUM (a) martyrem:

Adesto nunc & percipe
voces precantum supplices,
nostri reatus efficax
orator ad thronum Patris.
Per te, per illum carcerem,
honoris augmentum tui,
per, vincla, flammas, ungulas,
per quem trementes posteri
exosculamur lectulum,
miserere nostrarum precum,
placatus ut Christus suis
inclinet aurem prosperam,
noxas nec omnes imputet.

&c.

Paulisper huc in labere
Christi favorem deferens:
sensus gravati ut sentiant
levamen indulgentiae.

Idem de passione martyrum EMETERII, & CHELIDONII (b) agens, ingentem populi ad martyres istos confluxum enarrat, & preces illorum exaudiri omnes intercessione & meritis martyrum persuasus est, ita declamitans:

Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,

 hic

(a) *Peri steph. hym. 5. p. 294. & seq.*
[b] *Hym. 1. Peri steph. p. 167.*

hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras, hic rogando, frustra congessit preces:
laetus hinc tersis revertit supplicator fletibus,
omne, quod iustum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est:
non sinunt, inane ut ullus voce murmur fuderit.
Audiunt, statimque ad aurem Regis aeterni ferunt:
inde larga fonte ab ipso dona terris influunt.

Et de S. AGNE (a) canit:

Agnes sepulcrum est Romulea in domo
fortis puellae, martyris inclitae.
Conspectu in ipso condita turrium
servat salutem virgo Quiritium,
nec non & ipsos protegit advenas,
puro ac fideli pectore supplices.

Idem de S. CYPRIANO agens, sic (b) ludit:

Desine flere bonum tantum, tenet ille regna caeli:
nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
Disserit eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetas.
Nec Libyae populos tantum regit, exit usque in ortum
solis, & usque obitum. Gallos fovet, imbuit,
praesidet Hesperiae, Christum serit ultimis Hiberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis.
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

Prudentium excipit *Pontius Paulinus*, episcopus nolanus, qui poëticas illas implorationes imitatus, precibus martyrum similiter multum

[a] *Peri steph. hym. 14. p. 455.* [b] *hym. 13. p. 454.*

tum tribuit, & S. CLARUM [a] hunc in modum rogat:

Haec peccatorum bonus accipe vota rogantum,
ut sis Paulini, Therasiaeque memor.
Sic cum Martino socia pietate labores,
ut vincant vestrae crimina nostra preces.
Vt simul in vestri ducamur sorte Severi,
vestraque nos semper protegat ala sinu.

Idem natali III in FELICEM canit:

Poste, ovium grege nos statui, ut sententia summi
Iudicis hoc quoque nos iterum tibi munere donet,
ne male gratatis laevos adiudicet hoedis.

Vt alia carmina, nimium quantum intercessioni sanctorum deferentia, tam in eiusdem CLARI, quam in V & VIII & IX Felicis natali, non adducam, quippe quae etiam apud *Chemnitium* (b) legi possunt. Deinde post annum Domini 500. *Fortunatus* tanta licentia utitur, ut b. MARTINUM velit esse mediatorem inter se & Dominum. Ita enim ille oberrans, alloquitur (c) B. MARTINUM:

Vir transcripte potens aeterna in secula, cuius
signifer arma crucis fers nobilitata triumphis:
dulcis adorande, *& mihi pectore, voce colende;*
fer pietatis opem misero, miseri miserere,
rector ut altithrono cum venerit arbiter orbis,
tunc memor obtineas delicti oblivia nostri.
Inter me, & Dominum mediator *adesto benigne,*
quem sua culpa ligat, tua ut interventio solvat.

D d 4 Spes

(*a*) *Epist.* 12. [*b*] *de Invocat. sanct. p. m.* 647.
(*c*) *lib.* 2. *de Vita Mart.*

Spes Fortunati sit fida salutis egena,
suppliciter humilem tibi se stravisse, patrone:
nam prece multa vales apud illum, cuius haberis,
quod peto, tu poteris, quia totum praestas amicis,
sic tibi quaeque petis tribuat praesentia Regis.
Quid ergo mirum, corruptam praxin populi magis magisque invaluisse, cum tantos facti sui encomiastas haberent, immo tam eruditos antecessores?
Hinc *Theodoritus*, Chrysostomi discipulus, in quodam librorum, circa annum 427 scriptorum, praxin populi [a] sic recenset: *Qui prospera sunt valetudine, conservari sibi eam, a martyribus petunt: qui vero aegritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper steriles viri & mulieres dari sibi filios petunt: qui vero parentes sunt, integra sibi custodiri, quae consueuerunt, dona: non qui se ad deos accedere arbitrentur; sed qui orent dei martyres, tanquam divinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum advocent, & precentur.* Immo ipse episcopus uticensis seu vitensis in provincia byzacena *Victor* (b) sec. V apostolos ita orat: *Prostrati, rogamus, ut non spernatis vestros miseros precatores per eum, qui vos ad apostolicum culmen provexit.* De fide autem quinti huius seculi de sanctis

(a) *de Curat. graec. affect. l. 8. Colomesius Biblioth. choisf. p. 101 miratur, Vossium in Histor. theol. de invocat. sanct. negare, istos libros esse Theodoriti, siquidem ipse Theodoritus indicet in prima quaest. in Levit. se esse eorum auctorem.*
[b] *Lib. 3. de persecut. vandal.*

ctis, *Leo* sermone I. de natali apostolorum sic pronunciat: *Credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuvandos, ut, quantum propriis peccatis deprimimur, tantum apostolicis meritis erigamur.* Item; *Si quid a nobis recte discernitur & agitur; si quid a misericordia Dei quotitianis supplicationibus obtinetur, Petri est operum atque meritorum.* Hinc *Gregorius* M. [a] implorationem illorum deducit, ita adhortans populum: *Adsunt defensores nostri, sancti martyres, rogari volunt, atque quaerunt, ut quaerantur. Hos ergo adiutores vestris orationibus quaerite; hos protectores vestri reatus invenite.* Et hactenus in latina ecclesia imploratio sanctorum inter privatos parietes haeserat. Sicut vero in graeca *Petrus*, γναφευς seu *fullo* cognominatus, qui postea in V universali concilio, ut haereticus damnatus fuit, circa ann. 470 reperisse dicitur, ut in omni precatione (b) *Dei genitrix* nominaretur & divinum eius nomen invocaretur, ita & *Gregorius* M. sec. VI in latina ecclesia primus in publicas precationes seu λιτανειας id ipsum inseruisse fertur; sic autem eum fecisse divinitus monitum fabulantur; nempe in solemni litaniae celebratione angelos aliquando cecinisse, *Regina coeli laetare*, quo audito, Gregorium statim adiecisse publicis precibus seu litaniae haec verba: ORA PRO NOBIS DEUM. Postea sine fine & modo progressi

Dd 5 sunt

[a] *Hom. 32. in evangel.* (b) *Niceph. H. E. l. 15. c. 28*

sunt ad alios sanctos implorandos, ut in Missa *Chrysostomi* ex versione Leonis thusci haec habentur: *Maria, Deo supplica, ut animas nostras salvet: apostoli legatione fungimini apud Deum, ut peccatorum remissionem animabus nostris tribuat: pater Nicolaë, fungere legatione apud Christum Deum, ut animae nostrae salutem consequantur: martyres confessores, orate pro nobis, salvate animas nostras: sancte Michaël, rogamus te, ut tuis intercessionibus munias nos, umbra alarum tuarum custodi nos; ad te clamamus, a periculis erue nos.*

CAP. IIX.

De translatione reliquiarum.

§. I.

Ad cultum & venerationem sanctorum pertinet quoq; translatio reliquiarum eorum in honestiorem locum. Primum quidem exemplum effossionis corporum, quod deprehendi, est illud Cypriani (a) circa a. 256. Verum id huc non spectat, siquidem corporis eius effossio non ex opinione illud magis honorandi, aut sine necessitate facta fuit, sed ex metu gentilium, ne illi noctu sancti martyris corpus effoderent; atque ita necessitate compulsi, in locum tutiorem illud transtulere. Nec translatio corporis S. Babylae huc est referenda, quippe quae similiter ex necessitate, iussu (b) videlicet Iuliani Imperatoris, suscepta fuit, ubi

(a) *In Actis Cypriani apud Baron, annal. t. 1.*
(b) *Socrat. H. E. lib. 3. c. 18.*

ubi simul omnes christiani cum mulieribus & parvulis, loculum ex Daphne in urbem comportantes tripudiarunt gaudio, & psalmos cecinerunt, qui perstringebant gentilium deos, eosque, qui diis illis, & simulacris eorum fidem adhibebant, quae sunt ipsa *Socratis* (a) verba. *Sozomenus* [b] autem exprimit verba psalmi, quae cecinerunt, haec nempe: *Confusi sunt omnes, qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris.* Illis itaque remotis, ad translationem sanctarum reliquiarum sponte ac ultro factam accedo, quae initium sumsit sub Constantio, Constantini M. filio; sicuti enim apud gentiles corpora praestantium virorum, loco ignobiliori condita, ad celebriora monumenta, vel ex peregrina terra, ubi fatis concesserant, ad avita, patriaque sepulcra, magna pompa ac solemnitate solebant portari, ut exemplis probavit Ioh. [c] *Gerhardus*; ita & Christianis praestantia martyrum pignora e loco obscuriori aut ignobiliori in honestum atque sacrum transferre placuit. *Hieronymus* (d) primus huius moris testis est, quando meminit, Constantinum imperatorem sanctas reliquias Andreae, Lucae & Timothei transtulisse Constantinopolim, easque in magna sanctorum apostolorum ecclesia, ab ipso dedicata, deposuisse. Non vero Constantinum M. patrem, sed filium Constantium esse intelligendum, ipse *Hie-*

[a] *H. E. lib. 3. cap. 18.* (b) *lib. 5. c. 19.*
(c) *L. de Morte n. 101.*
[d] *Adversus Vigilant.*

Hieronymus in *Chronico* (a) Eusebii, quod latine vertit & auxit, indicat, nec non *Philostorgius*, & *Nicephorus* locis infra citatis. Constantii, Arianorum fautoris, factum alii sunt secuti. Sic *Ruffinus* [b] describit translationem corporis S. IOHANNIS baptistae ex Palaestina Alexandriam, factam circa annum 362. aevo Iuliani. Cujus aevo & *Gallus* eiusdem frater, Caesar a Constantio nuncupatus, eosque, qui religionis causa martyrium erant perpessi, valde impense venerans, Antiochiam, ubi sedem fixerat, superstitione gentilium purgare constituit. Id autem se facile consecuturum est arbitratus, si ecclesiam illic ex adverso templi Apollinis construxisset; qua constructa, loculum BABYLAE martyris, qui olim ecclesiam antiochenam summa cum laude rexerat, Daphnen (c) transtulit, *Ambrosius* autem sub Valentiniano II corpora PROTHASII & GERVASII martyrum in basilicam (d) ambrosianam. Theodorus [e] refert, sub Theodosii M. imperio reliquias sanctorum martyrum TERENTII & AFRICANI translatas, & eius iussu depositas esse in martyrio S. Euphemiae. Eodem imperante, teste *Sozomeno*, (f) trans-

[a] *Ann. 21. Constant. Theodorus lector in collectan. sub fin. & Auctor Chron. alexandr. Item acta Artemii ap. Sur. d. 20. Octobr. Philostorg. H.E. lib. 3. cap. 2. & Niceph. Callisti lib. 10. c. 11.*
(b) *H. E. lib. 2. cap. 28.* (c) *Sozom. H. E. lib. 5. cap. 19.* (d) *August. lib. 9. Conf. cap. 7.* (e) *H.E. lib 2. sub fin.* [f] *H. E. lib. 7. cap. 21.*

translatum fuit Constantinopolim IOANNIS baptistae caput, quod Herodias ab Herode tetrarcha olim petierat; idque inventum esse dixerunt apud monachos quosdam ex secta Macedonianorum, qui antea quidem Hierosolymis morati fuissent, postea vero in Ciliciam migrassent. Addit ille: Iam quidem iusserat an„tecessor Theodosii Valens, ut id caput Constan„tinopolim deportaretur: & ii, qui ad hoc missi „fuerant, caput illud, publico vehiculo im„positum transferre coeperunt; sed cum ve„nissent Pantichium, qui locus est, in agro chal„cedonensium, mulae, quae vehiculum „trahebant, ulterius progredi detrectarunt, „licet equisones minas ipsis intentarent, „& auriga flagello graviter eas caederet: qui „cum nihil proficerent, & cunctis, ipsique a„deo Imperatori ea res stupenda, ac prorsus di„vina videretur, in vico Cosilai sacrum illud „caput deposuerunt. Porro circa hoc tempus „sive Dei sive prophetae illius impulsu, Impe„rator Theodosius ad eum locum perrexit, cum„que baptistae reliquias inde auferre vellet, „sola, ut aiunt, ei restitit matrona, quae sacrata quidem virgo erat, ceterum caput illud tanquam ministra & custos comitabatur. Cum igitur illa omni virium nisu obstaret, Imperator nequaquam eam cogendam esse censuit, sed precibus contendit, ut reliquias tolli permitteret: quod cum illa vix tandem concessisset, irritum fore Imperatoris conatum arbitrata, ex

eo, quod Valentis temporibus acciderit, Imperator loculum, in quo conditae erant reliquiae, „purpurea veste, qua indutus erat, involvens, „secum detulit, reversusque, in suburbano „urbis Constantinopolitanae, quod septimum „dicitur, deposuit, amplissima illic, ac pulcherrima basilica in honorem Dei constructa. Sed *Dorschens* (a) ex ipso Baronio demonstrat, totam hanc de capitis Iohannis inventione relationem idoneo fundamento destitui: nam Sozomenus & alibi saepe errorem commisit, prout *Baronius* [b] observavit. Hoc vero certissimum, sub Theodosio M. iam in immensum crevisse studium atque operam reliquiarum congerendarum, & asservandarum. *Theodorus* lector (c) refert, SAMUELIS reliquias sub Arcadio Constantinopolim allatas, & ibi depositas esse in ecclesia eiusdem prophetae. Arcadius, Theodosii filius, Hieronymo (d) teste, *ossa* B. SAMUELIS *de Iudaea transtulit in Thraciam*. Et sub huius filii, Theodosii II Imperio reliquiae XL martyrum inventae sunt, quas cum Pulcheria soror Imperatoris, pretiosissima capsa honorasset, iuxta Thyrsum martyrem (e) in eadem basilica, in qua ante clam latuerant, deposuit. Eodem regnante depositae sunt reliquiae sanctorum STEPHANI, LAURENTII, & AGNETIS in martyrio (f) S. Laurentii. Idem *Theodosius* IONATHI ossa, a *bestiis* relicta, quae Antiochiam de-

[a] *Pentad. disput. II.* §. 10. *& seq* (b) *Annal. a.* 391.
[c] *Lib.* 2. *H. E. p.* 568 (d) *advers. Vigilant.*
(e) *Sozom lib.* 9. *cap.* 2. (f) *Theodor. lector p.* 568.

deportata & in coemeterio collocata fuerant, transferri iussit, *ut martyrem maiori honore adficeret, utque templum iam pridem daemoniis consecratum, fortissimo victori ac martyri dedicaret*, sunt verba (a) *Evagrii*. Sub Theodosio hoc iuniore etiam B. Chrysostomi reliquiae Constantinopolim translatae, ad basin sacrae & divinae mensae in basilica apostolorum manibus episcoporum sunt [b] reconditae. Eodem hoc sec. V, sub Leone Imperatore, Sirmio Constantinopolim allatae sunt reliquiae S. Anastasiae, & depositae in martyrio eiusdem, quod erat in porticu (c) Domini.

§. II. Quod vero ad signa & indicia pertinet, quibus martyrum corpora ab aliis dignoscebantur, non quidem semper opus illis fuit, siquidem de quibusdam corporibus, ubi sepulta iacerent, iam praecognitum erat: ad alia autem dignoscenda gratus unguentorum odor, (his enim inprimis martyres sepeliebantur, ut supra [d] ostensum) plurimum conferebat, sicut e. g. ad inventionem XL martyrum: nam cum illas magna industria quaererent, *& quidam ex Imperatoris palatio adstans, tenuem virgam per foramen, quod in operculo loculi Eusebiae erat, demisisset, eamque retractam naribus admovisset, unguenti odorem suavissimum olfecit. Id & operantibus, & iis qui adstabant, animos addidit: statimque detecto loco*

(a) *H. E. lib. 1. cap. 16.*
[b] *Socrates H. E. lib. 7. c. 45.*
[c] *Theodorus loco citato, epist. 85. ad Marcell.*
[d] *lib. 2. cap. 5.*

loculo Eusebiam reperiunt. Id vero, quod ad caput eius eminebat, in arcae formam undique dedolatum, proprio intus operculo tegebatur, & utrinque ad labra impositum ferrum, plumbo solidatum operculum continebat. In medio vero foramen rursus apparens, adhuc manifestius ostendit, martyres intus conditos esse. Ac protinus ferreis vinculis opera artificum circumquaque exemtis, operculum facile extractum fuit: sub quo magna copia unguentorum, & in his duae pyxides argenteae, in quibus reliquiae erant (a) *reconditae*. Aliud erat indicium *sanguis*, qui in corporibus conspiceretur: quod cum suavi unguentorum odore coniunctum, extra fore dubium eos posuit, martyrum haec corpora esse. Sic in NAZARII [b] martyris inventione viderunt sanguinem ita recentem, quasi eadem die fuisset effusus: odore etiam tanto repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. In PROTHASII & GERVASII corporum inventione, sanguinis plurimum (c) apparuit. Ipsa etiam *revelatio* martyrum patefecit, ut ferunt, locum, ubi sancta corpora sita erant. Ita in vita Ambrosii narratur, ei revelatum fuisse, ubi martyres PROTHASIUS, & GERVASIUS, VITALIS & AGRICOLA, CELSUS & NAZARIUS sepulta iacerent, & iam ei revelati martyris signum fuisse, si cum aliis ad locum quendam orandi causa iverit. Ipsi autem hi martyres sese Ambrosio revelasse dicuntur, sicut & martyr *Thyrsus* ter Pul-

[a] *Sozom. H. E. l. 9. c. 2.* (b) *in vita Ambros.* (c) *Ambros. epist. 85. l. 10.*

Pulcheriae augustae apparuisse fertur, indicans, martyres ibi sub terra latere, utque ad ipsum transferrentur praecipiens, quo pari cum ipso cultu (a) fruerentur.

§. III. Ex dictis iam constat, sanctorum corpora, aut ossa translata fuisse in locum sanctum, seu templum, aut iam exstructum, aut nunc exstruendum. Quodsi iam esset extructum, sive vero Deo sive idolis erat dicatum: quod idolis consecratum erat, simul ac sanctae reliquiae advenirent, vero dicabatur Deo, martyris nomine templo eiusmodi imposito, veluti iam memoratum translatorum IGNATII ossium confirmat. Novam vero ecclesiam extruxit *Pulcheria*, Theodosii iunioris soror, & martyris LAURENTII reliquias in eam transtulit, unde dicta ecclesia S. Laurentii. Porro notandum, sub altari in templo recondi translatas martyrum reliquias, tanquam loco sanctis Dei hominibus convenientissimo, ut supra, ubi de altaribus egimus, ex *Augustino* ostensum fuit. Sic *Ambrosius* (b) memorat, se reliquias GERVASII & PROTHASII inventas, sub altari basilicae suae sepeliisse. Idem de reliquiis sanctorum VITALIS & AGRICOLAE sermonem (c) habens, ait, *Munera salutis accipite, quae nunc sub sacris altaribus reconduntur.* Immo receptum tunc fuit, ut ad basilicam dedicandam reliquias ne-

(a) *Sozom. loco citato.* (b) *epist. 85. ad Marcellinam sororem.* [c] *Initio libri de hortat. ad Virginit.* (d) *loco citato.*

cessarias esse, quidam assererent. Hinc *Ambrosius* (a) scribit ad Marcellinam: *Cum basilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare coeperunt, dicentes, sicut in romana, sic basilicam dedices.* Invenit sanctorum Gervasii, & Prothasii corpora, & iis sub altari reconditis, dedicavit ecclesiam. *Gregorius* M. episcopo santonensi reliquias mittit pro consecrandis altaribus. *Sozomenus* (b) refert, Zenonem episcopum extra urbem Gazam ecclesiam aedificasse, & altare in illa erexisse, ubi reliquias quorundam martyrum deposuerit. Cum vero hic mos ab iconomachis convelli, & abrogari coepisset, synodus VII seu nicaena II. can. 7. statuit, ut, *quaecunque templa sine martyrum reliquiis consecrata erant, in iis reliquiae cum precibus consuetis deponerentur, & si quis templum sine reliquiis consecraret, deponeretur, tanquam transgressor ecclesiasticarum traditionum.* In *Ordine romano* reliquiarum ad benedicendam ecclesiam similiter fit mentio, & populus invitatur, ut praesentiam suam non negent. Dein praeparat se episcopus ad divinum officium, & tum cum clero ad tentorium venit, in quo reliquiae praeterita nocte cum vigiliis fuerunt, ibique fiunt litaniae, in quibus Christus, ut audiat & adjuvet, invocatur, Maria autem cum multis aliis sanctis viris & feminis oratur, ut oret pro ipsis. Dein post aliquas oratiunculas elevantur reliquiae in feretro cum honore & laudibus, cum cruce, & thuribulis ac luminaribus, & exeunt, psallentes hanc antiphonam: *Surgite, sancti, de mansionibus vestris,* loca

(b) *H. E. lib. 5. cap. 9.*

loca sanctificate, plebem benedicite, & nos homines peccatores in pace custodite. Antiph. *Cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini: nam & montes & colles exilient, expectantes vos cum gaudio, Alleluia.* quando perveniunt ad ostium ecclesiae, basilica, altarique consecratis, reliquiae sub altari sepeliuntur, & denique haec antiphona cantatur: *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & vivent nomina eorum in aeternum.* Hunc vero morem ex gentilismo in ecclesiam irrepsisse, supra [a] iam fuit monitum.

§. IV. Verum non omnibus licitum fuit reliquias effodere, & transferre, sed id impetrandum erat ab Imperatore, seu summo magistratu. Hinc legem dedere Valentinus, Theodosius & Arcadius hanc: (b) *Nemo humanum* (Gothofredus pro *Jo* humanum substituit humatum) *corpus ad alium locum sine augusti affatibus transferat.* Immo nec tum, cum necessitas requireret, ut reliquiarum translatio fieret, privati alicuius arbitrio id fuit relictum. Extat enim talis lex: (c) *Si vi fluminis reliquiae filii tui contingüntur, vel alia iusta & necessaria causa intervenit, existimatione rectoris provinciae transferre eas in alium locum poteris.* In nullo autem loco vectigal ab aliqua persona pro corporibus ex uno in alium locum transferendis praestandum (d) erat. Exempla, quae prolata sunt, & adhuc proferentur, omnia confirmant, licentiam ab Imperato-

(a) *lib. 4. cap. 9.* (b) *Cod. lib. 3. tit. 44. de Religios. & sumt. fun. l. 14. Conf. l. 7. Cod. Theodos. de sepulcris lib. 8.* [c] *ibid. leg. 2.* (d) *Ibidem sub fin.*

re prius datam, quam translatio susciperetur, cum fere omnes istae translationes iussu Imperatorum factae fuerint, praeter illud *Ambrosii* factum, qui reliquias *Gervasii* effodi curavit suo ipsius arbitrio: unde liquet, episcopos quibusdam in urbibus ius habuisse, aut sibi sumsisse, corpora e loco vicino ad alium transferendi. E locis autem remotioribus id sine consensu Imperatoris summi fieri non potuit. Deinde transportatio reliquiarum curru, aut navi, aut humeris facta fuit, prout necessitas exigebat, aut pompae causa placebat. Sic ossa IGNATII curru in urbem Antiochiae invecta [a] fuerunt. Corpus Ioannis CHRYSOSTOMI per mare navi translatum fuit (b) Constantinopolim. Illae, quas *Ambrosius* Mediolani invenit, humeris (c) deductae sunt. Magna porro cum pompa transportatae fuere sanctorum reliquiae: populus enim ubique tum confluere solebat, gaudio perfusi, hymnis & psalmis Deum celebrantes. Sic, cum Gratiano & Theodosio regnantibus, MELETII cadaver transportaretur, per totam viam publicam, Imperatoris iussu, illud intra urbes receptum fuisse, praeter morem, institutumque Romanorum, & psalmorum cantibus per singula loca alternatim exceptum, honorifice Antiochiam usque deductum, & ibi iuxta Babylae loculum depositum esse, ex *Sozomeno* (d) constat. Immo *occurrerunt fideles san-*

ctis

(a) *Evagr. H. E. l. 1. c. 16.* (b) *Niceph. l. 14. c. 43.* [c] *locis supra citatis. Conf. Odo abbas cluniac. de translat. c. S. Martini p. 3.* [d] *lib. 7. cap. 10.*

ctis (a) *reliquiis Samuelis, & tanta laetitia, quasi praesentem viventemque sanctum prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent.* Ipsi episcopi illas Samuelis aliorumque reliquias in serico, & vase aureo (b) portaverunt. Similiter cum PAULI episcopi constantinopolitani, sed ab Arianis interfecti, reliquiae Constantinopolim transportarentur, Nectarius cum omnibus episcopis, qui assessores fuerant magni concilii constantinopolitani anno 381 celebrati, illis obviam ibat, easq; per plateas urbis ad templum S. Irenes deducebat. Per totam autem noctem psalmi cantabantur, & hymni. Sequenti mane advenere Imperator, tota civitas, omnesque episcopi & clerici, ad (c) conditorium usque eum comitantes. *B.* CHRYSOSTOMI *reliquiis ex adverso Constantinopoli ad Chalcedonem perlatis, transiit eo ipse Imperator Theodosius iunior, & senatus imperatorius: transiit etiam patriarcha, & iudices, magistratusque omnes, deinde generis & aetatis homines omnes, per fretum in mari perinde ac in continenti vadentes, & ad Propontidem os Bosphori ardentibus funalibus tegentes, sacrum tumulum imperatoria triremis excepit. Exorta autem procella naves dispersae sunt, donec illa sedata, sese rursus colligerent, ubi cum apparatu & comitatu maximo, carminibusque debitis virum sanctum deducentes, in urbem imperantem deporta-*

Ee 3

(a) *Hier. adv. Vigil.* (b) *Ibid. Aug de civit. dei l. 22. c. 8.* (c) *In Vita Pauli ap. Photium Cod. 257. col. 1428. Socrat. l. 15. c. 19. Niceph. l. 12. c. 14.*

portarunt. Eumque primum circa Amantium magni Thomae templum excepit; inde vero in sanctae Pacis delubrum delatus; postea imperiali curru tumulus vectus, in sanctorum apostolorum basilicam illatus est. Ibi Imperator sacro tumulo chlamyde tecto, & fronte atque (a) *oculis urnae impositis, communem supplex precationem pro parentibus (qui acriter persequuti erant Chrysostomum) fecit. Narratur quoque, in reliquiarum translatione miracula facta esse, & a daemonibus vexatos, variisq; morbis afflictos sanitatem, quam cupiebant, accepisse.* Sic *Augustin.* *de* [c] *corporibus* martyrum GERVASII & PROTHASII scribit: *Cum propalata illa, & effossa digno cum honore transferrentur ad ambrosianam basilicam, non solum, quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem daemonibus, sanabantur, verum & quidam plures annos coecus civis, civitatique notissimus, cum populi tumultuantis laetitiae causam quaesivisset, atque audisset, exiluit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum: quod ubi fecit, & admovit oculis, confestim aperti sunt.* Multos a daemonibus obsessos in corporibus martyrum istorum linteola, quibus ad purgandas nares, uti solebant, ponentes, aut ea contrectantes, aut tantum linteum, quo involuti erant martyres, attingentes, sanatos fuisse, *Ambrosius* & *Paulinus*, oculati testes, referunt. Tota civitas de veritate illorum fuit convicta, & ipse Ambrosius in duabus concionibus ea contra

(a) *Niceph. l. 19. c. 34. Theodorit. H. E. l. 5. c. 36.*
(b) *l. 9. Confess. c. 7. & de Civ. dei lib. 22. c. 8.*

tra adversarios defendit. *Wilhelmus Cave* (a)hac de re ita indicat: *Non dubito, quin Deus ista miracula tunc temporis fieri voluerit ad Arianos pudore suffundendos, atq; ut de vera fide, tum tam vehementer, oppugnata & conviciis onerata, irrefragibile testimonium ederetur.* Hinc & Ariani non parum exinde perturbati, istis miraculis eludendis magnam operá collocabant, primum negantes, martyres illos esse; cum vero id diutius negare non possent, impudenter negabant, unquam talia miracula fuisse, quamvis illi, in quibus ista facta erant, adessent, & ab omnibus conspicerentur. *Maior incredulitas*, ut *Ambrosius* (b) annotat, *illa eiectorum daemoniorum ipsa, quippe qui credunt & contremiscunt.* Denique Ariani eo impietatis procedebant, ut perhiberent, Ambrosium quosdam pretio conduxisse, qui se obsessos simularent, & dicerent, daemones per martyres cruciatos, eiectosque fuisse. At Deus mox hanc eorum malitiam in lucem produxit: aliquis enim ex illis subito a daemonio correptus, exclamabat, se re vera, ut ipsum daemonem, cruciari, & hanc fore poenam eorum, qui istos martyres agnoscere, & orthodoxam doctrinam recipere recusarent: quem vero virum mox clam sustulere (b)Ariani, ne, quid gestum fuerit, pluribus innotesceret. Vt plura miracula in aliorum martyrum translationibus facta, taceam. Prius autem, quam sacrae reliquiae humarentur, episcopus concionem e suggestu ha-

(a) *In vita Ambros. Antiqv. PP. p. 819.* (b) *Ep. 85. l. 6.*
(b) *Paulin. in vita Ambros.*

bere consuevit, praesenti solemnitati accommodatam. Sic *Ambrosius*, reliquiis iam dictorum martyrum GERVASII & PROTHASII in basilicam ambrosianam translatis, suggestum ascendit, & in priorem psalmi XIX partem sermonem habuit, applicatione deinceps ad praesentes reliquias (a) facta. De translato CHRYSOSTOMI corpore legimus, quod *sacris mysteriis peractis* (b) *ad illius repositionem itum sit.* Finitis itaque sacris, mandavit episcopus, ut reliquiae sepelirentur: quod cum & *Ambrosius* mandaret, populus unanimi ore rogabat, ut ad usque proxime subsequentem dominicam differetur: placuit igitur ut reliquiae tantisper deponerentur. Cum iste dies advenisset, rursus habebat laudatus praesul concionem [c] de iam coepta materia, inprimis vero illusiones Arianorum, eorumque pertinaciam in tam apertis miraculis reiiciendis graviter redarguebat, illa a Deo contra eos, tanquam clarissimum testimonium, edita fuisse, adserens. Post haec martyres tandem isto loco, quo gloriosam resurrectionem exspectare debebant, sunt reconditi; & annuus dies festus ista in urbe, ubi iam quiescebant, celebratus fuit, ut exempla XL MARTYRUM, (d) & B. IGNATII, [e] ossium translatorum evincunt.

CAP.

(a) *pist. 85.* (b) *Niceph. lib. 14. cap. 43.* (c) *Serm. 91.* (d) *Sozom. l. 9. c. 2.* (e) *Evagr. H.E. l. 1. c. 16.*

CAP. IX.

Reliquiae per varia loca distractae, ad alias ecclesias missae, furto ablatae, venditae, osculo exceptae, religiose contactae, circumgestatae, pro veritatis inquirendae medio habitae, & iuramenta apud illas praestita fuerunt.

§. I.

DE reliquiarum transportatione dictum: iam reliqua, de veneratione illarum atque cultu testantia, addenda. Huc itaque primo pertinet, quod illae per varia loca distractae, atque distributae fuerint. Testatur *Basilius* M. (a) quando in sermone de XL MARTYRIBUS his utitur verbis: *Nec uno in loco se se clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornaverunt*. B. STEPHANI reliquias etiam per varia Africae loca fuisse distributa, *Augustinus* (b) testatur, quando scribit ad Quintianum: *Portant sane* (*Galla* vidua, & eius filia *Simpliciola*) „reliquias„ beatissimi & gloriosissimi martyris Stephani, „ quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos, „ fecimus, qua convenienter honorare *debeatis*. „ Deinde notari meretur, Ambrosium decerptas ex martyrum GERVASII & PROTHASII corporibus particulas ad alias urbes atque ecclesias, tanquam singulare donum misisse. Idem fecerunt *Hieronymus*, & *Paulinus*. [c]

§. II. Cum vero tanta reliquiarum sancto-

Ee 5 rum

(a) *Adde Augustin. de civit. Dei lib. 22. cap. 8.*
(b) *Epist. CIII p. 473.* (c) *Quenst. in antiqu. bibl. & eccles. c. 6. n. 2. p. 650.* (d) *t. 1. p. 252.*

rum esset veneratio, quidam non veriti sunt, ex pia simplicitate illas furari, & in locis sibi vicinis sepelire: quale exemplum *Hieronymus* narrat in vita Hilarionis (a) sequentibus verbis: *Postquam Palaestinae sanctus vir Hesychius, de morte & sepultura Hilarionis audivit, perrexit ad Cyprum, & simulans, se velle habitare in eodem hortulo, ut diligentis custodiae suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitae suae periculo, post decem fere menses, corpus eius furatus est. Quod Maiomam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illaesa tunica, cucullo & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viveret, integris, tantisque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putares.* Alii autem ex lucri cupidine reliquias sunt furati, easque certo precio vendidere. De quo abusu *Augustinus* (b) conqueritur, inquiens: *Multos hypocritas sub habitu monachorum circumire provincias, & membra martyrum, si tamen martyrum, venditare.* Addit: *Eos petere sumtus lucrosae egestatis, ac simulatae pretium sanctitatis.* De Simplicio Ciliciae proconsule Ludovicus *Aurelius* perusinus, abbreviator Baronii (c) scribit, *quod avaritiam saevitiae iungens, martyrum corpora, sacrosque cineres pretio distraxerit, sordida hac nundinatione pietatem prae se ferens, ac bene se de Christianis mereri affirmans, quod sacras reliquias non in ventum spargi, aut in fluenta proiici iuberet. Mirum profecto videri potest*, addit Aurelius, *quod pro comperto sane habetur, accessisse illuc, veluti ad publicum emporium ex Italia atque Africa, insuetae pietatis mercatores*

(a) t.1.p.252.
(b) lib. de Opere monach. c. 28. (c) Ad an. 305. p. 62.

tores. Istam vero reliquiarum mercaturam postmodum peculiari lege cohibuerunt Honorius & Theodosius [a] imperatores: *Nemo martyres distrahat, nemo mercetur.*

§. III. Porro sanctorum reliquiae osculo sunt exceptae, teste *Hieronymo* [b] his verbis: *Martyrū sepulcra veneramur, & sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Hinc Vigilantius obiecit christianis: *Quid pulverem linteamine circumdatum, adorando oscularis?* Religiose etiam illae contactae fuerunt, ex ea opinione, quasi peculiarem sanctitatem communicare valerent. Hinc *Basilius* M. (c) scribit: *Quando pro Christo quisquam moritur, preciosae reliquiae sanctorum eius. Ante hoc tempus dictum est sacerdotibus, & Nazaraeis: Non contaminabitur super aliquo mortuo. Et rursus: Si quis attigerit mortuum, erit impurus. Et illud: Lavabis vestimenta illius. Nunc autem felicitate nominis christiani, & dei nostri ac servatoris Iesu Christi munificentia, quicunque martyres eius attigerit, illius iustitiae, sanctitatisque quodammodo particeps, ob gratiam ex eorum corporibus procedentem, efficitur.* Simili in sensu idem ille de Iulittae martyris corpore (d) pronunciat, quod illud & *locum, & adeuntes pariter, sanctos reddat:* sicut & *multos Hierosolyma rapiebat* (e) *affectus, ut loca, in quibus corporaliter praesens fuit Christus, viderent, atque contingerent.*

§. IV. Verum ulterius progrediebatur publi-

(a) *Cod. de SS. eccl. leg. 3.*

(b) *in epist. Paulae & Eustoch. ad Marcell.* (c) *in Ps. 115, t. 1. p. 302.* (d) *Sermone in illam.*

[e] *Paulinus epist. ad Severum.*

reliquiarum cultus: circumgestabantur enim publice iam Augustini aevo, uti hic praesul (a) indicat, memorans, Lucillum episcopum circumgestationem memoriae [seu arcae] S. STEPHANI instituisse. Post haec tempora festis diebus in processionibus etiam circumferri consueverunt, uti ex Concili *braccarensis* III, an. 975 in Portugallia celebrati, canone 5 liquet, qui his constat verbis: *In festis quibusque diebus arcam Domini cum reliquiis, non episcopi, sed levitae in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum novimus fuisse. Quod si episcopus per se reliquias deportare elegerit, non ipse a diaconis in sella vehatur, sed potius, pedestri eo una cum populis progressione precedente, ad ecclesias per eundem sanctae Dei reliquiae portabuntur.* Auctor libri, *Gemma animae* dicti, *Scrinium*, ait, *cum reliquiis portamus contra daemones, sicut filii Israël portaverunt arcam Dei contra philistaeos hostes.* Refert *Ioannes damascenus*, seu quisquis auctor fuerit historiae [b] de BARLAAM & IOSAPHAT: *Haec pura & sancta ossa ideo circumferimus, ut admirabilium virorum, quorum ipsa sunt desiderium, utcunq; leniamus, eorumque religiosam exercitationem, deoque caram vitam nobis in memoriam revocemus, atque ad eiusdem vitae studium nos ipsos mutuo acuamus &c. quoniam mortis memoriam, quae permagnam utilitatem affert, atque ad religiosae vitae certamina promtos nos, ac velut pennatos reddit, nobis hinc comparamus, atq; praeterea ex eorum contactu sanctitatem haurimus.*

§. V. Quod atttinet ad veritatem, quam in re dubia apud reliquias sanctorum in lucem proferri

(a) *de civitate dei l. 22. c. 8.* (b) *Cap. 22. & 23.*

ferri facilius posse putabant, ipse *Augustinus*[a] istud elegit medium. Cum enim *Bonifacius*, eius presbyter, ab alio quodam iuvene de stupro interpellaretur, *isque paratus esset, honoris sui apud homines damnum perpeti potius, quam in ea contentione, in qua non posset ignorantibus, & dubitantibus, vel ad male suspicandum proclivioribus suam demonstrare conscientiam, usque ad ecclesiae perturbationem inaniter progredi,* Elegi, ait Augustinus, *aliquod medium, ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multo facilius aperirent, & ad confessionem vel poena, vel timore compellerent. Ubiq; quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum a veris adoratoribꝰ in spiritu & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiã iustificet & coronet. Veruntamen ad ista, quae hominibꝰ visibiliter nota sunt, quis potest eius consiliũ perscrutari, quare in aliis locis haec miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi b. Felicis Nolensis corpus conditũ est: quo volui, ut pergerent, quia inde nobis facilius, fideliusq; scribi potest, quicquid in eorũ aliquo divinitus fuerit propalatum.* Iuramenta quoq; apud sanctorũ reliquias facta fuisse, ex sequentibus eiusd. patris verbis (*b*) liquet: *Nam & nos novimus, Mediolani apud memoriã sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter daemones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere.* Claudimus hanc de sanctorum reliquiis considerationem verbis Mart. *Chemnitii*

[a] *Ep. 137.* (*b*) *Ibidem.*

(a) se-

(a) sequentibus: *Quae simplici intentione, & absque superstitione facta sunt, non temere traducimus, aut damnamus, sed quoad eius fieri potest, excusamus, & libenter in meliorem partem, quantum quidem per adversarios & sine detrimento fieri potest, vertimus.*

CAP. X.

De Vtilitate huius tractatus.

MVltis iam exponere possem utilitatem, quae ex hoc capi potest tractatu, si tempus & typogrpahi conditio permitteret: sed, quoniam properandum est, & editio libri certo temporis spatio constringitur, summa tantum eius capita indicabimus. Enim vero usus, quem benevolus lector inde potest decerpere, minimum est quintuplex.

I. Vt rectum de ritibus hodiernae & gracae & romanae ecclesiae, apud moribundos & in funere ac post illud usitatis, judicium formemus, num, & in quantum conveniant cum ritibus & caerimoniis vetustissimorum christianorum: deprehendemus enim ex eorum consideratione accuratiori, non omnes tantae, ut venditantur, esse antiquitatis, sed multos ex posterioribus seculis, ubi fontes christianae sinceritatis ac puritatis turbati, & humanis traditionibus corrupti fuere, derivatos. Quo pertinent invocatio sanctorum, beatificatio & canonizatio, quam sibi arrogat Papa romanus, peregrinationes ad memorias & sepulcra sanctorum, etiam fictorum duntaxat, & putatitiorum, opinio de purgatorio, missae pro defunctis, & huius generis alia. Certe notabile est, quod *Eusebius* [b] ex Hegesippo, qui claruit

(a) *Exam. C.T.P.4.* [b] *H.E.l.3.c.32.*

sec.

sec. II temporibus Marci Antonini Imperatoris, refert, scriptorem illum annotasse, *ecclesiam ad sua usque tempora, instar cuiusdam virginis, integram atq; incorruptam permansisse, adhuc in obscuro recessu delitescentibus, qui rectā praedicationis evangelicae regulā depravare niterentur. Sed postquam sacer apostolorum coetus vario mortis genere extinctus esset, & iam effluxisset aetas illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruissent; tunc demum impiorum errorum conspirationē initiū sumsisse, per seductionem aliter docentium, eosq;, nullo amplius ex apostolis superstite, postea nudo capite praedicationi veritatis adulterinam doctrinam opponere, & praedicare agressos esse.*

II. Ne ingenio nostro nimis indulgeamus, & sub bonae praetextu intentionis, in rebus fidei & morum rituumq; quid innouemus. Sic sec. III & sequentibus varii introducti sunt ritus pia sane intentione, sed praeter normam verbi divini, & cum tempore abierunt in articulos fidei, ita ut simplici popello persuaderetur, sic omnino faciendum & credendum esse. Cui abusui magnum momentum & incrementum attulit auctoritas Episcoporum: quicquid enim hi faciebant, aut statuebant, illud quasi e coelo dictum ac promulgatum acceptabatur, & pro valido habebatur.

III. Recte facere nostrates, quod non omnes veterum sic dictorum ritus in funeribus retineant, sed eos, qui superstitionem redolent, missas faciant: non enim quod vetus est, & aetatem aliquot fert seculorum, etiam in primitiva ecclesia obtinuit, atque adeo vetustissimum est. Sine dubio autem rectius faciunt, qui primitivae & antiquissimae

ſimae eccleſiae ſeſe conformare ſtudent, quae pura & illibata fuit virgo, quam iuniori & recentiori, quae non plane manſit incorrupta.

IV. Vt gratulemur nobis de conformitate rituum noſtrorum funebrium cum illis, quos antiquiſſima etiam obſervavit eccleſia. Nam moribundis euchariſtiam, tanquam viaticũ praebere, corpus defuncti lavare, linteo involvere, in lignea vel lapidea aliusve materiæ arca reponere, inter hymnos ſolatii plenos in coemetriũ efferre funus comitantibus neceſſariis, affinibus atq; cultoribus, ſermonem in defuncti memoriam & ſolatium ſuperſtitum habere, agapas inſtituere, pauperibus eleemoſynas facere, preces pro defuncto ſemel atq; iterũ Deo offerre, ut ei ſit propitius, & corpori dulcem ſub humo quietẽ indulgeat, & ſimilia alia, quid ſunt, quam pii & ſancti ritus, faciẽ veteris eccleſiæ nobis repræſentantes?

V. Vt ad mortem, quae tam certa & inevitabilis eſt, quam incerta eius hora, exemplo Bleſillae a) & Paulae (b), in tempore nos praeparemus. Quotiescunque ſpectamus funus, aut aliquod ducimus, meminerimus, etiam nos aliquando daturos materiam funeris, & ad plures abituros. Meminerimus, ab hora mortis dependere aeternitatem. Meminerimus, nos vocatum iri ad iudicium, & quemvis accepturum, prout vixerit, mercedem, ſive bonam, ſive malam, nec male moriturum, qui pie vixerit, & in Domino ſuam poſuerit fiduciam.

(a) *Hieron, tom. 1. ep. ad Paul.* (b) *Id. in epit. Paulae, p. 182.*

F I N I S.